Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/incaputprimummat0000doct

14641



IN

CAPUT PRIMUM MATTHÆI

DE CHRISTO DOMINO,

SANCTISSIMA VIRGINE DEIPARA MARIA,

VEROQUE EJUS DULCISSIMO, ET VIRGINALI SPONSO JOSEPHO

IN

CAPUT PRIMUM MATTHÆI

DE CHRISTO DOMINO,

SANCTISSIMA VIRGINE DEIPARA MARIA,

VEROQUE EJUS DULCISSIMO, ET VIRGINALI SPONSO JOSEPHO

LIBRI QUINQUE

DOCTORE PETRO MORALES

VALDEPENENSI APUD CALATRAVAM, SOC. JESU PRESBYTERO AUCTORE

TOMUS SECUNDUS.



PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

Via vulgo dicta Delambre, 9.

M DCCC LXIX.

4731

LAON. — IMP. ET STÉRÉOTYPIE H. DE COQUET ET G. STENGER

FATHERS' LIBRARY
ST. JOS. CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

IN

CAPUT PRIMUM MATTHÆI

DE CHRISTO DOMINO, ETC.

LIBER QUARTUS

DE DUBITATIONE JOSEPHI, DE ANGELICA APPARITIONE ET REVELATIONE, ET DE OBEDIENTIA EI A JOSEPHO PRÆSTITA IN ACCEPTIONE VIRGINIS.

HÆC AUTEM EO COGITANTE, ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS EI. Matthæi I. v. 20.

TRACTATUS VIII.

De Angeli Josepho apparitione facta, et de revelationibus hominibus ab exteriorum rerum tumultu separatis, discernendis divinitus concessis.

Quia, ut promisimus, agendum nobis est de apparitionum et revelationum materia, quæ periculosa est, ut infra dicemus, circa quam ad probandos et discernendos spiritus an ex Deo sint, an vero aliunde proveniant, quamplurima apud Ecclesiæ Patres et doctores reperiuntur; aliqua ex his magis conducentia sub brevitate referenda sunt, et præmittenda, ut facilius et clarius ad apparitionis et revelationis sanctissimo Josepho factæ intelligentiam pervenire possimus.

Angelus nomen est officii, non naturæ, et nuntium, vel legatum significat.

Et in primis supponendum est primo, quod Angelus nomen est græcum, quod nuntium significat, et legatum, et sic nomen est officii, et non naturæ, ut optime explicuit D. Ambrosius, in cap. I. epistolæ ad Hebræos, in illa verba, quæ Paulus ex Psalm. CIII. citat : *Omnes sunt administratorii spiritus.* « Sciendum est, inquit Ambrosius, quod angelus nomen est officii, non naturæ. Qui etiam semper sunt spiritus, non semper angeli vocari possunt. Quæris hujus naturæ nomen? spiritus est. Quæris officii? angelus. Ex eo quod est, est spiritus : ex eo quod agit, angelus; quia angelus græce, nuntius latine dicitur. Sicut homo nomen est naturæ, miles vero nomen est officii : sic qui erant jam spiritus conditi a conditore Deo, facit eos angelos, mittendo eos nuntiare quod jusserit. » Idemque docent D. Hilarius, lib. v. de Trinitate, et D. Gregorius, hom. 34. in Evangelia, et D. Isidorus, lib. I. Sentent. capit. XII. sent. 1. et D. Dionysius, de cœlesti Hierarchia, capit. IV. et D. Augustinus, super Psalm. CIII. Idque satis aperte constat ex illis verbis ejusdem Psalmi : *Qui facit angelos*

suos spiritus. Quorum sensus est : Qui facit spiritus id est, substantias spirituales, corporisve expertes, angelos suos, id est, nuntios suos, juxta illud Pauli ad Hebr. I. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.* Et sic omnis spiritualis natura, quæ nec Deus, nec homo est, ad angelorum pertinet ministerium. De quo videndi sunt P. Doctor Molina, I. p. q. L. in exordio, §. Nos ergo, et P. Gabriel Vasquez, in eadem q. L. disp. CLXXVIII. cap. 1. nu. 1. et 2. et P. Joannes Ferdinandus, in thesauro Scripturarum, verbo, Angelus, n. 1.

Christus, Joannes Baptista, prælati, sacerdotes, prædicatoris, et qui alios spiritualia docent, Angeli nuncupantur

Cum igitur angelus nomen sit officii, nuntiumque, aut missum significet, colligitur Filium Dei per excellentiam angelum appellari, licet cum addito excellentiæ, quo significatur ejus altitudo. Sic Isaiæ IX. secundum Septuaginta : *Et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus.* Et similiter legimus de Filio Dei, Malach. III. *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Ubi omnes expositores de Christo intelligunt Dominatore, qui solus templum habeat, ad quod venit, ut ex Galatino, et aliis tradit P. Joannes Ferdinandus loco supra citato, n. 30.

Hinc etiam eadem ratione colligitur, hoc angelorum nomen ad homines etiam extendi, ad illos videlicet, qui Dei nuntii sunt. Unde Joannes Baptista vocatur Angelus a Christo Domino, Malach. III. *Ecce ego mitto Angelum meum ante te*, ut contra Origenem falso putantem Joannem spiritum fuisse cœlestem probat D. Cyrillus, super illud Joann. I. *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*, docens evangelico testimonio Joannem hominem fuisse carne, sed nuntium Christi conversatione cœlesti.

Hinc etiam colligitur Ecclesiarum prælatos angelos sine dubio nuncupari, juxta illud Apoc. I. v. 20. *Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea : septem stellæ, angeli sunt septem Ecclesiarum : et candelabra septem, septem Ecclesiæ. sunt* Quod de prælatis Ecclesiarum, qui angeli nuncupantur, exponunt Richardus, Rupertus, D. Augustinus et Thomas et plures alii, quos refert et sequitur P. Joannes Ferdinandus, loco citato, num. 27. Ubi, quod prælati dicuntur stellæ, quia de illis dictum est Matth. v. *Vos estis lux mundi* ; sunt etiam in dextera Dei, quia, ut notat Richardus, prædicatores et prælati speciali providentia proteguntur a Deo, juxta illud Hierem. I. *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam.* Propterea prædicatoribus dicitur Matth. v. *Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

Propter eamdem etiam rationem sacerdotes dicti sunt angeli, quasi nuntii inter Deum et homines, Malach. II. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus, quia angelus Domini exercituum est.* Sic etiam interpretantes illud I. Corint. XI. *Mulieres in ecclesia velent caput suum propter angelos*, id est, propter sacerdotes, secundum Cajetanum, D. Ambrosium, et alios, et inter sacerdotes prædicatores præcipue, de quibus illud Isaiæ XVIII. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam et dilaceratam*, angeli nominantur. Ut in eodem loco exponunt D. Hieronymus, Eusebius, Glossa interl. Lyranus et Vatablus. « Et universaliter, ait Tertulianus, libro contra Judæos, cap. IX. post medium, Deus eos vocare consuevit angelos, quos virtutis suæ ministros præfecit. »

Unde quicumque fratrem suum spiritualia docet, angelus nominatur, ut docet D. Gregorius, hom. 6. super Evangelia, his verbis: « Unusquisque in quantum sufficit, si a pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum, vel supplicium erranti denuntiat, cum verba sanctæ annuntiationis impendit, profecto angelus extitit. » Et paulo inferius, qui alios ad amorem Dei incendunt, non tantum angeli, sed et Seraphim appellandi sunt, in hæc verba : « Qui parva, inquit, capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt, isti in angelorum numerum currunt : qui secretorum cœlestium summam capere prævalent, et nuntiare etiam, isti in archangelorum numerum deputantur; qui amando ardent, et loquendo alios accendunt, isti Seraphim dicuntur. » Unde Joannes Federicus Lumnius, lib. II. de extremo Dei judicio. c. 6. locum illum Isaiæ XVIII. *Ite Angeli veloces*, etc. qui omnibus Dei verbi concionatoribus competit, ut modo vidimus, religiosis nostræ societatis Jesu in particulari sic applicat. « Porro qui per angelos veloces ad populum terribilem missos intelligendi sunt, nulla apud eos difficultas est, qui noverunt quam sanctam, quam candidam, quam irreprehensibilem agant vitam, qui Romani Pontificis auctoritate suscepta, velut angeli, et devotione alacres, et spiritu per vastissimi maris pericula in illum incognitum

orbem transvolarunt. Sic Jesu societas postquam aliquot jam annis in Europa, velut in primævo domicilio christianæ gentis ingratitudinem graviter ingemiscens, deploravit, avolare jussa est ad exteros populos, velut ad silvestres, indomitasque feras. Unde circa mundi vesperam cum exultatione reditura, quod in cœlestibus mansionibus eo usque vacuum manserit, copioso Indorum replevit agmine. Sunt nihilominus nunc ibi et alii Patres ex his, qui sanctorum Dominici et Francisci piis institutis se manciparunt, qui pro sua magna devotione, et prædicationis studio non exiguum referunt fructum.»

Juxta quæ nulla dubitandi occasio est, quin Angeli pro nobis hominibus Deo loquantur, et intercedant, dicente Job. c. III. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, ut annuntiet hominis æquitatem.* Super quem locum D. Hieronymus et D. Thomas asserunt Angelos sanctos pro peccatoribus quidem hominibus Deo preces offerre. Et Angelus Raphaël Tobiæ dixit : *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos*, etc. *Ego obtuli orationem tuam Domino.* Tobiæ XII. v. 12. Quo etiam pertinet visio Jacob, de qua dicitur Gen. XXVIII. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam.* Quæ quidem Angelorum beneficia Angelus unicuique deputatus, quasi ex officio et ministerio in particulari præstat. Unde merito hujusmodi Angeli nos custodire dicuntur, juxta illud Psal. XC. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* In quem sensum legimus illud Matth. XVIII. *Videte ne contemnatis unum de his pusillis, qui in me credunt : dico enim vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.*

Ex quo D. Hieronymus, lib. III. super Mat. magnam animarum colligit dignitatem, dicens : « Magna profecto dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum. » A nativitate, inquit, non a materno utero, quia quandiu puer in eo est, quodammodo est aliquid matris, et ideo ab Angelo matri deputato custoditur proles in matris utero existens, ut ex eodem D. Hieronymo docet S. Thomas, 1. part. quæstio. CXIII. articulo v. ad 3. Dicitur etiam a nativitate, et non a tempore baptismi, quia Angeli custodes cunctis hominibus, sive malis, sive bonis, sive fidelibus, sive infidelibus ab ortu nativitatis suæ dantur. Nam in prædestinatorum ministerium mittuntur Angeli, ut ipsis ductoribus, hæreditatem capiant salutis : et ut reprobi et præsciti ab aliquibus malis retrahantur, ut probat S. Thomas in dicta q. CXIII. art. IV. et V. ubi art. VI. propter eamdem rationem probat Angelum custodem nunquam totaliter deserere hominem, vel maxime peccatorem, et quamvis in profundum malorum venerit, licet interdum non impediat, quin subdatur homo alicui tribulationi, vel etiam quin cadat in peccatum, secundum ordinem divinorum judiciorum : et secundum hanc distinctionem intelligenda sunt, quæ dicit Hierem. c. XV. *Curavimus Babylonem, et non est sanata : derelinquamus eam, et eamus unusquisque in terram suam, quoniam pervenit usque ad cœlum judicium ejus.* Et quod ait Isaias cap. V. *Auferam a vinea sepem, et erit in conculcationem, et direptionem.* Ubi Glossa ordinaria per sepem circumdantem intelligit Angelorum custodiam. « Et dicuntur, ait D. Thomas, ab Angelis derelinqui, quia Angeli custodes non impedierunt, quin tribulationibus subderentur. »

Ut hinc discamus divinum beneficium Angelorum nos custodientium, de quibus Isaiæ LXII. v. 6. *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes : tota die, et tota nocte perpetuo non tacebunt.* Ubi Lyra : « Per custodes intelliguntur Angeli ad custodiam fidelium deputati. » Et hinc etiam discamus vitæ nostræ sanctitate Angelis nos custodientibus placere, ut hortatur S. Bernardus, ser. de Angelo custode. « Hæc placent Angelis, quæ in nobis invenire delectat, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, et super hæc omnia veritatem et pacem a nobis exigunt. Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos quantum possumus, quantum debemus affectuose, tanquam actores et tutores a patre nobis positos : adhuc enim nos parvuli sub tutoribus et actoribus sumus. » Fugiamus peccata, vitemus sæcularia desideria, si eos amicos, benevolos et beneficos habere volumus. S. Bernardus, serm. 40. super illud, *Accesserunt Angeli*, sic ait : « Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli : in quovis diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, ne audeas, illo præsente, quod, me videnti, non auderes. Adsunt igitur tibi, non modo præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt ut protegant, adsunt

ut prosint. » Et in multis quidem nobis prosunt, et a periculis spiritualibus et temporalibus nos quotidie liberant. Dionysius Carthusianus, serm. 3. de Angelo custodiæ, ad finem : « Angeli præservant homines a diversis periculis, et malis corporalibus, ne scilicet ruina, demersione, prælio, aut simili modo terreant improvise. » Et ideo S. Bernardus, serm. 12. explicans illud Psal. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, ait : « Quantam tibi hoc verbum debet inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam, reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. »

Omnes Angeli in hominum ministerium mittuntur, sed de supremis disputatur.

Ad hæc autem beneficia hominibus præstanda quamvis secundum communem legem superiores Angeli non mittantur, sed inferiores tantum; nihil tamen obstare videtur, quin ex aliqua dispensatione divina ad maximum aliquod negotium supremi etiam Seraphini mittantur, juxta illud Isaiæ VI. v. 6. et 7. *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari*, etc. Quod quidem conforme est verbis Apostoli ad Hebræos I. *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* Atque ita defendunt Alexander Alensis, in summa theologica, et Præpositivus, Altisiodorensis et Scotus, Durandus, Gabriel, et plerique alii in I. distinct. 2. et acute per conclusiones probat P. Molina. I. p. q. CXII. disput. unica. per totam. et P. Joannes Ferdinandus verbo, Angelus. numero 7. sic inquiens : « Et ratio suadet, ut Filio Dei ad homines misso propter eorum salutem non sit jam indignum, supremos Angelos, qui ministri ejus sunt, ad nos etiam interdum mitti, cum neque virtus humilitatis illis desit, quæ consentit humilibus; neque etiam charitas, cum fecerit eos Deus ignem urentem, non materialem, sed spiritualem. » Sic enim imperatores et reges superiorem non recognoscentes ad maximum aliquod pro regnorum pace et quiete negotium, principem aliquem, aut supremum regni sui magnatem mittere solent: licet ad alia non ita gravia equites, comites, marchiones et duces deputent. Non tamen in gratiam et reverentiam D. Thomæ debitam, mihi displicet modestia et humilitas Patris Vasquez, qui cum utrinque pro utraque parte auctoribus, sanctis, doctoribus, et rationibus adductis quæstionem hanc disputasset, 1. p. q. LXIV. disput. CCXLIV. cap. 1. et 2. ita conclusit : « Cum igitur negare non possimus, cuique Angelo suapte natura hoc convenire, ut mitti possit in ministerium: et utrum missus fuerit aliquis supremus, an non? quæstio sit facti, de quo nihil nobis constare potest, satius erit nihil in hac re definite pronuntiare. » Maxime cum dubitare minime liceat, nihil esse ita magnum in ministeriis divinis, quod per inferiores Angelorum ordines exerceri non possit, secundum S. Thomam, 1. p. q. CXII. artic. II. in corp. Unde Angelus inferior naturæ ordine præest dæmonibus, ut in tract. VII. præcedenti vidimus.

Et quia Evangelista Angelum, qui B. Josepho apparuit, Angelum Dei appellat, et fuisse testatur, ostendit plane aliquem esse Angelum, qui non sit Dei, sed qui in Angelum lucis se transfigurat, juxta Apostolum II. Corint. XI. v. 14. *Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Hic pessimus Angelus in divina Scriptura appellatur dæmon, et nunquam in bonum sumitur, ut docet D. Augustinus, libro IX. de Civitate Dei, ca. XIX. Immo et apud Gentiles si quis alteri dixerit, dæmonium habes, pro maxima maledictione capitur. Quod in Filium Dei blasphemantes Judæi apud Joannem VIII. jactaverunt, ipse vero cum ad alias contumelias tacuisset, ad hanc respondit: *Ego dæmonium non habeo, quia dæmonium mendax est*, etc. Dicitur etiam diabolus; græce est enim idem, quod latine calumniator et criminator, ut advertit D. Hieronymus, super Isai. c. XXVII. Et sic legimus Apoc. XII. *Et projectus est accusator fratrum suorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei sui die ac nocte.* Frater autem vocatur ille, propter intellectualis naturæ consortium, ut exponunt Aretas, Haymon, Ansbertus, Glossa, et D. Thomas ibidem. Vocatur etiam Judas propter imitationem, non per naturam, ut Joann. VI. *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* idest, imitator diaboli, sicut et pater dicitur Judæorum, apud Joann. VIII. capit. non natura, sed imitatione; *Vos ex patre diabolo estis; et desideria patris vestri vultis perficere*, etc. De quo agit P. Joannes Ferdinandus, in Thesauro Scripturarum, verbo, Dæmon, et diabolus, præcipue numer. 1. 10. et 17.

Et quia diabolus se in Angelum lucis transfigurans intendit homines revelationibus apparentibus decipere, et sunt spiritus diversi, ut docet D. Bernardus, lib. de conscientia,

Revelationum materia periculosa, et diversitas spirituum examinanda discretione.

cap. de quatuor spiritibus in cordibus humanis, his verbis : « Quatuor spiritus loquuntur assidue, spiritus mundi, spiritus carnis, spiritus diaboli, et spiritus Dei. Spiritus mundi loquitur vana; spiritus carnis loquitur mollia carni; spiritus diaboli loquitur, quando amara cogitamus, et aspera proferimus; spiritus Dei loquitur, quando dulcia meditamur, et loquimur : diabolus clamat, ego decipiam; mundus clamat, ego deficiam; caro clamat, ego inficiam; Christus vero clamat, ego reficiam. » Ideo necesse est discretione hujusmodi spiritus examinare, juxta consilium D. Joan. in sua I. epist. Can. c. IV. in principio : *Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Est enim materia hæc apparitionum et revelationum difficilis, obscura et periculosa, ut optime advertit D. Bonaventura, in opusculo de processu religionis, cap. 20. de cautela in visionibus adhibenda. « In omnibus igitur, inquit, revelationum et visionum generibus magna cautela adhibenda est, ne falsa pro veris, noxia pro salutaribus, exigua pro eximiis, et incerta pro certis recipiantur. Solus autem Spiritus sanctus per donum consilii, et per gratiam discretionis spirituum scit hominem expedire, et certum reddere quid in illis recipiendum sit, vel respiciendum, et quomodo eis utendum, sicut et prophetas et sanctos docuit, quibus non solum vera ostendit, sed etiam per veritatis testimonium, quia vera essent, interius demonstravit. » Quapropter in re ita gravissima sancti et doctores diversa sensere, ut refert D. Bonaventura loco citato. « Aliis videtur securius esse talia non quærere oblata, nec cito credere, et deceptionis foveam timere. Aliquando etiam oblata, velut minus etiam fructuosa parvi pendere, ut si vera sint, se habeant indifferenter ad ea : si falsa, non innitantur eis, ne decipiantur, et quærat super his consilium sapientum solum, et paucorum, et ipse ad illa se studiose exerceat, quæ sunt secura, meritoria et fructuosa : quæ sunt vitiosa extirpare, et virtutum studiis fideliter insudare : et per orationis usum mentem accendere ad devotionis affectum.»

Deus ad homines multipliciter loquitur.

Et ut spirituales homines in re hac sane difficili aliqualem habeant intelligentiam, et securitatem; libuit hoc loco aliquas sanctorum et doctorum sententias, distinctiones et regulas conducentes referre; et in primis D. Augustinus super Psalm. XLIX. in principio, universaliter loquens sic ait : « Deus locutus est multis modis. Per Angelos ipse locutus est; per prophetas ipse locutus est; per os proprium ipse locutus est; per apostolos ipse locutus est; per fideles suos ipse loquitur; per humilitatem nostram, cum aliquid verum dicimus, ipse loquitur. »

De locutione divina per seipsum ait D. Augustinus, lib. XI. de Civitate Dei, capit. II. « Deus cum homine non per aliquam creaturam corporalem loquitur, corporalibus instrepens auribus, ut inter sonantem et audientem aërea spatia verberentur, neque per ejusmodi spiritalem, quæ corporum similitudinibus figuratur, sicut in somnis, vel aliquo alio tali modo : nam et sic velut corporeis auribus loquitur, quia velut per corpus loquitur, et velut interposito corporalium locorum intervallo. Multum enim similia sunt talia visa corporibus; sed loquitur ipsa veritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita Deus loquitur, quod in homine cæteris, quibus homo constat, est melius, et quo ipse Deus solus est melior, quia ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat inferiores partes suas. » Hanc autem supremam hominis partem esse mentem, docet S. Thomas de veritate, quæstione X. articulo I. in corp. in fine, dicens : « Mens in anima nostra dicitur illud, quod est altissimum in virtute ipsius, unde cum secundum id, quod est altissimum in nobis, divina imago inveniatur in nobis, imago non pertinebit ad essentiam animæ, nisi secundum mentem. » De hac immediata Dei locutione stupore et admiratione plenus D. Augustinus, lib. XI. Confessionum, c. XI. sic interrogat : « Quis comprehendet? Quis enarrabit? Quid est illud, quod interlucet mihi, et percutit cor meum sine læsione, et inhorresco, et inardesco? Inhorresco, in quantum dissimilis ei sum; inardesco, in quantum similis ei sum; sapientia ipsa est, quæ interlucet mihi, discindens nubilum meum. Audiat te Dominus intus sermocinantem, qui potest. »

Interna Dei locutio magna operatur breviter.

De hac etiam eadem Dei locutione per se ipsum, uti expertus D. Gregorius, lib. XXVIII. Moral. cap. II. sic fuit pulcherrime locutus : « Cum per semetipsum loquitur Deus, de verbo ejus sine verbis ac syllabis cor docetur : quia virtus ejus intima quadam sublevatione cognoscitur, ad quam mens plene suspenditur, vacua gravatur : pondus enim quoddam est, quod omnem animam, quam replet, levet. Incorporeum lumen est, quod

et interiora repleat, et repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui et auditum aperit, et habere sonitum nescit. » Quod paulo inferius his probat exemplis : « Et cum reginæ Candacis eunuchus currui præsidens iter caperet, atque Isaiam non intelligens in manibus haberet, in corde nimirum spiritus Philippo dixerat: *Adjunge te ad currum*, Actorum VIII. Et cum ad vocandum Petrum timentes Deum milites Cornelius dimisisset, in mente proculdubio a Spiritu Petrus audivit : *Ecce tres viri quærunt te. Surge itaque, descende, et vade cum eis.* Spiritum enim Dei quasi quædam nobis verba dicere, est occulta vi ea, quæ agenda sunt, intimare, et cor hominis ignarum non adhibito strepitu, et tarditate sermonis peritum repente de absconditis reddere. » Et in eodem loco ad objectionem, quæ fieri poterat de eo, quod de adventu Spiritus sancti, Actor. II. scriptum est, *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ quasi ignis, seditque supra singulos eorum;* sic respondet : « Per ignem quidem Dominus apparuit, sed per semetipsum locutionem interius fecit; et neque ignis Deus, neque ille sonitus fuit, sed per hoc, quod exterius exhibuit, expressit quod interius gessit. Quia enim discipulos, et zelo succensos et verbo eruditos interius reddidit, foris linguas igneas ostendit. In significatione igitur admota sunt elementa, ut ignem et sonitum sentirent corpora, igne vero invisibili, et voce sine sonitu docerentur corda. Foris ergo fuit ignis, qui apparuit, sed intus, qui scientiam dedit. » Et optime Joannes Rusbrochius, propter cœlestes illustrationes alter Dionysius Areopagita nuncupatus, lib. II. spiritualium nuptiarum, ca. XXV. sic ait : « Interdum vero quidam supra seipsos, et supra spiritum suum, non tamen omnino extra seipsos in quoddam incomprehensibile rapiuntur bonum. Quod eo modo, quo ipsum vel viderunt, vel audierunt, nullis unquam verbis exprimere, aut indicare valent : etenim in hac operatione et visione simplici audire et videre unum sunt : nec potest hoc agere quisquam in homine, nisi solus Deus, qui etiam citra medium vel cujuslibet creaturæ operationem id efficit. » P. Suarez, 3. p. quæ. XXX. art. I. disp. 9. sect. 2. §. ad difficultatem, dicit : « Hoc genus revelationis esse valde extraordinarium, quando scilicet elevatur intellectus ad cognoscendum sine operatione phantasiæ, quia hic modus non est accommodatus animæ unitæ corpori passibili, et ideo raro, et tantum ex singulari privilegio conceditur. » Et quia secundum eumdem D. Gregorium ibidem, locutio divina duobus modis distinguitur, aut per semetipsum Dominus loquitur, ut modo vidimus, aut per creaturam angelicam ejus ad nos verba formantur. De quo in sequentibus erit agendum.

Deus per se, per Angelos, per Apostolos et alios loquitur et qualiter fiant istæ locutiones.

« De Dei locutione, quando voluntatem suam per Angelum indicat, aliquando eam, secundum D. Gregorium loco citato, verbis tantum demonstrat, cum nihil in imagine ostenditur, sed supernæ verba locutionis audiuntur. Sicut dicente Domino, Joan. XVII. *Pater, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te;* protinus respondetur; *Et clarificavi, et iterum clarificabo.* Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intimæ clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit : sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua, quæ ab hominibus audiri voluit, rationabili creatura administrante, formavit. »

« Aliquando Deus tantum rebus per Angelos loquitur, cum nihil verbo dicitur, sed ea, quæ futura sunt, assumpta de elementis imagine, nuntiantur. Sicut Ezechiel nihil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit, ut videlicet, dum solam speciem aspiceret, quæ essent in novissimis ventura, sentiret : electrum quippe ex auri, argentique metallo miscetur, in qua permixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro, nisi Mediator Dei et hominum demonstratur? Qui dum semetipsum nobis ex divina, atque humana natura composuit, et humanam per deitatem clariorem reddidit, et divinam per humanitatem nostris aspectibus temperavit. Quia enim virtute divinitatis ejus tot miraculis humanitas fulsit, ex auro crevit argentum, et quod per carnem Deus cognosci potuit, quodque per carnem tot adversa toleravit, quasi ex argento temperatum est aurum. Quod bene, et in medio ignis ostenditur, quia Incarnationis ejus mysterium subsequens judicii flamma comitatur, scriptum quippe est, Joan. V. *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* »

« Aliquando etiam, ait D. Gregorius, loco

citato, cap. 3. per Angelos loquitur Deus verbis et rebus simul, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Nec enim Adam post culpam in divinitatis substantia videre Dominum potuit, sed increpationis verba per Angelum audivit, de quo scriptum est Gen. 3. *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradisi.* Quid est enim, quod post peccatum hominis, in paradiso Dominus jam non stat, sed deambulabat, nisi quod irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat? Quid est, quod ad auram post meridiem, nisi quod lux ferventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpavit ergo Adam deambulans, ut cæcis mentibus nequitiam suam, non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret, quatenus peccator homo, et per verba, quod fecerat, audiret, et per deambulationem, amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, et per auram, fervore charitatis expulso, torporem suum animadverteret, et per declinationem solis cognosceret, quod ad tenebras propinquaret. »

« Aliquando autem, secundum eumdem, imaginibus cordis oculis extensis, per Angelos loquitur Deus. Sicut Jacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit, Genes. XXVIII. Sicut Petrus linteum reptilibus et quadrupedibus plenum in ecstasi raptus aspexit, Actor. X. qui nisi in corporeis oculis hæc cerneret, in ecstasi non fuisset. Sicut Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit, qui transire eum in Macedoniam rogavit, Actor. XVI. »

« Aliquando etiam, teste eodem Gregorio, per Angelos loquitur Deus, imaginibus ante corporeos oculos ad tempus in aëre assumptis, sicut Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere, et non solum suscipere, sed eorum usibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli quædam nobis interna nuntiantes ad tempus ex aëre corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent, nec cibos cum Abraham caperent, nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti elemento gustarent. Nec mirum, quod illic ipsi, qui suscepti sunt, modo Angeli, modo Dominus vocantur : quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant : et appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat, ut per hoc præsidentis imperium, et per illud claresceret officium ministrantium. »

« Aliquando per Angelos loquitur Deus cœlestibus substantiis, sicut baptizato Domino scriptum est, Matth. III. quia de nube vox sonuit dicens : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* »

« Aliquando vero per Angelos loquitur Deus terrenis substantiis, Numer. XXII. v. 28. sicut cum Balaam corripuit in ore asinæ, humana verba formavit. Aliquando simul terrenis et cœlestibus substantiis per Angelos loquitur Deus, sicut ad Moysem in monte ; cum jussionis suæ verba edidit, ignem, rubumque sociavit, atque aliud superius, aliud inferius junxit. Quod tamen tunc solum agitur, cum ex ipsa aliquid conjunctione signatur. Nam per succensum rubum Moysem alloquens, quid aliud ostenditur, nisi quod ejus populi ductor fieret, qui et legis flammam perciperet, et tamen peccati spinam nequaquam vitaret? vel quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas susciperet, et inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa divinitatis flamma, servaret? » Hæc D. Gregorius, loco citato, cap. 5.

« Nonnunquam vero humanis cordibus etiam per Angelos Deus secreta eorum præsentia virtutem suæ aspirationis infundit. Unde et Zacharias ait, cap. I. in fine : *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me.* Dum ad se quidem, sed in se tamen loqui Angelum dicit, liquido ostendit, quod is, qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Unde et paulo post subdidit : *Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur* : sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem Dei prophetarum sensibus innotescunt, atque eos ita ad sublimia sublevant, et quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrant. Atque inde quasi de quodam rerum vertice, quæ infra se ventura sunt, videat. » Et hoc locutionis modo per Angelum suum usus fuit Deus cum sanctissimo nostro Josepho, ut infra dicemus.

Visiones corporales vigilantium, et imaginariæ dormientium communes sunt bonis et malis, et quamplurimæ falsæ et insanæ.

Circa hanc tamen apparitionum, visionum et revelationum varietatem advertendum est primo cum D. Bonaventura, in opusculo de processu religionis, cap. 18. « Quod visiones corporales, quæ vigilanti corporaliter ostenduntur, et visiones imaginariæ, quæ sive in vigilia, sive in somno, sive in excessu men-

tis rapto ostenduntur non corporaliter, sed imaginarie, istæ omnes visiones conveniunt simul in hoc, quod non solum bonis, sed etiam malis ostenduntur, et sic hujusmodi visiones non faciunt sanctum, neque ostendunt, alioquin Balaam sanctus esset, et ejus asina, quæ vidit Angelum : et Pharao, qui vidit somnia præsagia futurorum. Unde etiam si visiones istæ veræ sint, tamen per se meritoriæ non sunt. Et qui multa talia videt, non est melior : et qui nulla, non est minor, sicut est de miraculis aliis. Immo pluribus sæpe visiones istæ magis nocuerunt, quam profuerunt, quasi inaniter inde gloriantes extollebantur. Multi etiam alii putantes visiones vidisse, quæ non viderant, seducebant se et alios, et ad quæstum avaritiæ retorserunt. Multi præterea finxerunt se mendaciter vidisse visiones ; aut ne haberentur inferiores cæteris, aut præ cæteris honorarentur, quasi sanctiores, quibus secreta Dei ostendebantur. De quibus Ezech. xv. *Vidistis visionem cassam, et divinationem mendacem locuti estis ;* et ut expertus (quod omnibus innotescit, concludit Sanctus) in quibusdam etiam solent hujusmodi visiones esse præludia insaniæ, quia cerebro fuso, et fumis ipsum obnubilantibus, visus oculorum confunditur, ut putent sibi apparere aliquid veraciter, quod phantasticum est, juxta illud Eccles. xxxiv. *Sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, ne dederis cor tuum illis.* »

Nihil prosunt visiones et signa, nisi Deus interius operetur.

Ex quo satis aperte constat, secundum D. Augustinum, in lib. XV. de Civitate Dei, c. xvi. ad fin. « Quod Spiritus sanctus operatur intrinsecus, ut valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus , alioquin etiam si Deus ipse utens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos sive istos corporis, sive illos, quos istis simillimos habemus in somnis, neque interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. » Et D. Thomas, super Joannem, cap. iii. lect. 2. explicans illud, *Spiritus ubi vult, spirat, et vocem ejus audis*, etc. sic ait : « Secundum Augustinum, Spiritus sancti est duplex vox, una, quæ loquitur intus in corde hominum, et hanc audiunt solum fideles et sancti, de qua dicitur Psalm. lxxxiv. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Alia est, qua Spiritus sanctus loquitur in Scripturis, vel per prædicatores, secundum quod dicitur, Matt. xii. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri*, etc. et hanc audiunt etiam infideles et peccatores. »

In revelationibus externis figuræ apparentes veræ sunt in repræsentando, non in essendo.

Secundo est advertendum cum D. etiam Bonaventura in opusculo de processu religionis, cap. 18. « Quod ipsæ corporalium visionum figuræ, cum veræ sint secundum spiritualem significantiam, non sunt veræ secundum rei existentiam. Non enim verum est substantialiter esse boves in cœlo, vel leones, vel aquilas et alia quæ in Apocalypsi et aliis prophetarum visionibus describuntur, sed ibi sunt cœlestes virtutes, quorum merita, vel officia istarum bestiarum, vel aliarum rerum proprietatibus figuraliter designantur. Credimus Christum glorificatum in cœlo, neque ultra secundum suæ substantiæ veritatem nasci de Virgine, lactari, vel pasci, vel alia, quæ Evangelista docet, eum fecisse historialiter, dum corporaliter cum hominibus in terra conversabatur, et tamen sic sæpe refertur aliquibus sanctis apparuisse in visione, vel nascens, vel matris ubera lactans, vel extensus in cruce, non quod ita secundum veritatem fieret, sed quod illis propter aliquam singularem considerationem, et devotionis exercitationem, vel propter aliquam spiritualem significationem, sicut apparet per Paulum ad Rom. vi. cum dicit : *Scimus enim quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur.* Sic neque ultra corporaliter lactabitur, vel nascetur, etc. »

Et quamvis inter sanctos et doctores controversum sit, utrum Christus Dominus post suum in cœlum ascensum cœlum deserens ad terram iterum corporaliter redierit ; unum tamen ut certum docet D. Thomas, 3. p. q. LVII. art. vi. ad 3. quod « dignitati Christi non derogat, si ex aliqua dispensatione quandoque corporaliter ad terram descendat, ut ostendat se alicui specialiter præsentia corporali. » Qua dispensatione sancti Patres, qui de Assumptione Virginis loquuntur, Christum Dominum fuisse usum non dubitant. Ut resolvit P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. LVIII. ar. iv. disp. 51. sect. 4. per totam, ubi in fine sic concludit : « Quanquam de aliis apparitionibus res sit dubia et incerta, de hac autem descensione ad B. Virginem in die Assumptionis non videtur verisimile, tunc simul in cœlo mansisse, sed eo tempore cœlestem locum reliquisse. Et ita sentiunt sancti Patres, qui de hoc mysterio loquuntur. »

Angelus in hominis mente non operatur immediate.

Tertio advertendum est Angelos neque mentibus hominum, neque aliorum Angelorum producere quidquam posse immediate, atque adeo neque cognitionem, neque revelationem, sed solum proponendo exterius objecta, aut movendo imaginationem. Quare revelationes, quæ interius prophetis fiunt, aliæque spirituales illuminationes, quibus et prophetas ipsos et alios sanctos viros Spiritus sanctus illustrat, a Deo efficiuntur immediate sine interventu ministerii Angelorum. De quo videndi sunt D. Thomas, I. p. q. CV. art. III. et IV. et q. CXI. art. I. II. III. et IV. et in 2. sent. dist. VIII. q. III. ad 5. et P. Molina I. p. q. LVII. art. V. disp. 2. ad fi. §. Illud circa verba.

Regulæ in spiritibus discernendis observandæ.

Circa modum ad discernendos spiritus servandum, et sancti et doctores experti plures regulas tradiderunt, ex quibus præcipuas aliquas referre erit conveniens. Prima est D. Thomæ, 2. 2. quæst. X. art. II. ad 3. quando id, quod revelatur, divinæ Scripturæ, Ecclesiæ traditioni et ordinationi esset conforme, et statui similiter personæ. Ita quod anima in fide et moribus amplius illustretur et solidetur, ut advertit D. Bernardinus Senensis, to. III. serm. 3. de inspirationum discretione, c. 4. in principio; de qua in lib. II. tract. VI. egimus. Secunda, si anima ex tali inspiratione vel illustratione amplius humiliatur, quam late prosequitur D. Bernardinus Senensis loco proxime citato, cap. 3. Tertia, quod talis visio, aut revelatio sit utilis eam habenti propter aliquam urgentem necessitatem, vel notabilem aliquam spiritualem ædificationem : semper enim Deus utilia docet. De qua videndi sunt Henricus Suson, serm. 3. pag. 201. Et latissime spiritualium rerum magister Joannes de Avila in suo lib. Audi filia, a cap. 50 usque 56. et D. Catharina Senensis in tract. II. Dialogorum, cap. 71. per totum, et tract. III. cap. 106. et Seraphinus Firmianus in Speculo interno, cap. II. per totum. Et de aliis quamplurimis regulis ad discernendos spiritus, consulendus est D. Bernardinus Senensis, tomo III. serm. 2. 3. et 4. post Pentecosten, a pagina 21. usque ad 65. ubi latissime.

In ipsa nocte tribulationis, apparuit Angelus Josepho.

His suppositis, jam ad particularia sanctissimi nostri Josephi angelicæ apparitioni attinentia devenientes, inquit Evangelista : *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit*, etc. Eo, inquam, ipso tempore, in ipsamet tribulationis nocte, quando Joseph Virginem dimittere cogitabat, ut in hujus IV. lib. tract. V. diximus. Quod si roges, cur ergo ad Mariam, antequam concipiat, Angelus mittitur; Luc. I. v. 26. Josepho autem post conceptum? P. Joannes Maldonatus super ista verba : *Hæc autem eo cogitante*, ita respondet : « Causa, ut opinor, fuit, quod a Maria, ut esset sponsa Spiritus sancti, ex eoque conciperet, consensus requirendus fuit. Deinde quod non decebat ignorare Virginem, quem in utero gereret, et unde concepisset. Prius enim, ut D. Augustinus, lib. de sancta virginitate, et D. Leo, ser. de Natali Domini dixerunt, Christum fide, quam carne concepit, quam non admonita habere non poterat. » Hanc et aliam causam D. Chrysostomus, homil. 4. in hoc I. cap. Matth. assignavit dicens : « Ne scilicet Joseph de rei novitate dubitaret, et tale quid forsitan pateretur, quale Zachariam legimus pertulisse. Facile quippe est credere verum esse, quod dicitur, quando jam res ipsa oculis offertur. Antequam vero incipiat fieri quod promissum est, laboriose prorsus dicta, et præsertim inusitata creduntur. Propterea istud nec Angelus indicavit, et Virgo id, quod et audierat et sentiebat, abscondit. » Et paulo inferius : « Oportebat quippe, ait, imperturbatum illum esse uterum, quem hominum ingressurus erat Creator : decebat illam profecto animam ab omni esse immunem cogitationum tumultu, quæ tanti electa est ministra mysterii. Propterea Virgini quidem ante conceptum, viro autem, ipso jam instante partus tempore nuntiatur. »

Visio facta in somnis, ut facta Josepho, absque corporis assumptione, est præstantior.

In somnis. Id est, vere dormienti Josepho apparuit Angelus, ut late probat Abulensis super hoc c. I. Matth. q. 56. quod in maximam sanctitatis Josephi laudem cedit, ut advertit D. Chrysostomus, in dicta hom. 4. his verbis : « Et cur in somnis, et non potius aperte sicut pastoribus et Zachariæ apparuerat Angelus, et Virgini? Quia scilicet erat vir prorsus fidelis, et manifestiori revelatione non indigens. » Maxime quod a Virgine, ut modo vidimus, fides, consensusque fuit requirendus, ut bene hoc loco advertit P. Maldonatus. Tum etiam quia visio in somnis et in corde quamdam habet excellentiam, ut optime Christianus Druthmarus super hoc I. cap. Matth. agens de apparitione et revelatione Josepho facta, dixit in hæc verba : « Tria ponuntur genera visionum, unum per corporeos oculos, sicut Abraham et Loth Angelos viderunt, et locuti sunt cum eis.

Aliud in corde, sicut Danieli locutus est in corde, quæ Balthasar oculis corporalibus viderat, et non intellexerat. Tertium in somnis et in corde, sicut ad Isaiam et omnes prophetas, et ad Josephum Virginis sponsum: quæ visio excellentior est aliis. » Et paulo inferius unum, quod nos supra tetigimus, advertit. « Nihil enim, inquit, prodest oculis videre corporalibus, sicut vidit Balthasar, nisi quis et mente videat, sicut vidit Daniel eamdem visionem: similiter nihil prodest videre in somnis, ut vidit Pharao et Nabuchodonozor, nisi adsit, qui sic videat, sicut vidit Daniel et Joseph. Eo ergo modo, quo perfectis ab initio locutus est Deus, eo etiam modo locutus est Josepho sponso Virginis, quia quæ vidit in somnis, intellexit et credidit. »

Quod si roges utrum Angelus iste Josepho in propria persona aëreo corpore indutus apparuerit? Solent enim Angeli, cum ad nos a Deo mittuntur corporibus aëreis accidentaliter, ut motor mobili uniri, habetque tale corpus assumptum hoc particulare, quod sit similitudo Angeli assumentis, aliquo modo ipsum repræsentans, et quasi ipsius persona apparens, ut docet D. Thomas, 1. p. q. LI. a. II. ad 2. Idque Angeli faciunt non propter se, sed propter nos, ut nobis in commodum nostrum appareant, ut late probant P. Vazquez super D. Thomam in eodem loco, disp. CLXXXIV. cap. I. ad finem, §. Tertio notandum; et P. Molina in eodem etiam loco, ar. III. in fine. §. Unum superest advertamus.

P. Barradas, tom. I. lib. VIII. cap. 6. ad principium, §. Dubitabis, in hunc modum respondet: « Neque apparuisse Angelum in somnis Josepho in persona propria aëreo corpore indutum, neque voce, quæ auditu corporis percipi posset, cum Josepho locutum. Hæc enim apparitio vigilantium est. Visus ergo est, et locutus Angelus cum Josepho dormiente per species phantasiæ impressas, quæ Angelum, et præsentem et loquentem repræsentabant. Hujusmodi autem visio dormientium est, et dormienti Josepho conveniebat. Certissime vero cognovit tum Dei illam esse revelationem, tum quid significaret. Etenim cum Deus, ut alicujus rei cognitionem tribuat, somnium immittit: id ita agit, ut in certissimam homo revelationis, reique cognitionem adducatur. »

Apparuit Angelus. Istum Angelum Gabrielem Archangelum possumus intelligere, qui nuntiaverat B. Mariæ dicens: *Ecce concipies et paries filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel*, ut docet D. Augustinus, serm. 14. de Tempore, post medium, et Haymon, et Druthmarus hoc loco, et P. Salmeron, tom. III. tract. XXX. §. Ecce Angelus Domini, ubi ex D. Augustino appellat Gabrielem Verbi ministrum. Quod satis constat ex illo Danielis IX. v. 21. *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione, a principio*, etc. Et Isolanus, II. part. cap. VIII. sic explicuit: « Quis vero Angelus fuerit ista operatus? divina tacent eloquia quidem: sed rationabiliter credi potest, quod Gabriel fuerit. Qui enim Salvatoris conceptum nuntiavit, ejusdem quoque progressum custodivisse rationabile est. Hic est Gabriel, qui sancti Joannis ortum prolocutus est, et totius Incarnationis Filii Dei mysteriorum executor. Qua ratione opinamur eumdem esse Gabrielem, cujus admonitione Joseph secessit in Ægyptum, et reversus est in terram Israel. Et latius P. Suarez, tom. II. in 3. part. q. XXX. art. I. usque ad IV. disp. 9. sect. 1. in medio §. sed ex prædicta, in hæc verba: « Omnes aliæ legationes, quæ de hoc Angelo Gabriele leguntur, ad hoc Incarnationis mysterium specialiter ordinabantur. Nam Danieli nuntiavit tempus adventus Christi, et præclarum illud signum septuaginta hebdomadarum dedit: Zachariæ vero dixit illa verba: *Ipse præcedet ante ilum*, id est, ante Christum, *in spiritu et virtute Eliæ;* quibus significavit jam proprie instare Christi adventum. Ex quo etiam verisimile est quod D. Bernard. hom. 1. de Annuntiatione indicat, eumdem fuisse Angelum, qui Mat. I. et II. Josepho apparuit, et qui Virgini filium nuntiaverit, quia totum illud erat veluti unum ministerium ad eumdem proximum finem ordinatum. »

Gabriel, cui Incarnationis mysterium fuit commissum, apparuit Josepho.

Sit ergo pro istius tractatus complemento unica conclusio. Apparitio angelica et divina revelatio Josepho dormienti facta verissima fuit, ut ex nostro patet Evangelio: *Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis, dicens*, etc. In ea enim omnes conditiones et qualitates a sanctis et doctoribus ad veritatem cujusque revelationis probandam, de quibus superius egimus, reperiuntur congregatæ. Et in primis fuit conformis divinæ Scripturæ dicenti Isaiæ VII. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium*, etc. *Femina circumdabit virum*, etc. et Joel II.

Revelatio Josepho facta vera fuit secundum omnes regulas.

v. 28. *Et erit post hæc, effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt.* Et ideo idem Angelus cum Josepho in apparitione loquens, suam hanc revelationem divinæ Scripturæ testimonio confirmavit, dicens ei : *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Secundo fuit hæc apparitio conformis statui sanctissimi Josephi, qui in somno dubietatis dimittendi Virginem maxime laborabat, a qua in suam et omnium sæculorum utilitatem, immo et necessitatem fuit apparitione et revelatione hac liberatus, dicens ei : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam . Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Deinde subdit communem utilitatem : *Pariet autem filium, et vocabis nomem ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Tertio majorem in Josepho humilitatem causavit : nam qui propter humilitatem se indignum recognoscens, dimittere Virginem cogitabat, ut in tract. IV. per totum hujus lib. IV. resolvimus ; nunc propter eamdem profundissimam humilitatem cum obedientia conjunctam ministerium consolandi Virginem, et Christum Dominum nutriendi libentissime, et quam citissime acceptavit, ut noster ait Evangelista. *Excurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam*, etc. Propter quod Isolanus, II. p. c. VIII. ita concludit : « Fuit ergo modus hujus apparitionis præclarus ratione Angeli facientis, et Joseph suscipientis ; fuit mirabilis, quia conformis statui S. Joseph : nam somno dubietatis laborabat : fuit denique venerabilis, quia illa summæ secretum venerationis intellexit, omni dubietate repulsa. Nulla vero sanctarum visionum per somnum hac est celebrior : quoniam nullus ambigendi locus mentis S. Josephi remansit, sed visionis omne secretum profundissime cognovit, assensit, et illico mandantis Angeli imperio obtemperavit. »

A strepitu rerum temporalium liberi, et Deo vacantes visitationem merentur Angelorum.

Ex eo autem, quod in somnis Josepho Angelum apparuisse dicit Evangelista, colligit optime ad nostram omnium utilitatem salutare documentum ab hominibus spiritualibus præcipue recolendum, memoriæ retinendum, et executioni mandandum Haymon super hunc locum. « Spiritualiter, inquit, illa apparitio Angeli per somnium mystice nobis innuit, quod qui dormiunt sæculo, id est, a curis mundanis sunt remoti, et vigilant Deo bonis operibus, illi merentur præsentiam Angelorum sibi adesse in custodiam sui. Illi taliter possunt dicere cum Ecclesia in Cantico Canticorum IV. *Ego dormio, et cor meum vigilat.* In oratione scilicet, et in omni voluntate Dei implenda. » Et Henricus Suson, vir sanctitate, religione et rerum spiritualium experientia clarus, in appendice sublimium quæstionum, c. 19. in fine idem prosequitur. Quod in Jacob dormiente, et scalam illam cœlestem vidente satis ostenditur ; de quo Gen. XXVIII. v. 11. et 12. dicitur : *Cumque venisset Jacob ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam.* » Quem locum D. Gregorius, lib. V. Moral. c. XXI. et XXII. ad nostrum propositum sic explicat : « Sancta mens quo se a strepitu temporalis concupiscentiæ comprimit, eo verius interna cognoscit, et tanto alacrius ad intima vigilat, quanto se ab exteriori inquietudine occultat. Quod bene per Jacob in itinere dormientem figuratur, qui ad caput lapidem posuit, et obdormivit : a terra scalam cœlo inhærentem, innixum scalæ Deum, ascendentes quoque et descendentes Angelos vidit. In itinere quoque dormire, est in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium amore quiescere. In itinere dormire, est in dierum labentium cursu, ab appetitu visibilium mentis oculos claudere, quos primis hominibus seductor aperuit. Angelos vero ascendentes, et descendentes cernere, est civés supernæ patriæ contemplari : ut quanto amore auctori suo semetipsos transcendendo inhæreant. »

« Et notandum est valde, quod ille dormiens Angelos conspicit, qui in lapide caput ponit : quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui Redemptoris observat. Caput quippe in lapide ponere, est mente Christo inhærere : qui enim a præsentis vitæ actione remoti sunt, sed ad superna nullo amore rapiuntur, dormire possunt ; sed videre Angelos nequaquam possunt, quia

caput in lapide tenere contemnunt. Quibus plerumque contingit, ut quanto securius ab externis actionibus cessant, tanto latius immundæ in se cogitationis strepitum per otium congerant. Unde sub Judææ speciem per prophetam torpens otio anima defletur, cum dicitur Thren. I. v. 7. *Viderunt eam hostes, et deriserunt sabbatha ejus.* Hostes ergo sabbatha videntes irrident, cum maligni spiritus ipsa vacationis otia ad cogitationes illicitas pertrahunt: ut unaquæque reproba anima, quo remota ab externis actionibus servire Deo creditur, eo magis eorum tyrannidi illicita cogitando famuletur. »

Et ideo his ab externis actionibus vacantibus, ut simul rebus spiritualibus contemplandis vacent, consulit et hortatur David Psal. XLV. dicens, *Vacate et videte quoniam ego sum Deus;* et Richardus de S. Victore, lib. I. super Apoc. I. p. c. 1. ante medium, eodem intentu ait: « Beatus Joannes relegatus exilio a strepitu mundi, et inquietudine remotus, et quieti deditus, hanc Apocalypsim a Domino accepit, per quod nobis significatur, quod illi, qui internam quietem diligunt, ipsi de invisibilibus bonis mira cognoscunt: et quanto se a temporalibus amplius elongant, tanto magis æternis appropinquant; et quamvis mare sæcularium perturbationum foris per circuitum fluctuet, ipsa tamen humana mens si per internam aspirationem intra semet ipsam fuerit collecta, quasi in cujusdam insulæ stabilitate posita divinis per contemplationem inhæret. »

Optima quippe insula, et ab omni perturbatione aliena divina est contemplatio. *In nidulo meo moriar, et sicut palma multiplicabo dies*, dicebat S. Job, c. XXIX. v. 18. Quæ omnia in spiritualem mentis solitudinem apte convenient, qua veluti in nido animus conquiescit, plumescitque virtutum pennis: ibi enim spiritualis turtur invenit sibi nidum, ubi pullos suos sancta desideria, recta et divinæ voluntati conformia opera ponat. De quo post D. Gregorium agit P. Viegas, in Apoc. cap. XII. comment. I. sect. XV. n. 3. Quapropter David obnixe a Deo petebat, Psal. LIV. v. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine a pusillanimitate spiritus, et tempestate*, secundum D. Gregorii explicationem, lib. IV. Mora. c. XXVIII. dicentis: « Sane David sibi solitudinem construxit, cum dixit: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Fugiens enim se elongat, qui a perturbatione desideriorum temporalium in altam Dei contemplationem se sublevat: manet vero in solitudine, qui perseverat in remota mentis intentione. » In quo tandem S. Isidorus, lib. II. Sent. cap. I. de sapientia. n. 6. sic concludit: Nullus sapientiam Dei plene recipit, nisi qui se ab omni abstrahere actionum cura contendit. Unde scriptum est, Eccle. XXXVIII. v. 25. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* »

Ex quo clare patet, quod quamvis, teste D. Basilio, corporalis quies initium sit purgationis animi, cum neque lingua res humanas loquitur, neque oculi corporum colores circumspiciunt, neque aures animi intentionem solvunt audiendis dictis scurrilibus, aut ridiculis, quibus animæ intentio languescere maxime solet, non tamen hæc corporalis quies, hæc ab exterioribus actionibus abstractio sola sufficiens est, nisi mens simul ad Deum per rerum divinarum contemplationem elevetur, ut advertit D. Augustinus, lib. de vita eremitica ad sororem, c. 2. v. 1. « Quid tibi visum fuit, cum te huic institutioni voveres? nam multi rationem hujus ordinis vel ignorantes, vel non curantes membra tantum intra parietes cohibere satis putant esse, cum mens non solum per vagationem dissolvatur curis, et sollicitudinibus dissipetur, immundis etiam et illicitis desideriis agitetur; sed etiam lingua tota die per vicos et civitates, per foros et nundinas otiose discurrat. » Et Cæsarius admonitione 28. « Videte, inquit, vocationem vestram, fratres charissimi. Venire ad eremum summa perfectio est; non perfecte in eremo vivere, summa damnatio est. Quid prodest, si in loco quies teneatur, et inquietudo corde servetur? si in habitatione sit silentium, et in habitatoribus sit tumultus, et colluctatio passionum? Si exteriora vestra serenitas teneat, et interiora tempestas? » Et S. Bernardus, ser. 3. in Cœna Domini, post medium sic pulcherrime ait: « Quanti monachi in monasterio dicti sunt, qui aliis lugentibus, rident, aliis dolentibus, gaudent? Corpore claustrales, mente vagi, et nunquam stabiles, pigri ad lectionem, tardi ad orationem: in Ecclesia dormientes, in refectorio vigilantes, de vigiliis longis dolentes, sed de longo convivio gaudentes. Claustrum execrantes, auditorium diligentes. Extra chorum pro infirmitate frequentius remanentes,

Corporalis quies bona est, sed hominis spirituali non sufficit.

infirmitorium non pro infirmitate carnis, sed pro desiderio carnis torvis luminibus aspicientes, semper murmurosi et detractores: Profecto isti tales traditorem Judam sequuntur, et cum Juda, nisi resipuerint, videant ne damnentur. »

quisque ndum n curet ni va- et so- cum lo solo sse.

Et idem Cæsarius in dicta admonitione 28. « Neque enim hoc a me dictum arbitretur, quod homines ad eremum cum Joanne impellam, sed quod unusquisque a sæcularium hominum consuetudine sese, quantum cujusque status et ordo permiserit, abducat, ut commodius Deo vacare possit. » Et quod unusquisque etiam inter multitudinem hominum vivens sciat cum solo Christo Domino, saltem ad tempus vacare, ut docet D. Bernardus, ser. 40. in Cant. his verbis : « O sancta anima sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos, secede ab amicis et intimis, etiam ab illo, qui tibi ministrat. Secede ergo, sed mente, non corpore, sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si non recorderis injuriarum : alioquin neque si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te, et solum inter multos, et inter multos, cum solus es ? Interdum etiam corpore te separa, præsertim tempore orationis, juxta mandatum sponsi, et formam, Matth. VI. *Tu cum oraveris, intra cubiculum tuum, et clauso ostio ora.* Et quod dixit, fecit. *Solus in oratione pernoctabat*, Luc. VI. »

Ad quod perfecte assequendum observanda sunt quæ D. Bonaventura in prologo opùsculi, Parvum bonum, vel, Amoris incendium. « Primo quidem, ait, ut omnem terrenam dignitatem fugiant, omnem ostentationem scientiæ, et vanam gloriam odiant, ac demum paupertati altissimæ se conformantes, orando et meditando divinæ dilectioni jugiter assistant : sic nimirum apparebit eis interius igniculus quidem virtutis increatæ, et componens cor eorum ad capiendum calorem, quo cuncta caligo consumetur. Elevabit eos in ardorem amabilem et amœnissimum, ut temporalia transcendant, et thronum teneant in termino tranquillitatis. »

acare Deo, gotium est omnium egotiorum.

Et quid mirum, obsecro, si hæc et omnia alia bona possibilia pro Dei dilectione exigantur, cum Cant. VIII. v. 7. ab ipsomet divino Spiritu dicatur : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Unde vacare Deo, vacare orationi, vacare divinæ contemplationi, non tempus perdere frustra, non otium reputari debet inane, sed negotium negotiorum omnium. S. Bernardus, epist. ad Fratres de monte Dei, longe ante medium : « Otiosum non est vacare Deo, immo negotium negotiorum omnium hoc est, quod quidcumque in cella non agit fideliter, et ferventer, quodcumque agit, quod propter hoc non agit, scilicet, ut Deo serviatur ; in eo quod agit, otiatur. » Hujusmodi enim spiritualis homo, quamvis inexpertis, et exteriora tantum considerantibus otiosus esse videatur, est tamen maxime actuosus, ut elegantibus his verbis explicuit S. Ambrosius, lib. III. Officiorum, cap. I. « Non primus Scipio scivit solus non esse, cum solus esset, scivit ante ipsum Moyses, qui cum taceret, clamabat, cum otiosus staret, præliabatur, adeo otiosus, ut manus ejus alii sustinerent ; nec minus quam cæteri negotiosus, quo otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere, qui dimicabant. Cujus autem majora negotia, quam hujus otia, qui quadraginta diebus positus in monte totam legem complexus est? quando ergo justus solus est, qui cum Deo semper est? Quando solitarius est, qui nunquam separatur a Christo ? Et ideo S. Job. cap. VII. v. 15. dicebat : *Elegit suspendium anima mea, et mortem ossa mea : desperavi, nequaquam ultra jam vivam.* Ubi D. Gregorius : Anima, inquit, suspendium elegit, ut ossa moriantur, quia dum mentis intentio ad alta se sublevat, omnem in se fortitudinem vitæ exterioris necat. Animam suam Paulus suspenderat, cum dicebat ad Galatas II. *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Recte autem subdit : *Desperavi* : justi enim desperare est, præsentis vitæ bona æternitatis electione deserere, mansura quærere, et in bonis temporalibus fiduciam non habere. »

Vox Dei delicata est, et ab alienatis a strepitu auditur.

Permaxime, quod vox Dei nimis delicata est, et ab illis solis, qui ad cordis solitudinem convertuntur, exauditur, juxta illud Psal. LXXXIV. v. 9. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.* Qua ratione dixit Deus Eliæ, III. Reg. XIX. v. 12. *Egredere, et sta in monte coram Domino ; ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, et post spiritum commotio : non in commotione Dominus, et post ignem sibilus au-*

ræ tenuis, et ibi Dominus. Ubi Glossa ordinaria : « Quasi sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. » Et melius multo D. Gregorius, lib. V. Moral. c. XXVII. explicans eadem fere verba S. Job. c. IV. *Et quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus, et vocem quasi auræ lenis audivi*, dicit : « Quid enim per vocem auræ lenis, nisi cognitio Spiritus sancti designatur? qui nostræ tenuiter notitiæ infirmitatis infunditur? Vox ergo Dei quasi auræ lenis auditur, quia in hac adhuc vita positis contemplatoribus suis nequaquam se divinitas sicuti est, insinuat, sed lippientibus mentis nostræ oculis claritatem suam tenuiter demonstrat. » Et ideo propheta ad hanc Dei delicatissimam vocem audiendam : *Egressus stetit in ostio speluncæ.* Super quo D. Gregorius, loco proxime citato sic explicat : « In ostio speluncæ stetisse describitur. Quid namque spelunca nostra est, nisi hæc corruptionis habitatio, in qua adhuc ex vetustate retinemur? sed cum aliquid percipere de cognitione divinitatis incipimus, quasi jam in speluncæ nostræ ostio stamus. In ingressu autem speluncæ stare est, represso nostræ corruptionis obstaculo, ad cognitionem veritatis incipere exire. »

Quod etiam confirmatur ex eo quod ex magno illo philosopho Pythagora refert Aristoteles, lib. II. de Cœlo, c. IX. text. 52. et 54. quod orbes isti cœlestes ex differentibus motibus et raptu musicam suavem, et concentu plenam causant : quam neque audiunt, neque audire possunt homines turpitudini, et rebus exterioribus dediti ; sed tantum philosophi, qui ab strepitu rerum corporalium sequestrati, cœlestia naturalia in silentio contemplantur. Quæ hujus gravissimi auctoris sententia, licet ab Aristotele et D. Thoma, lect. 14. in esse naturæ rejiciatur ; sed in sensu mystico sumpta utilis esse poterit. Ut notavit Simplicius in eodem loco : et melius David, Psal. XVIII. in principio : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Ad quod necesse est inclinare aurem, oblivisci populum, et cujusque domum Patris.

Neque credendi, neque audiendi, immo et severe increpandi sunt, qui audent impudenter asserere, se toto desiderio curare, et nullo modo exteriorum strepitum occupationum vitare posse. Audiant qui hujusmodi sunt, Senecæ prudentissimi hanc sententiam in suis epistolis : « Omnes vacant, qui volunt ; neminem res sequuntur, ipsi illas amplexantur, et argumentum felicitatis occupationem esse putant. » Sed melius et præstantius D. Gregorius, hom. 8. super Ezechielem sic ait : « Sicut sunt nonnulli, qui quietem cunctis mundi præmiis, atque honoribus præponunt : ita nonnulli, qui, ut in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur jurgiis, et quamvis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum devicti, delectabiliter fatigantur. Quibus per prophetam Oseam X. dicitur : *Ephraim vitula docta diligere trituram.* Vitula enim in tritura areæ assueta, etiamsi relaxatur a labore, sponte redit. » Et idem D. Gregorius, lib. XX. Moral. c. XVI. eodem intentu ait : « Vitula enim trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque, ad eumdem laboris usum etiam non compulsa revertitur : ita pravorum mens hujusmodi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usu miseræ conversationis trituram laboris quærit, ut a jugo mundanæ servitutis cessare non libeat, etiamsi liceat. » Idemque S. Doctor homil. 8. super Ezechielem explicans illa verba : *Fons meretricis facta est tibi, et noluisti erubescere*, Ezech. III. unum ita verum, sicut expertum et deplorandum dixit : « Sic quibusdam pravis mentibus nihil est laboriosius, quam si eis præcipitur, ut in hujusmodi actibus non laborent : nam sæpe quidam repulsi ab actione terrena deprecantur, ut redeant ; rogant, ut premantur ; grave se incurrisse periculum quietem putant. Attrita ergo fronte sunt, qui non solum labores non fugiunt, sed neque importuni videri in laboribus, qui sibi negantur, erubescunt. » Hi sunt, de quibus salvator, Luc. VIII. v. 7. et 15. Quod semen cecidit inter spinas, et a sollicitudinibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Hi sunt, de quibus Job. XXX. ait : *Qui inter hujuscemodi lætabantur, et esse sub sentibus, delicias computabant.* Hi sunt, de quibus Oseæ VII. v. 9. dicitur : *Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et*

Omnes a cu
ris sæculari
bus vacare
possunt, se
multi nolun
et occupar
curant : sic
vitula
Ephraim.

ipse ignoravit. Et tandem hi sunt, qui ad spinitualem fere insensibilitatem pervenerunt, quibus Hieremiæ lamentatio, Thren. III. unice convenit : *Inebriavit me absynthio.* Quem locum D. Gregorius, lib. XX. Mora. c. XVI. sic ad nostrum explicat propositum : « Qui absynthio inebriatur, et hoc, quod sumpsit, amarum est, et tamen non intelligit eamdem amaritudinem, qua repletur ; sic humanum genus justo Dei judicio in voluptatibus suis sibi dimissum, atque per easdem voluptates spontaneis tribulationibus traditum, absynthio est ebrium, cujus amaritudinem , quasi insensibilitate ignorat. Amant enim perversi homines pro hujus mundi gloria etiam tribulationes, et pro ea gravium laborum jugo devotissime colla submittunt. »

Qui tamen si, spretis vanis his negotiationibus, semel gustassent et vidissent quam bonus sit Dominus his qui recto sunt corde, totius vitæ præteritæ erubescerent, et opprobrium reputarent, et jugum Domini suave portantes cum ingenti lætitia levantes se supra se quiete sederent solitarii et tacentes. Quod sic explicat D. Ambrosius, ser. 9. in Psal. CXIX. « Quis est, qui singulariter sedet, nisi qui, sæcularibus voluptatibus abdicatis, molestiarum omnium excludit tumultus ? » Et quo magis soli, eo magis se associatos esse reputarent, ut docet D. Hieronymus contra Jovinianum. « Sapiens nunquam solus esse potest : habet enim secum omnes, qui sunt, et qui fuerunt boni, et animum liberum, et quocumque vult profert, et transfert, et quod corpore non potest, cogitatione complectitur, et si hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo, nunquam bonus solus erit. » Et in epistola ad Heliodorum : « Infinita, ait, eremi vastitas te terret ? sed tu paradisum deambula, quotiescumque cogitatione ac mente illuc conscenderis, toties in eremo non eris. »

Præparatio debita faciendа ad dormiendum

Apparuit in somnis Angelus, etc. Josepho justo, Josepho pio, Josepho misericordi et miti nolenti Virginem traducere, sed eam propter humilitatem dimittere, et curanti recta intentione Dei voluntatem invenire, huic dormienti Angelus apparuit. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei.* Et ponderandum omnino est illud pronomen demonstrativum, *ei*, per quod omnem justitiam, omnem sanctitatem, et B. Josephi intentionis rectitudinem aperte satis ostendit, juxta illud Psal. LXXV. v. 6. *Terribili, et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.* In quo docemur præparationem sanctarum cogitationum a nobis dormituris esse faciendam per conscientiæ examen, et peccatorum nostrorum dolorem, ut angelicis visitationibus nos dignos exhibeamus. Sic sancta faciebat sponsa, quando Cant. III. in principio, dicebat : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Et D. Bernardus ad fratres de monte Dei, sic hortatur et monet : « Iturus in somnum aliquid tecum defer in memoria et cogitatione, in quo placide obdormias, quod etiam somniare juvet. Sic tibi nox ut dies illuminatur, et nox illuminatio tua in deliciis tuis, placide obdormies, in pace quiesces, facile vigilabis ; et surgens facilis eris ad redeundum in id, unde non totus discessisti. » Et particularius P. doctor Franciscus Costerus in libro Meditationum, medit. 19. sic ait : « Considera Angelum aprere in somnis, quia non solum interdiupa-vigilantibus, sed noctu quoque dormientibus assistunt Angeli, ut tu incubiturus examine conscientiæ, doloreque peccatorum, quæ illo præcipue die a te mala commissa fuerint, doleas, et angelica te præsentia dignum exhibeas. » Quod si nos ad somnum capiendum in præparatione debita defecerimus, certa erit in nobis inimici tentatio, juxta illud Job. XL. v. 16. *Sub umbra dormit, in secreto calami, et in locis humentibus.* Quasi cum homine ignavo videatur Behemoth turpitudinis idolum simul accubare, ut mactet et perdat.

An in somnis possit esse peccatum?

Et cujus debitæ præparationis ad dormiendum defectu ex successibus in somnis contingentibus quam plurimi consurgunt peccatorum scrupuli. Quia licet dormientes parum a mortuis distent, qui neque mereri, aut demereri possunt, ut theologi in 4. sentent. resolvunt, plane colligitur culpæ non adscribendum esse, quod dormientibus hominibus contigit, cum omne peccatum ex judicio rationis dependeat, quo sublato, tollitur omnis ratio peccati. Judicium autem in dormiente esse non potest, cum dependeat ab operationibus potentiarum animalium, quæ tunc vel ligantur, vel quiescunt. Unde nocturna pollutio, quæ dormienti evenit ex infirmitate, aut superfluitate, aut etiam a somnio, aut ex aliqua quacumque re adventitia sine culpa præcedenti ipsius dormientis, non esse peccatum constat apud omnes. Quoad hoc ergo non tam ad actualem successum, quam ad causam præcedentem attendendum est. De quo videndi sunt D. Augustinus, lib. XII. de

Genesi ad litteram, c. 15. et D. Bernardus, lib. de libero arbitrio, et D. Thomas, 2. 2. q. CLIV. a. v. et 1. p. q. LXXXIV. a. VIII. et de veritate q. XXVIII. a. III. ad 6. et 7. et Tiraquel. de pœnis tempor. causa v. per totam maxime n. 9. 10 et 11. et cap. I. dist. 16.

An somniis sit fides adhibenda?

Circa repræsentationes in somnis contingentes, utrum illis sit fides adhibenda, magna profecto cautio cum timore adhibenda est, ut docet D. Isidorus, lib. III. Sententiarum c. VI. « Quædam, ait, revelationes supernæ divinitus fiunt in somnis, sicut in Evangelio de Joseph sponso Mariæ, qui, ut fugeret cum puero in Ægyptum, somnio admonetur. Et quamvis nonnulla vera sint somnia, facile tamen eis credi non opus est, ne forte Satanas in Angelum lucis se transformans, quemlibet incautum fallat, et aliqua erroris fraude decipiat, quia nonnunquam dæmones ita quosdam curiosos observant, ut interdum aliqua vera pronuntient, ut in multis fallant. » Et Henricus Suson in appendice, c. XIX. p. 336. « Cum plerumque fallant somnia, et interdum citra ambiguitatem verum significent, advertendum est quod S. Augustinus fertur de sua dixisse matre, ex illa audisse eo se diutius munere præditam, si quid vel omnino dormiens, vel dormitans vidisset, simul illi a Deo præstitum discretionis, qua facile innotesceret, num vulgare esset somnium, ac eo ipso nihil pendendum, an imaginaria visio non negligenda? Quotquot idem donum a Deo consecuti sunt, possunt hujusmodi rei certius et facilius habere discrimen, quod nemo alteri potest commode verbis tradere : solus is animadvertit, qui accipit. »

Magna justorum securitas in tribulationibus suis.

In somnis apparuit. Joseph justus sub protectione Dei commorabatur : jactabat enim totum cogitatum suum in Domino, in quo securitas, quam justi in suis habent tribulationibus aperte demonstratur. Sic D. Petrus Apostolorum princeps maxima securitate nudus dormiebat inter duos milites vinctus catenis duabus, Actor XII. v. 6. et 8. Non enim dormitabit neque dormiet, qui custodit Israël : quin immo, justo dormiente, Deus ipse vigilat, juxta illud Cant. v. *Ego dormio, et cor meum vigilat*, ut apparuit in Jacobo dormiente, et Deo ei scalam ostendente, Gen. XXVIII. et in parvulo Samuele etiam in templo dormiente, et Deo eum ter vocante, I. Reg. III. et in nostro sanctissimo præcipue Josepho, cui Angelus a Deo missus in somnis apparuit, instruxit et docuit De his justis hominibus dormientibus peculiari ratione dicitur illud Levit. XVI. *Dabo pacem in finibus vestris, dormietis, et non erit, qui exterreat ;* et illud Ezech. XXIV. *Qui habitant in deserto, securi dormient in saltibus.* De quo agunt Vatablus, Jansenius et Genebrardus super Psal. III. et P. Joannes Ferdinandus, in thesauro script. verbo, Dormire. n. 7. De quo in tract. VI. hujus libri 4. fusius egimus. Et hæc de præsenti tractatu dixisse sufficiat.

Quid autem hic Angelus Dei in somnis Josepho dixerit, et de quibus eum circa Virginem gravidam instruxerit, sequens tractatus nonus declarabit.

ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS EI, DICENS : JOSEPH, FILI DAVID, NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONJUGEM TUAM : QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST. Matth. I. v. 20.

TRACTATUS IX.

Ostendit veram nobilitatem non a sanguine, non a superbia, non a superiori dignitatum loco, non ab ambitione, sed a virtute et sanctitate procedere, quod in mortis articulo solet experiri.

Qualiter in apparitionis ingressu, et in ejusdem progressu cum sanctissimo Josepho se Angelus gesserit, et de altissimo Incarnationis mysterio eum certiorem reddiderit, hujus tractatus erit scopus.

De istius sancti Angeli apparitione, et de discernenda revelationum et spirituum varietate in tractat. VIII. præcedenti latius egimus super illa verba : *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph,*

Angelus in signum amoris appellavit Josephum nomine proprio, et suæ

Joseph, fili David. Appellavit cum Angelus nomine proprio, Joseph; et etiam nomine appellativo nobilissimæ, regiæ et antiquissimæ generationis et prosapiæ, fili David, ad

egiæ prosa-piæ, quo Christus ipse honoratur.

captandam ejus benevolentiam, et ad sublevandum et erigendum humillimum Josephum. Quod sane totum amoris signum fuit manifestum, ut in tract. IV. hujus libri quarti resolvimus.

Joseph, fili David, noli timere, etc. ad suadendum Josepho quod in sua apparitione et legatione intendebat Angelus, blande et suaviter fuit ingressus, dicens : *Joseph, fili David, noli timere*, etc. ut in tract. V. hujus libri quarti diximus. Omnia quippe Angeli verba suavitatis, amoris et benevolentiæ fuisse patet absque ullo increpationis indicio, quia in nulla trium sententiarum opinione Joseph aliqua ratione reprehensibilis fuerat, ut in tract. IV. et V. hujus quarti libri diximus. Quin et omnia Angeli verba cum Josepho honorabilissima fuere : nam appellans eum filium David, eo magnificentissimo titulo decoravit, quo Evangelistæ ipsi Christum Dominum illustrarunt, ut patet ex D. Matthæo in hoc capite I. in principio, sic incipiente : *Liber generationis Jesu Christi, filii David.* Et tota divina Trinitas in divini Verbi annuntiatione et incarnatione, Luca Evangelista teste, cap. IV. 26. et 27. utrumque conjungens ait : *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David.* Et paulo inferius, v. 32. *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus*, etc. Appellavitque cum eadem ratione pleno ore sponsum Mariæ, dicens : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Nam cum Maria sit sanctior universis, et quia mater Dei, domina mundi, et regina cœli, ut sæpius probavimus, quo alio, obsecro, titulo præstantiori potuit Angelus Josephum honore afficere, quam cum Mariæ sponsum nuncupando, et quasi rogans, ut eam non dimitteret, sed acciperet?

Superiores uni subditis lenitate et severitate uti debent, et aliter cum juvenibus, aliter cum senioribus agere.

Ex quo modum quem servare debeant superiores et prælati cum sibi subditis, etiam in defectibus corrigendis, plane docentur : semper enim, ut in plurimum, spiritu lenitatis cum eis uti debent, ut latissime in lib. III. tract. VII. resolvimus. Per hoc tamen non tollitur, quin aliquando severitate et correptione uti possint cum prudentis discretionis grano salis, ut docuit D. Gregorius in Pastorali, his verbis : « Juvenes plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit : senes vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. » Quod si senibus et gravioribus hominibus deprecatio non profuerit, correctio alia gravior adjungenda erit, ut pulcherrimo simili D. declaravit Ambrosius super XXI. cap. Mat. « Gravissimus, ait, nodus in ligno non potest expelli, nisi gravissimo oppressorio. » Quod Christum Dominum jam ad cœlos ascendentem cum amicis suis et charissimis undecim discipulis, Marci ultimo, fecisse constat. *Apparuit illis Jesus*, Evangelista inquit, *et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia his, qui viderant eum resurrexisse a mortuis, non crediderunt.* Idque cuicumque communitati maxime convenit, ut ex Gregorio in registro tradit D. Bonaventura, lib. IV. Pharet. c. XXXVIII. in hæc verba : « Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est : dum enim unus corripitur, plurimi emendantur, et melius est ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quam per unius licentiam, multi periclitentur. » Quod brevi sermone D. Bernardus super Cantic. sic conclusit : « Melius est ut pereat unus, quam unitas. »

Prælati servent modum in corrigendo, quem Deus ipse servat.

Et sic pro re nata superiores utroque utentur medio, suavitate nempe et correctione, ut de divino more D. Gregorius lib. XXVIII. Moral. c. II. sic testatur : « Aliter enim Dominus servis suis loquitur, cum eos intrinsecus per compunctionem provehit, aliter cum per districtionem, ne extollantur, premit. Per blandam enim locutionem Domini amanda dulcedo ejus ostenditur. Per terribilem vero potestas ejus metuenda monstratur. In illa persuadetur animæ, ut proficiat : in ista reprimitur, quæ proficit. In illa discit, quod appetat ; in ista, quod metuat. Per illam dicit Deus : *Gaude et lætare filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui*, Zachar. II. Blandus quippe est qui, ut in medio habitet, venit. Per istam autem terribilem dicitur : *Dominus in tempestate veniet, et in turbine via ejus*, Isaiæ LXVI. Nam cum per turbinem et tempestatem se insinuat Deus, quæ tangit corda, perturbat, atque ad edomandam elationem se exerit, quando potens et terribilis innotescit. » Eamdemque doctrinam a prælatis et superioribus observandam tradit idem D. Gregorius in Pastorali, II. p. c. VI. ad finem in hæc verba. « Curandum quippe est ut rectorem subditis, et matrem pietas, patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam, sicut in libris mo-

ralibus jam diximus, disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet, et juste consolans misericordia, et pie sæviens disciplina. Hinc namque est, quod docente veritate, Luc. x. per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum ejus vulneribus adhibetur, ut per vinum scilicet mordeantur vulnera; per oleum foveantur. Necesse quippe est, ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat: in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum mordentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate, faciendum quoddam temperamentum ex utroque, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem bene illa tabernaculi arca significatur, in qua cum tabulis virga simul, et manna est. Quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga directionis, sit et manna dulcedinis. Hinc David Psalm. XXII. ait: *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ, quæ feriat, sit et consolatio baculi, quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens; sit rigor, sed non exasperans; sit zelus, sed non immoderate sæviens: sit pietas, sed non plus quam expediat parcens: ut dum se in arce regiminis justitia, clementiaque permisceant, is, qui præest, corda subditorum et terrendo demulceat, et tamen terroris reverentiam demulcendo constringat. »

Bonus Angelus ingrediens suaviter pellit timorem: malus vero inquietat et turbat.

Joseph, fili David, noli timere, etc. Verbis mollibus, suavibus, et veneratione plenis ingressus est Angelus ad Josephum, ut modo vidimus, revelationem et apparitionem ei pedetentim, et absque ullo strepitu exponere cœpit, dicens: *Joseph, fili David, noli timere*, etc. Quod proprium boni Angeli est, quietem scilicet et securitatem in animo audientis causare, ut in Annuntiatione idem Angelus Mariæ dixit, Luc. I. v. 30. *Ne timeas Maria*, et Josepho in nostro Evangelio: *Noli timere*: sicut e contrario mali Angeli in Angelum lucis se transfigurantis est perturbare conscientiam. Ut satis in discernendis spiritibus expertus B. Magister Ignatius de Loyola, Societatis nostræ Jesu fundator et Pater, docuit in tractatu incipiente: « Regulæ aliæ utiles ad pleniorem spirituum discretionem convenientes, etc. » in reg. 1. sic ait: « Proprium est Dei et Angeli cujusque boni, veram infundere spiritualem lætitiam animæ, quam movet, sublata tristitia et perturbatione omni, quam ingessit dæmon: cum hic e contrario sophisticis argumentis quibusdam veri speciem præ se ferentibus lætitiam illam in anima repertam oppugnare soleat. » Et clarius in reg. 7. ejusdem tractatus: « Eorum, ait, qui promovent in bono salutis, animis se insinuat uterque spiritus diverso modo: bonus quidem leniter, placide, ac suaviter, sicut aquæ stilla in spongiam illabens: malus vero duriter, implacide et violenter cum strepitu quodam, sicut imber decidens in petram. Illis autem, qui indies tendunt in deterius, oppositum prorsus usu venit. Cujus sane diversitatis ratio est, quatenus angelo utrilibet similis est, vel dissimilis animæ ipsius dispositio: si enim contrariam sibi eam alteruter spiritus invenerit, cum strepitu et pulsu, qui facile adverti queat, ei se conjungit: si conformem vero, tanquam in propriam et apertam domum subit cum quiete. » Quæ quidem regulæ et cuncta alia in Exercitiorum libro contenta fidelium usui Sedis Apostolicæ auctoritate per sanctæ memoriæ Paulum Papam III. per suum Breve Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die ultima Julii, anni 1548. Pontificatus sui anno decimoquarto expeditum, traditæ sunt. Unde advertenter Evangelista noster Angelum hunc Angelum Domini appellat: *Ecce Angelus Domini apparuit*, etc. Quia Josepho justo leniter, placide, suaviter et paulatim, sicut aquæ stilla in spongiam illabens, suam apparitionem et legationem proposuit: si enim repente omnia dixisset, perturbationem aliquam in Josephi animum poterat causare. Cœlorum clementiæ ab Aristotele, a nobis vero divinæ providentiæ tribuitur, quod post noctis obscuritatem et tenebras sol non repente integre nobis appareat, sed paulatim per crepusculum partem noctis, et partem diei continens, ut docet S. Thomas, opusc. LX. cap. XXII. post principium, deinde per auroram lucere incipiat, juxta illud Eccles. XXVII. v. 12. *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.* Alias enim si absque mora appareret, homines de extremo ad extremum translatos sine medio illuminans, turbaret; immo et propter excellens sensibile eorum sensibus læsionem inferret. Natura namque ab im-

perfectioribus ad magis perfecta actionem suam incipit, ut D. Thomas, super II. ad Corint. xv. explicans illud Pauli : *Non prius quod spirituale est, sed quod animale*, in lect. 7. docet. De quo in lib. V. tract. II. agemus.

eph utra- nobilita- spirituali temporali nobilis- simus.

Joseph, fili David, noli timere, etc. Prius Evangelista noster Josephum justum appellaverat : *Joseph autem vir ejus, cum esset justus*, etc. In qua justitiæ sanctitate omnes utriusque Testamenti Patres excelluit. Magna profecto res homo justus, qui et cœlum, et divinæ sapientiæ sedes est, qui omnia etiam in hac vita lætanter possidet, qui in natura debili potentior est, immo et ab ipso Deo efficitur omnipotens, ut in tract. VII. hujus quarti libri resolvimus. Modo autem Angelus eum filium David nominat : *Joseph, fili David*, nobilem nobilitate regia nuncupat : fuit enim filius David corpore et mente, et, ut alter David, secundum cor Dei, et cui revelata sunt secreta cœlestia, et particeps effectus cœlestium sacramentorum, ut in lib. II. tract. IX. diximus. Et quia præcipua nobilitas a virtute et sanctitate procedit, conjuncta tamen naturali perfectissima est, et maximi momenti, ut in lib. II. tract. IX. resolvimus, et ideo a nobilitate spirituali, justitia et virtutum cœpit Josephi laudabilis nominatio, *Joseph vir ejus, cum esset justus*, etc. Et subsecuta deinde fuit nobilitas naturalis, *Joseph, fili David*, etc.

Ex quo manifeste colligitur, quod sola nobilitas naturalis a sanguinis propagatione procedens, vitiis præcipue fœdata et obscurata nihil prodest, ut in lib. II. tract. IX. probavimus. Quia licet apud hominum æstimationem plebeii et vulgares, qui mechanicas et sordidas artes exercent, reputentur ignobiles, ut Jurisconsultus Ulpianus docuit in l. 3. §. solent autem. ff. de crimine stellionatus, in hæc verba : « Dummodo non debeat opus metalli hæc pœna in plebeis egredi, in his autem, qui sunt in aliquo honore positi, ad tempus relegatio. »

vilis, vel bilis ea it, quæ a epublica reputatur

In quo tamen unum erit obiter advertendum, illos esse nobiles aut ignobiles reputandos, illam esse artem vilem aut honorificam, censendam quam regionis consuetudo receperit, quamvis de jure aliud sit statutum, ut habetur in l. ultima §. 1. ff. de muneribus et honoribus, ibi : « Quæstura in aliqua civitate inter honores non habetur. » et docent Bartholus in l. 1. col. 7. et ultima. c. de dignitatibus lib. 12. et plures alii, quos refert et sequitur Tiraquellus, de Nobilitate, cap. x. num. 1. et cap. xxxiii. num. 19. et 20. Qua ratione Principes et Pharisæi Christum Dominum ut plebeium et vulgarem vilipendebant, exprobrantes quod filius Mariæ esset, dicentes : *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria?* Mat. xiii. v. 55. et Marci. vi. v. 3.

Vera nobilitas apud Deum a virtute, et non aliunde procedit.

Apud Deum tamen, et in vera et infallibili ejus æstimatione illi tantum nobiles, clari et illustres censentur, qui vitiis et passionibus devictis, servi Dei justi, et filii lucis sunt, ut docuit D. Hieronymus in epistola ad Celantiam, de institutione matrisfamilias, post med. to. 1. sic eam gravissime exhortans. « Nulli te unquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores quasque, et humiliori loco natas te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum : servum et nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piscator et pauper fuit? Quid in feminis B. Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? Sed illi piscatori et pauperi cœlestis regni a Christo creduntur claves : hæc sponsa fabri meruit esse mater illius, a quo ipsæ claves datæ sunt. » Et D. Chrysostomus super hoc cap. I. Mat. « Ille, inquit, se potest clarum et nobilem reputare, qui servire vitiis dedignatur. » Et D. Prosper Aquitanicus super Psal. « Non caret regia potestate, qui novit corpori suo rationabiliter imperare. » Quod quidem poëta Claudianus eleganter hoc carmine cecinit.

> Tu licet extremos late dominere per Indos,
> Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
> Si metuis, si parva cupis, si duceris ira,
> Servitii patiere jugum : tolerabis iniquas
> Interius leges, tunc et bona rite tenebis,
> Dum poteris rex esse tui, etc.

Justi infimo loco nati veri nobiles et liberi sunt apud Deum.

Hi enim quamvis infimo et obscuro loco nati sint, apud Deum tamen veri nobiles habentur, quibus mire convenit illud Pauli ad Ephes. v. v. 8. *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, ut filii lucis ambulate.* Isti sunt veri nobiles, et a peccatorum tributis liberi, eodem dicente Apostolo II. Corinth. III. v. 17 *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Ubi S. Thomas, lect. 3. ad finem,

sic ait : « Quia non coacte agit, sed ex bono habitu inclinatur ad faciendum quod lex divina ordinat. » Quis dubitat plures apud Ægyptios fuisse nobiles, qui tamen in horribilibus tenebris obscuri degebant, solis filiis Israel luce et claritate utentibus ? ut Exod. x. v. 21. 22. et 23. sic fertur : *Factæ sunt tenebræ in universa terra Ægypti ; ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.* Et ideo ad hanc divinam lucem accedere curet, qui vir illustris et nobilis esse desiderat. *Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur*, monet S. David, Psal. xxxiii. v. 6. Quapropter D. Augustinus super Joannem, et D. Hieronymus super cap. i. Malach. et Hesychius super Lev. c. xxi. et xxii. incunctanter dixerunt : « Cæci sunt, qui supernæ contemplationis lumen ignorant. De quo in lib. I. tract. v. et in lib. II. tract. ix. egimus.

Nobiles sanguine peccatis servientes vere sunt servi.

E converso autem apud justissimum Dei judicium nobiles carne, peccatis tamen subjecti, infames servi durissimis compedibus et manicis ferreis adstricti, et antiqua sua libertate quodammodo privati merito censentur, juxta illud Joan. viii. v. 34 *Amen, amen dico vobis*, ait summa Veritas Christus, *quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati :* et D. Petrus Apostolorum Princeps, in II. Cano. c. ii. v. 19. *A quo*, inquit, *quis superatus est, hujus et servus est ;* et D. Paulus ad Roman. vi. v. 20. *An nescitis quoniam cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi estis, cui obedistis* ? Quæ loca, rationem reddens, sic explicat D. Thomas super Joan. viii. lect. 4. in hæc verba : « Amen, amen, ponitur hic a Domino quasi quoddam juramentum quod ideo geminatur, ut suam sententiam magis firmam ostendat. Ponit deinde universalem locutionem, omnis sive Judæus, sive Græcus, dives, aut pauper, imperator, vel mendicus. Quia homo secundum suam naturam est rationalis, et quando movetur secundum rationem, proprio motu movetur, et secundum se operatur, quod est libertatis. Quando vero peccat, operatur præter rationem, et tunc movetur quasi ab alio, retentis terminis alienis. Quæ quidem servitus gravissima est, quia vitari non potest. Nam quocumque homo vadat, peccatum intra se habet. Unde dicit Augustinus : O miserabilis servitus, scilicet peccati, servus hominum aliquando sui Domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit : servus peccati secum trahit peccatum, quocumque fugerit. Peccatum enim quod fecit, intus est ; voluptas transit ; peccatum, id est, actus transit, præteriit quod delectabat, mansit quod pungat. » Et D. Augustinus lib. II. de Civitate Dei, c. iii. in fin. sic vere et eleganter ait : « Bonus homo, si servit alicui Domino temporali liber est : malus homo, si regnat, servus est, non unius hominis, sed, quod pejus est, tot dominorum quot vitiorum. » Quin et Seneca naturæ lumine ductus in suis epistolis sic scriptum reliquit : « Errant, qui existimant servitutem in totum hominem descendere ; pars melior excepta est : corpora dicimus obnoxia, mens sui juris est : contra vero domini impii vere sunt servi, qui peccato eos possidenti serviunt. » Dura profecto, et incomparabilis servitus, qua superior et nobilior hominis pars, ut sic, a dæmone gubernatur. Quod tantum hominum malum sic lamentatur Paulus ad Rom. vii. *Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Ubi S. Thomas. « Homo carnalis venumdatus sub peccato, quod sit servus peccati, ex hoc apparet, quod ipse non agit, sed agitur a peccato, in quantum peccatum, quasi dominum habens operatur. »

Suprema l
ca, et dign
tates dilige
tes multori
dominorur
sunt servi

Circa hanc profecto miserrimam peccati servitutem præ nimio cordis dolore cum Hieremia propheta sancto super montes, super omnesque principes terræ assumendus fuisset fletus, et lamentum, et super speciosa deserti, id est, super divites omnes, et temporaliter fortunatos, qui omnium pene oculos præ admiratione ad se trahunt ; a quorum ore omnes et omnia pendent, cum in veritate sint quasi sepulchra dealbata, intus autem fœtore et mortuorum ossibus plena, ut optime et luculenter hujusmodi magnates D. Chrysostomus, hom. 59. super cap. xvii. Matt. prope fin. deplorans, sic descripsit : « Nihil prorsus libertatem animæ sic tollit, quemadmodum sæcularium rerum cupiditas, et eorum, quæ videntur esse præclara ; non enim sibi vivunt, sed alteri, et mille crudelibus dominis hujusmodi homines premuntur : quos si recensere placet, aliquem ex his, qui apud reges plurimum possunt, nobis proponamus, cui magna rerum affluat copia, ingens potentia, patriæ splendor, majorum nbiolitas, ad quem universa pene respiciat civitas. Consideremus igitur, an iste servus omnium subjectissimus sit ?

servus enim quilibet unicum habet dominum, quem si bene agendo propitium sibi faciat, sine aliqua cura quiete vivit : ille vero, quem admiraris, non unum aut alterum, sed multos et importunos sibi dominos conquisivit. Dominatur ei primo rex ipse; non est autem æquale abjectum habere dominum et regi servire, quorum aures multorum verbis expositæ sunt, ut modo hi sibi, modo illi persuadent. Quare quamvis nullius mali sibi conscius sit, qui regi servit, omnes tamen timet, tam pares, quam sibi subjectos, et tam amicos quam inimicos : servus enim neminem timet, quia nemo est, qui invideat, neque qui velit, isto expulso, ad eamdem se introducere servitutem, et sic nullus est, qui velit ei insidias tendere : multi vero sunt, qui nulli alii rei student, quam illum, qui proximus regi est, a statu ejicere ; quare omnibus adulari cogitur, majori, æquali, amicis. Quia quemadmodum, qui eodem artificio quæstum habent; sic omnes, qui unam rem in sæculo appetunt, sincero nequeunt amore conjungi. Unde fit ut bellum intus sine induciis semper geratur. Vidisti acervorum multitudinem dominorum? vis graviores alios afferamus? omnes, qui eo minores sunt, majores fieri diligentissime student. Qui vero excellunt, quoniam timent, ne iste anteveniat, aperte sibi adversantur. » Et omnes isti in sensu proposito contra eum dicunt, et opere consequi conantur eum a loco removere, ut eorum subrogationi sit locus. Dicunt ergo : *Incurvare ut transeamus, da locum pedibus nostris*, Isai. LI. in fin. His enim post desideria sua euntibus, neque ad Deum fontem aquæ vivæ converti volentibus, judicium Dei in supplicium per Hier. XVI. v. 13. intimatum unice convenit. *Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem*, ut videant, et experimento intelligant, quam malum et amarum sit, reliquisse se Dominum Deum suum.

cclesiasti-rum et re-giosorum quorum-mque sta-tuum est ambitio inium ma-rum mater.

Quod si hoc, vel aliquid hujusmodi in personis Deo dicatis aliquo modo contigisset, extrema dementia, et infelicitas putaretur, ut bene advertit D. Augustinus, lib. XIX. de Civitate Dei, cap. XV. post med. « Omnis, ait, qui facit peccatum, servus est peccati, ac per hoc multi quidem religiosi dominis iniquis, non tamen liberis serviunt. » Quia ergo dum in via sumus, tempus habemus salutis, et acceptabiles dies, clamandum nobis est cum propheta, Ps. XXX. v. 17. *Illustra faciem tuam super servum tuum*, et Psal. XVII. v. 29. *Deus meus, illumina tenebras meas*, ut expulsis peccatorum tenebris, nobiles, illustres, et filii lucis efficiamur. Ne die mortis præoccupati, et ultimo damnati æterno supplicio, transacta jam messe, et æstate finita, insanabilique facta plaga nostra, absque ullo spei remedio clamemus : *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore : ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis, et justitiæ lumen non luxit nobis, sol intelligentiæ non est ortus nobis*, Sap. V. v. 3 usque 7.

Quod quidem sanctissimus noster Joseph profundissima ea humilitate, qua tanti honoris se indignum judicans, Virginem occulte dimittere voluit, ut in tract. IV. hujus libri quarti probavimus, mirifice docuit, vir plane in omni justitiæ virtute justus, qui ab omni ambitionis specie alienus, non solum dignitates, et nomen grande apud homines denuo adipisci non curabat, sed quod jure optimo obtinere poterat, et jam obtinebat, Virginis scilicet sponsum, et Christi patrem nuncupari recusabat. « Est enim, teste S. Ambrosio, lib. III. super Lucam, ambitio prope omnium criminum fons et origo. » « Hæc reddit hominem cæcum, » ut docent S. Thomas, super c. II. Mat. litera B, et S. Bernardus, hom. 4. super *Missus est*, prope fin. Hæc hominem quemcumque pusillum et formidantem facit; S. Thomas ubi proxime : « In sublimibus constituti ex levi verbo contra se prolato conturbantur, juxta David, Psal. LXXXVII. v. 16. *Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus.* et D. Innocentius in tract. de vilitate conditionis humanæ eodem intentu ait : « Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus, ne dicat quod displiceat, humilitatem simulat, honestatem mentitur, affabilitatem exhibet, benignitatem ostendit, subsequitur et obsequitur, cunctos honorat, universis inclinat, frequentat curias, visitat optimates, assurgit et amplexatur, applaudit et adulatur. Unde novit illud poeticum : Etsi nullus erit pulvis, pulverem tamen excute nullum. » Et paulo inferius sic prosequitur : « Ambitiosus, promptus et fervidus, ubi placere cognoverit; remissus et tepidus, ubi putaverit displicere, improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat et improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut laudetur ab omnibus,

ut a singulis approbetur. Sed ecce gravem intra se sustinet pugnam, difficilemque conflictum, dum iniquitas pulsat animam, ambitio continet manum, et quod illa suggerit, hæc fieri non permittit. Collidunt ad invicem mater et filia, iniquitas et ambitio, hæc vendicat sibi publicum, illa secretum. » Hæc phrenesim causat et impatientiam. S. Bernardus, epist. 126. in medio : « O effrænis, o intemperans, o furiosa, cæca et impudenda ambitio ! » Hæc sævissimus tyrannus homines crudelissime torquet, et insensibiles sub gravissimo jugo detinet. S. Bernardus, lib. III. de Consideratione ad Eugenium, c. I. ad fin. « O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torquens, omnibus places? Nihil acerbius cruciat, nihil molestius inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus. » Hæc sub hypocrisi est quædam simia charitatis. S. Bernardus, epist. 126. in medio : « Ambitio mater hypocrisis, latebras amat et tenebras, lucis impatiens est. » Elegantius tamen more solito eam sic doctissimus P. Ravenain quodam sermone delineat : « Ambitio est quædam simia charitatis, charitas enim patiens est pro æternis, ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna est pauperibus, ambitio divitibus. Charitas omnia suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia sperat, sed longe dissimili modo. »

Quod si huic omnium malorum matri ab ecclesiasticis locus aliquis daretur, eorum omnium esset, miserabilis et certa ruina. Evanesceret sal procul dubio, et mitteretur foras, et conculcaretur ab hominibus, et filii Sion inclyti, amicti auro primo reputarentur in vasa testea, opus manuum figuli, dispergerenturque lapides Sanctuarii in capite omnium platearum abeuntes post desideria ambitionum suarum, denigrareturque facies eorum super carbones, nec in plateis cognoscerentur deterioris conditionis effecti, quam sæculares. In quo Dei Ecclesia maximum pateretur detrimentum, si meliores essent laici quam clerici, juxta S. Hieronymi sententiam super epistolam ad Titum, eisque plane contingeret, quod D. ait Bernardus, lib. III. de Consideratione ad Eugenium, c. I. in fin. « Annon limina Apostolorum plus jam ambitio, quam devotio terit? Annon vocibus ejus vestrum tota die resultat palatium ? Annon quæstibus ejus tota legum canonumque disciplina insudat? » Et in epist. 42. post medium : « Nunc vero quia sola attenditur gloria et non pœna, purum esse clericum erubescitur in Ecclesia, seque viles æstimant et inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint sublimati. » Statimque absque dubio monopolio inter potentiores inito digniores, immo et digni exclusi admitterentur, vel, ut verius dicam, intra mitterentur indigni. Quod sic S. Bernardus, epist. 126. post principium, lamentatur : « *Percusserunt fœdus adinvicem, et super populum Dei malignaverunt consilium*, Psalm. LXXXII. *squama squamæ conjungitur, et spiraculum non est in eis*, Job. XLI. Iste illum Papam, ille hunc vicissim Legatum scriptitat, ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum : invicem se consolantur, tuentur, commendant. » Quasi muli mutuo sese scabentes, et manus manum fricans, ut vulgari dicitur proverbio. Et, quod detestabilius est, quod isti sic ambitiose, quin et simoniace intromissi, se meritis et sanctitate ascendisse impudenter gloriantur, ut idem S. Bernardus, hom. 4. super *Missus est*, prope finem, his verbis advertit : « Videas homines pecuniosos ad honores quoque ecclesiasticos provolare, moxque sibi applaudere sanctitatem, et dignos se æstimare dignitate, ad quam ambiendo pervenerunt, quodque, si audeo dicere, adepti sunt nummis, attribuere meritis. »

Sed gradum faciens idem S. Bernardus in eodem loco ad religiosos jam Deo dicatos, et solemni professione mortuos sæculo, dolore et amaritudine plenus in hæc verba prorupit : « Omitto autem de his, quos excæcat ambitio, et honor ipse superbiendi eis materia est. Sed video, quod magis doleo, post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, ac sub alis mitis, humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in sæculo. Quodque magis perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt : ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt : saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Quapropter summi momenti erit, ut perpetuo felix cujusque religionis status conservetur, diligentissime ambitionem malorum omnium in quavis republica, vel congregatione submovere, ac aditum ad dignitatem

vel prælationem ullam directe vel indirecte quærendam præcludere, » ut S. B. Magister Ignatius Societatis nostræ Jesu meritissimus Pater et fundator decrevit et docuit in X. p. const. cap. VI.

i in hac scrupu- exati, in rte ab elis, et anctis olantur.

Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, etc. Cum esset Joseph in maxima anxietate constitutus, Virginem dimittere cogitans, quacumque ex assignatis causa in tract. IV. et in tract. V. hujus quarti libri, obdormivit, et sic dormienti apparuit Angelus Dei, dicens : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc. Qua apparitione, revelatione et admonitione Joseph omnino quietus, securus, et ab omni perturbatione liber remansit, et sic accepit consequenter conjugem suam sicut præceperat ei Angelus, ut in hoc c. I. v. 24. testatur Matth. et nos in tr. VIII. præcedenti diximus. In quo salubre consilium, et maxima præstatur confidentia justis hominibus, præcipue religiosis, qui in via Dei ambulantes, variis peccatorum scrupulis vexati propter timoratam et delicatam eorum conscientiam, quod proprium bonarum mentium est, timent et formidant, ubi nulla invenitur justa causa timoris. His ita perseverantibus, cum fletusque bonorum operum mittentibus semina sua, solet misericors Deus in articulo mortis, aut prope, mittere Angelos, aut Sanctos alios, qui eos consolentur, et dicant : Nolite timere, *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Jam enim hyems transiit, imber abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit : vox turturis audita est in terra nostra.* Can. II. v. 11. et 12. et postea Cant. IV. v. 8. *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni : coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, et Hermon, de cubiculis leonum, de montibus pardorum.* Adimplentque Angeli et Sancti commissam sibi a Deo legationem, ut hos justos consolentur, dicentes : *Dicite pusillanimis : confortamini, et nolite timere : ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, et salvabit vos.* Isaï. XXXV. v. 4. et fit in perturbatis eorum animis tranquillitas maxima, adimpleturque in eis quod dicitur in Psalm. CXXVI. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris;* et quod dicitur Proverb. ultimo, v. 25. *Et ridebit in die novissimo.* Ubi Jansenius post alios sic explicat : « Ridebit in die novissimo, significat mulierem fortem, quoniam his virtutibus ornata, est gavisura in senectute ex testimonio bonæ conscientiæ. Item quod jam instante postremo die, quem alii fere maxime metuunt, ipsa gaudebit, quod bene sibi conscia laborum præmia se recepturam expectet. » Hic tantæ justorum molestiæ est exitus lætissimus, hæc tribulationum plena gaudio terminatio, juxta illud Tobiæ III. v. 22. et 23. *Non enim delectaris in perditionibus nostris : quia post tempestatem tranquillum facis ; et post lacrymationem et fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum Deus Israël benedictum in sæcula.* Tunc enim justus quilibet poterit lætanter canere : *In tribulatione dilatasti mihi*, Psalm. IV. Idest, cum in mortis angustiis redactus essem, tu Domine, in latum et spatiosum securitatis campum me eduxisti. Tu, Domine, salvasti de necessitatibus, id est, de angustiis animam meam : nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos. Nam sicut ex fornace ignis ardentis tres pueros, Dan. III. et ex ventre ceti Jonam, Jonæ II. ex angusto carcere Josephum, Gen. XLII. ex imminenti morte Susannam in spaciosum, amplumque eduxisti campum, sic etiam animum meum peccatorum scrupulis vexatum dilatatione quieta liberasti, *ut cantem tibi gloria mea, et non compungar, in æternum confitebor tibi, Domine Deus meus*, etc. De quo in lib. III. tract. II. latissime egimus. Et hoc quidem quotidiana experientia comprobatur.

Et hæc de honorifico agendi modo, quem Angelus cum Josepho observavit in apparitionis ingressu. Jam agamus oportet de ipsius apparitionis fine, et substantia super illa verba : *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc. Quæ sequens tractatus decimus declarabit.

NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONJUGEM TUAM : QUOD ENIM IN EA NATUM EST DE SPIRITU SANCTO EST, etc. Matth. I. v. 20.

TRACTATUS X.

De mediis, quibus usus est Angelus ad suadendum Josepho ne Virginem dimitteret, sed acciperet.

De mediis, quibus iste Angelus Dei usus fuerit ad suadendum Josepho accipere, et non dimittere Mariam conjugem suam, sive id propter humilitatem, quod nos sequimur et defendimus in hujus IV. lib. tract. IV. sive propter zelotypiæ suspicionem aut dubium, ut ex aliorum sententiis in hujus etiam lib. IV. tract. v. retulimus, erit præsentis tractatus scopus.

Maria et Joseph sponsi et conjuges appellantur.

Pro dicendorum faciliori explicatione supponendum est primo cum D. Chrysostomo, hom. 4. super hoc c. I. Mat. « Contentus, inquit, non fuit Evangelista nomen Virginis Mariæ commemorasse, sed addidit : conjugem, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset Conjugis autem nomine sponsam intellexit, sicut eos quoque, qui adhuc sponsi sunt, generos appellare Scriptura consuevit. » Utroque enim nomine sponsi et sponsæ ratione virginitatis perpetuæ, et conjugum etiam, et maritorum ratione veri et essentialis matrimonii rati inter eos per verba de præsenti contracti appellari potuerunt, ut in lib. II. tract. III. satis probavimus.

Eclipsis solis et lunæ unde causetur.

Secundo supponendum est solis eclipsim causari per interpositionem lunæ inter nos et ipsum, ut cum ad solis locum vel lineam luna pervenerit, unde per approximationem solis radios ita coram oculis nostris obscurat, ut lumen non possint ejicere ; cum autem luna ab eo loco discesserit, tunc sol lumen ejicit, et ad oculos nostros transmittit. Quapropter ita soli objicitur luna, sicut lunæ opponitur terra : quæ utraque lumina, cum ad terras non perveniunt, defecisse dicuntur. Sic etiam luna non deficit, sed obumbratur, neque diminutionem sentit corporis, sed objectu obumbrantis terræ casum patitur luminis, ut ex Aristotele, lib. II. Post. tex. comment. XVIII. et lib. II. de cœlo text. com. CIX. et VIII. Metaph. text. XII. tradit S. Isidorus, lib. III. Ety. c. LVIII. et LIX. p. 66. co. 1. et lib. de natura rerum, c. XX. et XXI. pa. 78. col. 1. et 2. et explicatius D. Thomas, super Psal. X. in principio, sic ait : « Obscuratur autem luna secundum Glossam quandoque per revolutionem, et sic fit obscura : quandoque per eclipsim, et tunc in sanguinem convertitur : quandoque per interpositionem nubis, et tunc fit nigra. »

Instruit Angelus per scripturas Josephum Virginem accipiat

Noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. In ipso apparitionis limine Josephum ab Angelo sacrarum Scripturarum testimonio instructum fuisse Patres omnes et doctores contemplantur et affirmant, ut in tract. v. hujus libri quarti probavimus, et optime Origenes, homil. 39. de diversis, nostrum alloquens Josephum in horum verborum explicatione sic ait : « Joseph, fili David, non tantum secundum carnem, sed et secundum spiritum. Si enim filius David, juste et hæres ejus, tanquam filius patris, ideo in hæreditatem accipe ea, quæ illi promissa sunt testamenta fidelia. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Accipe ergo eam, sicut commendatum cœlestem thesaurum, Deitatis divitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam justitiam. Accipe eam sicut Unigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut regis cœlestis domum immaculatam. Itaque ergo Joseph, fili David, noli timere accipere eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam, serva, fer, cura. » « Angelus ergo, ait D. Chrysostomus super hunc locum, nominans Josephum filium David, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine ejus Christus nasceretur. » Quod D. Augustinus explicans illud Psalm. CXXXI. *Juravit Dominus veritatem, et non frustrabitur eum ; de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, dixit tom. 8. his verbis : « Poterat dicere : ex fructu femoris tui, quare *ex fructu ventris tui* voluit dicere ? Et illud quidem si diceret, verum diceret : sed significantius voluit dicere, *ex fructu ventris*, quia de femina natus est Christus, quo vir non accessit. » Et D. Irenæus, libro III. cap. XXVII. in principio, in idem ait : « Hic est, qui ex Virgine, quæ fuit de genere David, generatus est. Propter hoc enim et de fructu ventris ejus regem promisit, quod erat proprium

Virginis prægnantis, et non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, et mulieris ex viro conceptionem facientis. » Et pereleganter Tertullianus, lib. III. contra Marcionem, sic interrogat et resolvit. « Quis est venter iste? ipsius David; Utique non : nec enim pariturus esset David; sed neque uxoris ejus, non enim dixisset : *ex fructu ventris tui* : sed potius, ex fructu ventris uxoris tuæ. Ipsius tamen dicendo ventrem superest, ut aliquem de genere ejus ostenderit, cujus ventris futurus esset fructus caro Christi, quæ ex utero Mariæ floruit. Ideoque et fructum ventris tantum nominavit, ut proprie ventris quasi solius ventris, non etiam viri, » etc. Unde Christus Dominus sacerdos est secundum ordinem Melchisedech? Psalm. CIX. quia sicut Melchisedech fuit sine patre, et sine matre, et sine genealogia, ad Hebr. VII. sic etiam Christus Dominus, teste Lactantio Firmiano, lib. IV. cap. 13. in principio, in prima nativitate spirituali fuit a solo Deo Patre generatus sine officio matris : in secunda vero carnali fuit sine patris officio in virginali utero procreatus. »

adetur
eph per
a Virgi-
encomia,
non di-
ere, sed
cipere.

Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. O justissime et piissime Joseph, vide quid cogitas? Dimittere Virginem? cave ne feceris, sed intellige et adverte, ad B. Virginem sponsam tuam sicut ad medicum, sicut ad arcanum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, et qui in cœlo sunt, et qui in terra, et qui in inferno habitant, et qui nos præcesserunt, et nos, qui sumus et qui sequuntur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut restaurentur; et qui in inferno, ut eripiantur; et qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur, et qui sequuntur, ut glorificentur. Attende, Joseph, et considera, quod hæc tua sponsa Virgo non solum est antonomastice opus Dei, opus Excelsi; sed quod etiam est summa et omnium operum, et mirabilium Dei collectio et recapitulatio, cui singulariter illud Psalm. CX. *Memoriam fecit mirabilium suorum*, convenit. « Quia in plenitudine sanctorum est detentio ejus, et vere quidem in plenitudine sanctorum detentio Mariæ : cui non defuit fides patriarcharum, spes prophetarum, zelus apostolorum, constantia martyrum, sobrietas confessorum, castitas virginum, fœcunditas conjugatorum, sed nec ipsa puritas Angelorum. » S. Bernardus, homil. 2. super *Missus est*; Et sic sponsa tua est omnium esca, omnium refugium. *Escam dedit timentibus se*, Psalm. CX. Designatam fuisse non dubites per Danielis arborem : *Ecce arbor in medio terræ et altitudo ejus nimia, magna arbor, et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum; aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius : et esca universorum in ea*, etc. Dan. IV. v. 8. 9. et 18. Et si scire desideras, Joseph, qualiter omnium esca in sponsa tua? audi : « Maria omnibus facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit : omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam; ut non sit, qui se abscondat a calore ejus. » De quo in libro I. tractatu I. diximus. Adsit ergo a te, o augustissime Joseph, conjugem tuam dimittere, sed omni excusso timore, eam accipere non hæsites. « Sed prædica reverendam Angelis, desideratam gentibus, patriarchis, prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, prælatam omnibus, magnificæ gratiæ inventricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum. » D. Bern. epist. 174. Considera, sanctissime Joseph, quod hæc « sola Maria sponsa tua, cœlum ac terram amplitudine superavit. Quidnam illa sanctius? non prophetæ, non apostoli, non martyres, non patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non denique aliud quippiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles excellentius inveniri potest. Eadem ancilla Dei est et mater; eadem virgo et genitrix. Hæc ejus mater est, quia a Patre ante omne principium genitus fuit, quem Angeli et homines agnoscunt Dominum rerum omnium. » S. Chrys. super Matt. Scis, B. Joseph, quam dimittere cogitas? Adverte, obsecro, prius, quod « Maria sponsa tua facta est janua cœlorum, sublimatio apostolorum, laus martyrum, jubilatio confessorum, continentia virginum, norma principum, justitia regum, salus omnium populorum, gloria viduarum, gaudium angelorum, requies animarum. Facta est salus morum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, sanctior super omnes feminas, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Hæc Maria sponsa tua, Virgo regia, gemmis

ornata virtutum, gemmisque mentis, pariter et corporis decore perfulgida, specie sua et pulchritudine in cœlestibus cognita cœli civium in se provocavit aspectum, ita ut cœlestis regis animum ad sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis adduceret. » D. Bern. hom. 2. super *Missus est*. Hæc tua sponsa, Joseph, omnium oculos ab origine mundi attraxit. « Eam enim Eva non solum suam advocatam, sed eam etiam in spiritu cognovit, amavit et desideravit. Ex promissoriis enim Dei verbis Eva haud obscure percepit venturam tandem aliquando mulierem, quæ cum suo benedicto semine nequissimi serpentis contereret caput, atque lapsum genus humanum erigeret restitueretque. Hæc tua sponsa Joseph, sanctissima Virgo est universum Trinitatis complementum, quandoquidem et Spiritus sanctus adveniebat et hospitabatur. Spiritus sanctus superveniet in te : Pater obumbrabat, *et virtus altissimi obumbrabit tibi*, et filius in utero gestatus inhabitabat : *et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Et sic est sponsa Trinitatis, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, et Spiritus sanctus perconcupivit; et tandem tota Trinitas uniformi, et voluntate concordi hanc inæstimabilem Virginem sponsam tuam ostendit esse suam sponsam incommutabilis charitatis, cœli reginam inattingibilis dignitatis, mundi dominam imparticipabilis potestatis, electorum omnium genitricem piam inexsiccabilis pietatis, omnium cœlestium thesaurorum dispensatricem largissimam pro suæ complacentia voluntatis. Unde Pater æternus sponsam tuam Mariam, ut filiam respicit; æternus filius ut matrem : Spiritus vero sanctus ut sponsam dilectissimam conspicit. Vide et considera, amantissime Joseph, quid cogites? cogitas dimittere Virginem, cogitas Mariam amovere. Amovebis pariter totius mundi splendorem. Est enim lucerna, qua contra omnes tenebras illuminatur mundi machina; est lumen, quo Deus mundum illuminat, et tenebras animarum nostrarum fugat; est ignis corda hominum inflammans, et suis innumeris beneficiis mundum clarificans. Tolle hunc splendorem, o Joseph, quid erit mundus, nisi obscuritate plenus? et mundi machina quid valeret, si hunc splendorem non haberet? Tolle hoc lumen solare, ubi dies ? ubi claritas? ubi serenitas ? Certe non nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquentur. Quicumque ergo semitas hujus luminis insecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Ergo, *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc.

Suadetur Joseph Virginem accipere Scripturæ similitudinibus.

Quod si dicta, o sanctissime Joseph, non sufficiunt, et parva forsan tibi videntur, adjiciam tibi multo majora, et particularius concernentia. Hæc tua sponsa Maria est rubus, qui visus est ardere sine incendio : significavit enim Virginem concepturam de Spiritu sancto absque Virginitatis suæ detrimento. *Noli* ergo *timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Hæc tua sponsa Joseph, est sidus, *orietur stella ex Jacob*. Neque enim sideri radius suam minuit claritatem; nec Virgini filius suam virginitatem. O magnum negotium ! O res inaudita prorsus ! Inest enim sol in sidere, oriens in vespere, et artifex latet in opere. Non ergo, o sanctissime Joseph, avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Ergo *noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc. Hæc tua sponsa Joseph, vellus est. Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur, et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur, nisi carnem assumptam de Virginis carne, et absque detrimento virginitatis? *Noli* ergo *timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc. Hæc tua sponsa Joseph est *hortus conclusus, et fons signatus ;* uterus ejus hortus deliciarum sacratissimus. *Hortus conclusus*, ad quem deflorandum manus peccatoris nunquam introivit : est enim bona Ezechielis porta, quæ clausa erat, et non aperiebatur. Transivit per eam Christus, sed non aperuit. Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo, per quam Christus intravit in hunc mundum, et virginitatis claustra non solvit. Mansit intemeratum claustrum pudoris, et inviolatæ integritatis duravere signacula. Quid est porta Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? et quid est : Homo non transivit per eam, nisi quia Joseph non cognovit eam? et quid est, quod Dominus solus intrat, et ingreditur per eam, nisi quia Spiritus sanctus imprægnavit eam ? et quid est, clausa erit in æternum, nisi quia Maria virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum? *Noli* ergo sanctissime Joseph, *timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc. Dic mihi, optime Joseph,

quid aliud Danielis ille lapis sine manibus excissus significare voluit, nisi sponsæ tuæ perfectissimam virginitatem et fœcunditatem simul, te non operante, sed sola Maria Spiritu sancto adjuta? Dan. II. v. 34. Hæc tua sponsa Joseph, et ejus uterus est parvulum illud cubiculum Elisæo effectum, in quo commensuratus puero, eum suscitavit. Ibi enim in utero sponsæ tuæ divinum Verbum hypostatice est humanitati unitum : ibi nuptiæ divinæ celebratæ sunt : ibi Christi anima vidit gloriam Dei. *Noli* ergo, o Joseph, *timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc.

detur
h acci-
Mariam
gnitate
exemplo
erius
seph.

Agnosce ergo, sanctissime Joseph, dignitatem tuam, et noli timere accipere Mariam conjugem tuam, et quanto honore summo a Deo habitus sis : quia si de altero Josepho patriarcha dicitur Genes. XLI. *Tulit Pharao annulum de manu sua, et dedit eum in manu Joseph, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem circumposuit, vocavitque eum salvatorem mundi, et præcepit, ut omnes coram eo genu flecterent*; quia industria ejus panis servatus est in Ægypto : verius tamen multo tu Joseph, salvator mundi diceris. Ille enim panem servavit in Ægypto ; sed tu in eadem Ægypto panem de cœlo verum universo mundo custodies. Annulus, qui tibi datur et offertur, Christus Dominus est, qui annulus est, in quo principium fini, et primum ultimo conjunctum est, Deus scilicet homini. Annulus hic aureus est ; aurum vero humanitas est, quæ ex purissimis visceribus terræ nostræ, Mariæ scilicet, educta fuit opere Spiritus sancti. Lapillus hujus annuli Divinitas est : hunc annulum dat Pater æternus in manus tuas. Maximum profecto est, quod Pater dicat tibi : en filium meum, sit filius tuus ; magnum profecto est, quod Spiritus sanctus dicat tibi : en sponsam meam, sit sponsa tua ; magnum profecto tandem est, quod filius dicat tibi : en me ipsum, esto pater meus. Torquem auream dedit in collum tuum, quæ non est aliud, quam Christi brachia collum tuum amplectentia, et a collo tuo pendentia ; stola vero byssina justitia est, te Evangelista justum appellans.

inisterium
Josephi
hristo et
Virgini
cessarium:

Noli ergo timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, etc. Vide et considera, divine Joseph, te, ministeriumque tuum ad Verbi incarnati mysterii complementum divinitus fuisse ab æterno electum, ut matri Virgini sponsæ tuæ sis fidele solatium, et ejus, et Dei Filio parta labore tuo alimenta præstes, et ab imminentibus periculis et difficultatibus eos serves indemnes. *Pariet filium, et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Adverte etiam, quod *hoc totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum : Nobiscum Deus.* Et ideo, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, etc.

Joseph in cognitione Incarnationis ab Angelo confirmatur.

Difficultas et hæsitatio tua, justissime Joseph, non me latet, non me præterit, a profundissima humilitate tua originem trahit, quia altissimum Incarnationis mysterium ope Spiritus sancti in sponsa tua operatum investigati, altiora te quæsiisti, et oppressus a majestatis gloria, te tantæ dignationis indignum judicasti, et ideo propter veram humilitatem sponsam tuam occulte dimittere cogitasti. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, Matth. I. v. 18. sed noli timere : ego enim in Dei nomine, et ut legatus ejus a latere te in discursu et cognitione tua confirmo, et certiorem reddo. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Unde quod meritorie humilitate recusabas, meritissime ex Dei ordinatione et præcepto accipias, et ideo, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.*

Causa turbationis Josephi exemplo eclipsis declaratur.

Quod si difficultatis et hæsitationis tuæ, augustissime Joseph, causa est zelotypia ob adulterii præsumptionem, aut dubium hoc tibi pervenit, quia sponsæ tuæ tumentem uterum conspexisti, quia absque ulla matrimonii consummatione eam gravidam invenisti : adverte tamen, sanctissime Joseph, sponsam tuam esse lunam pulcherrimam, Virginem immaculatam, et inter te et ipsam positam esse terram, uterum tumentem ; *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ;* et ideo obscuritas et eclipsis istius pulcherrimæ lunæ in te facta est, non in ipsa. Agnosce ergo terram, agnosce Deum hominem factum, agnosce rubum ardentem et non combustum, statim tibi et luna clarebit : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Adverte etiam, divine Joseph, divinum Verbum in sponsæ tuæ natum esse solem, esse veram lucem, omnem hominem illuminantem. Inter istum autem solem et te apposita est modo luna, apposita est sponsa tua, et ideo tibi sub nubilo tumentis uteri obscuratus est sol. Nonne apud Ezechielem XXXI. v. 7. legisti : *Solem nube tegam* ? Recedat paulisper luna, et apparebit tibi statim sol, et illuminaberis. *Quod enim*

in ea natum est, de Spiritu sancto est, et ideo, *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, et sic vir justus Joseph, qui solum voluntatem Dei bonam, beneplacentem et perfectam recta intentione quærebat, mandato Dei statim obedivit, ut noster ait Evangelista cap. I. v. 24. *Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam.*

Maria pretiosa margarita ignorabatur a Josepho : et Angelus docuit ejus pretiositatem

Beatissimus Joseph volens impræsentiarum dimittere Virginem, ad eum modum se habuit, quo ignarus homo, qui inveniens margaritam, et eam non cognoscens, eamque ideo vilipendens, vult eam dimittere, et eam pro derelicto projicere. Cui accedit amicus, dicens ei : Margaritum hoc optimum est, ne projicias. Tunc ille retinet, ac servat. Sanctissima autem Deipara speciosa margarita est orbis terrarum, in qua sicut margarita rore gignitur in concha ; sic Christus genitus in Maria est, pro qua quidem pretiosa margarita omnia relinquenda sunt, quam tamen non agnoscens Joseph, *et non cognoscebat eam*, ait Evangelista. Non enim propter sanctissimam Mariæ glorificationem cognosci potuit a Josepho. Nam si Moysis cum Deo colloquentis ita glorificata est facies, ut non possent intendere in eum filii Israël ; quanto magis Maria agnosci, vel inspici non poterat a Josepho, quæ Dominum potentiæ in utero habebat ? et sic eam dimittere cogitabat. Accessit tunc amicus Angelus Domini, et suadens eam non dimittendam, quia pretiosa est, dixit ei : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc. Qua cognita pretiositatis veritate, statim Joseph a somno surgens, *fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam*, eique et fœtui in omnibus inservivit.

Similis etiam impræsentiarum fuit justissimus Joseph invenienti auri massam, terra tamen opertam, videt eam gravem nimium, sed nescit aurumne, an ferrum sit, et vult projicere ; tunc argentarius ei ait : Aurum est, ne dimittas, valet mille aureos nummos ; ita videt gravidam sponsam Joseph, nescit infinitum thesaurum in ea latentem, dimittere vult ignorans valorem infinitum, quem apud cœlestes cives et Deum ipsum Maria sponsa sua habeat. Est enim Maria seraphica, super quam Dominus voluit sedere. Est enim Maria cherubica, quam Dominus voluit virtutibus et meritis super omnes creaturas fulgere. Est enim Maria angelica, qua Dominus voluit cunctis subvenire. Est enim ejus candoris et decoris, cui in terris non est æqualis, nec in cœlis janua. Et tandem sola hæc Virgo magis est a Deo dilecta, quam reliqua tota universalis Ecclesia copulative sumpta. Homines, cum alicujus rei pretium, æstimationem et valorem hyperbolice exaggerare volunt, dicere solent : « Unius civitatis pretio res hæc comparatur. » At sponsa tua, Joseph, quam dimittere cogitas, civitas Dei, de qua gloriosa dicta sunt, est. Civitas Dei est, quam divinorum charismatum impetus lætificat. Sponsa tua, Joseph, vitalis dicitur paradisus, in qua gratiam, quam Adam perdidit, cumulatiorem multo invenit. Sed Angelus eum Virginem dimittere cogitantem edocet, et edoctus illam summo gaudio servat, eique cum ea accidit, quod Moysi cum rubo. Appropiat, ut videat rubum, sed Dominus loquitur : *Descendi huc, ut liberem populum meum.* Non audebat respicere Moyses rubum, sciens Deum ibi esse ; ita summa apud Mariam reverentia usus est Joseph, postquam novit eum in eam descendisse, ut salvum faceret populum suum. Illius gaudium, hoc invento thesauro, dici non potest. *Præ gaudio illius,* ait Christus Dominus, Mat. XV. *vendit universa, et emit agrum.* Ita Joseph gaudens suscepit uxorem, quæ ager est, et odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Et uterque ingenti affecti lætitia, ingentes gratias Domino decantarunt, ut in tract. V. hujus quarti libri egimus.

Facienti quod in s est, Deus n denegat gratiam

Ex his patet manifeste, quod sicut justissimo Josepho recta intentione facienti quod in se erat, ut Domini inveniret voluntatem, ad faciendum eam, ut in tract. IV. hujus quarti libri diximus, Angelus consolator et doctor fuit a Deo præstitus : Sic etiam, ait P. Osorius, ser. I. de S. Joseph, ad finem, « Divina ejus providentia nulli facienti quod in se est, unquam deerit, nec suam denegabit gratiam, etiam si necessarium ad hoc sit Angelum de cœlis mittere. Tenent aliqui doctores theologi non obscuri nominis, neminem jam posse salvari sine explicita Christi cognitione : sed cum ab eis interrogatur, si quispiam in ultimis terræ finibus faceret quod in se est, ubi nullus Christi est prædicator, quomodo hic Christum nosse posset ? Respondent ad eum mitteretur Angelus, ut ad Cornelium, Actor. X. Nec mirandum Angelum et Angelos ad hoc mitti : cum enim nobis necessarium fuit, Dominus Angelorum

ad nos missus est. » De hoc videndus est P. Vasquez, 1. 2. q. LXXVII. ar. II. d. 120. c. 4. in fine.

adjutor opportunitatibus.

Hic etiam nobis ostenditur, quam certissimum sit Deum in opportunitatibus esse adjutorem fidelissimum, maxime in eo confidentibus, et omnem curam in ipsum projicientibus, ut in t. v. et in t. VI. hujus l. quarti probavimus. « Sic, ait etiam P. Osorius, ser. I. de S. Joseph, in fine, apparuit Laban, priusquam Jacob læderet, dixitque illi, Genes. XXXI. *Cave ne quidquam durius loquaris contra Jacob.* Sic opportuno tempore accurrit Deus Josue pugnanti in Gabaon, et Aialon, Jos. X. Sic etiam pro Susanna contra falsos testes misit Danielem, Dan. XV. Si ergo te videris depressum, et ab inimicis impetitum, dic quod Jacob dixit Laban, Gen. XXX. *Respondebit que mihi cras justitia mea.* Post hodiernam diem crastina est, quæ rationis est, et judicii, in qua sine dubio pro justis respondebit Deus. Sed et in hac die sæpe respondet, Numer. XXII. Eunti Balaam ad maledicendum Israel, occurrit Angelus evaginato gladio adversans viæ ejus, quia, ut dicit Psaltes, Psalm. CXXIV. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Et iterum Psal. LVII. *Priusquam pertingerent spinæ vestræ rhamnum.* Id est, priusquam indurentur spinæ, ut justis sint intolerabiles, Deus absorbebit eos in ira sua, ne justi lædantur. »

Et hæc de hoc tractatu sint satis. Qualiter autem Deipara de Spiritu sancto conceperit, et quid utilitatis inde nobis resultet, sequens tractatus undecimus declarabit.

QUOD ENIM IN EA NATUM EST, DE SPIRITU SANCTO EST. Matth. I. v. 20.

TRACTATUS XI.

De æterni Verbi in utero Virginis, ope Spiritus sancti, Incarnatione, et quomodo per sancta desideria possint fideles de eodem Spiritu spiritualiter concipere.

Incarnationis opus, cum sit totius Trinitatis, quare Spiritui sancto attribuatur?

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, etc. Quamvis enim divini Verbi Incarnationem tota æterna Trinitas sit operata, merito tamen Spiritui sancto attribuitur, cujus rei rationem S. Thomas, 3. p. q. XXXII. art. I. et super hunc Matthæi locum explicans illa verba : *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*, reddit in hunc modum : « Quamvis autem, secundum D. Augustinum, indivisibilia sint opera Trinitatis, et ideo ipsam conceptionem non solum Spiritus sanctus, sed etiam Pater et Filius operati sunt : tamen per quamdam appropriationem Spiritui sancto attribuitur ; et hoc tribus rationibus. Prima ratio est, quia Spiritus sanctus amor est ; hoc autem fuit signum maximi amoris, quod Deus Filium suum incarnari voluerit, Joan. III. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Secunda, quia Spiritui sancto attribuitur gratia, I. Cor. XII. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus :* et fuit maxima gratia. Tertia ratio assignatur in gestis Niceni concilii, et est, quod in nobis est duplex verbum, verbum cordis et verbum vocis. Verbum cordis est ipsa conceptio intellectus, quæ occulta est hominibus, nisi quatenus per vocem exprimitur, sive per verbum vocis. Verbo autem cordis comparatur Verbum æternum ante Incarnationem, quando erat apud Patrem, et nobis absconditum : sed verbo vocis comparatur Verbum incarnatum, quod jam nobis apparuit, et manifestum est. Verbum autem cordis non conjungitur voci, nisi mediante spiritu, et ideo recte Incarnatio Verbi, per quam nobis visibilis apparuit, mediante Spiritu sancto, facta est. » Et eodem intentu Beda super eadem hujus

Evangelii verba sic ait : « Licet quasi specialiter dicat de Spiritu sancto, tamen credere debemus quod Dominum Jesum non solus Spiritus sanctus, sed tota Trinitas in utero Virginis formavit. Ideo namque specialiter quasi de Spiritu sancto dixit, quia illum Deus Trinitas formavit in Virgine, quia adventu suo donum Spiritus sancti in se credentibus large ministravit. » Et explicatius doctissimus episcopus Haymon : « Non concepit, ait, extrinsecus quod in utero habet, sed intrinsecus virtute Spiritus sancti concepit Filium Dei. Deus Pater misit Verbum suum in uterum Virginis. Ipse Filius assumpsit carnem et animam in unitate personæ. Spiritus sanctus formavit illud corpus in utero virginali ex semine Virginis sine semine viri, et tamen credendum est quia tota Trinitas operata est illud corpus, Pater, Filius et Spiritus sanctus. Quia quorum inseparabilis est substantia divinitatis, eorum est inseparabilis operatio. » Et tandem Joannes Maldonatus eorumdem verborum sensum sic doctissime declaravit : « Nec de Spiritu sancto conceptus dicitur Christus, quia solus Spiritus, non etiam Pater, et ipse, qui gignebatur, Filius ejus, generationem effecerint. Vera enim illa regula est, ab omnibus antiquis theologis tradita, et ab scholasticis retenta : omnia opera Trinitatis extra ipsam omnibus personis esse communia. Sed dicitur Christus ex Spiritu sancto conceptus per illam usitatam in sacris litteris attributionem, qua quod tribus personis commune est, propter officium, aut proprietatem, uni tribuitur. Verbi gratia, quod potentiæ et gubernationis attribuitur Patri, quod sapientiæ Filio, quod benignitatis, beneficii, liberalitatis et fœcunditatis Spiritui sancto. Duabus ergo de causis Christi conceptio Spiritui sancto attribuitur, et quia summum fuit erga homines beneficium, omniumque beneficiorum caput, et quia fœcunditatis ac vivificationis opus fuit : est enim Spiritus sanctus quasi divinum quoddam semen, quo omnia fœcundantur et vivificantur, juxta illud Joan. VI. *Spiritus est qui vivificat*, et Psalm. X. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* Merito ergo D. Ildephonsus archiepiscopus Toletanus, lib. de virginitate Mariæ, ipsam Virginem alloquens, sic exclamat : « Domina mea, atque dominatrix mea, tota invisibiliter Trinitas conceptionem operata est in te, sola persona Filii Dei in corpore tuo carnem assumpsit de te. »

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quem autem concursum in hac mirabili conceptione Spiritus sanctus, quem vero ipsa B. Virgo præstiterit, D. Ambrosius, lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento, cap. VI. per totum et eum referens P. Salmeron, tom. III. tractatu XXIX. ad finem, sic explicant : « Notandum est multa in hoc mysterio supra naturam inveniri ; multa etiam secundum naturam : quia enim B. Virgo præstitit quidquid cæteræ matres in concipiendis filiis suis præstare consueverunt : nam naturaliter disponunt materiam, ex qua formandus fœtus, illamque ministrant, ut formari queat, quod est virtutis passivæ, formatamque intus alunt ac nutriunt : merito Christipara ad hæc officia sine miraculo in Christi conceptione concurrit. Quod vero ad vim activam attinet, formantem sanguinem menstruum, totum id est tribuendum divinæ virtuti : nam solus Spiritus sanctus illud effecit ; et cum res de more a forma denominetur, et vis illa agens habeat se respectu materiæ, ut forma, recte conceptio absolute dicitur supra naturam, siquidem actio, ut naturalis sit ac dicatur, oportet ut quod agit sit naturale, et materia naturaliter disposita, id est, non resistens ultra vires agentis ; supra naturam vero actio illa dicitur, quam agens supra naturam, ac divinum, vel in materia inepta efficit, ut in formatione corporis Adæ ex luto, quod in se ineptum erat ac rude ad corpus humanum : vel alio modo, ut materia sit quidem naturalis, et naturaliter apta, atque disposita ; agens vero non sit naturale, sed divinum, ac supra naturam : ut si homo febricitans miraculo ac repente sanetur a febri : nam homo est natura sua subjectum dispositum ut curetur ; eadem ratione menstruum Mariæ natura sua aptum erat ad formam humani corporis suscipiendam virtute seminis virilis : formans tamen fuit virtus divina, ac proinde conceptio ipsa Christi vere fuit divina, atque prodigialis, quamquam B. Virgo Christi fuit mater naturalis ; et formatio quidem Adæ prodigiosa fuit ex agente supra naturam, et materia inepta, nempe lutum : at formatio corporis Christi tantum ex primo supra naturam extitit, ratione tamen unionis cum divina Verbi hypostasi, et gratiarum plenitudinis, ad quam terminata est Christi conceptio, multo est admirabilior et excellentior, quam illa Adæ. » Quamvis ergo conceptio Christi fuerit miraculosa, tum propter unionem hy-

In divin Verbi Inc natione q naturale, quid supr naturale fuerit.

postaticam, tum ratione causæ efficientis humanam generationem, præterea ex parte modi: tamen ex parte matris, quoad substantiam et essentiam, fuit conceptio naturalis. Unde B. Virgo univoce Christi mater est cum reliquis matribus. « Et sine dubio asserendum est B. Virginem ad Christi conceptionem sanguinis purissimi materiam ministrasse in ea dispositione, in qua juxta debitum naturæ ordinem ab aliis matribus ministrari solet. Unde cum semen, ut semen est, non sit materia necessaria ad generationem, satis consentaneum est credere in B. Virgine non fuisse semen assumptum, sed sanguinem, ex quo, sicut Spiritus sanctus supplevit id, quod defuit virilis seminis, ita etiam formavit quidquid ex femineo semine formari potest. Hoc enim tantæ virginis puritati maxime congruit. Quod si quis defendat semen fuisse a virgine ministratum, concedendum tamen est illam seminis transmissionem factam fuisse sine ulla inordinatione, voluptate, aut aliquo motu concupiscentiæ, vel Spiritu sancto obumbrante, vel quia subito et absque ulla commotione naturalium membrorum. » De quo videndi sunt D. Thomas, 3. p. quæst. XXXIII. per totam, et P. Suarez super eum ab artic. I. ad v. disp. 12. sect. 1. 2. et 3. et P. Thomas Sanchez, lib. II. de Matrimonio, disp. XXI. n. 11.

stus in
nis ute-
rmatus
ut gem-
u con-
ha.

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. « Dicitur enim, inquit P. Salmeron, tom. III. tractatu XXX. prope finem, §. de Spiritu sancto est. et §. Amplius; de Spiritu sancto, non de ejus substantia decisum, neque de eo, ut patre, quia non est simile in natura; sed de eo, ut figulo et artifice. Christus namque ut granum ex rore cœli natum cœpit maturari calore Spiritus sancti, qui etiam flumen est Mariam irrigans, de quo Psalm. XLV. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Est etiam Christus velut margarita ex rore Spiritus sancti in concha Mariæ clausa per virginitatem, et in mari tribulationis progenitus. » Juxta illud Isaiæ XLV. v. 8. *Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra et germinet Salvatorem.* » Ubi ex D. Chrysostomo, D. Hieronymo et aliis, Magister Leo Castrensis sic interpretatur: «*Rorate cœli desuper, et nubes pluant,* descensum Verbi æterni de Patris sinu significant, et virtutem Spiritus sancti: *Aperiatur terra,* vel aperiat se terra, Virginem solam significat, quæ obumbrata virtute Spiritus sancti, se aperuit incorrupta, et incorrupta peperit. Nam aperiat se terra propheta dixit, ut intacta Virgo significaretur, et sola germinans. Unde sequitur: Germinet Jesum de Maria Virgine, et de virtute Spiritus sancti, de Verbo æterno, qui una cum Patre fecere humanitatem Christi in Maria Virgine. » De quo in eodem sensu agit P. Canisius, lib. III. de Virgine, cap. XV. §. Jam vero. et libro IV. cap. XXVI. post medium. §. Quid igitur. et Concilium Hispalense II. cap. XIII. tom. 2. Conciliorum.

Propter Incarnationis opus Spiritus sanctus non fuit effectus pater Christi.

Ex eo autem quòd Christus Dominus dicatur, et vere fuerit de Spiritu sancto conceptus, ut noster ait Evangelista, dicens: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est,* estque catholicæ fidei articulus; non tamen dici potest Spiritus sancti filius, ut docuit D. Augustinus, in Enchir. cap. XL. in principio, tom. 3. dicens: « Natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius; et de Maria Virgine, sicut filius. » et Haymon hoc loco: « Etsi Dominus, inquit, conceptus dicitur de Spiritu sancto, non tamen dicitur filius Spiritus sancti, quia non omne quod ex aliquo nascitur, ejus filius appellatur; verbi gratia: nam omnes, qui consistimus in Ecclesia per fidem, renati sumus ex aqua et Spiritu sancto; et tamen non dicimur filii aquæ, sed filii Dei. Sic et manus materia ex nobis ipsis nascitur, capillus ex capite; sed non dicitur filius capitis. Nascuntur ungues de manibus, et tamen non dicuntur filii manus: sic et Filius Dei, licet opere et ministerio Spiritus sancti conceptus credatur in utero virginali, tamen non ideo dicitur filius Spiritus sancti, sed filius Dei Patris a quo ante omnia sæcula est genitus, ne duo patres esse videantur. » Et Pater Maldonatus hic sic ait: «*Inventa est in utero habens de Spiritu sancto,* non quod Spiritus sanctus pater Christi fuerit, sed quod virtute Spiritus sancti factum sit, ut sine viro Virgo conciperet. Nec enim Spiritus sanctus ad modum viri cum Maria concubuit, sed quod id, quod virile semen facturum erat, ipse Spiritus sanctus sine semine multo perfectius fecit, sicut Adamum olim Deus fecerat, nisi quod Adamum ex limo terræ, qui quasi terræ semen est: Christum autem sanguine Mariæ. » Et eleganter P. Salmeron, tom. III. tract. XXIX. §. sed quæret quispiam. his verbis propositæ dubitationi respondet: « Ut quis sit pater alterius, opus est ut de sua substantia gignat, et sibi

similem in natura, et naturaliter, id est, non voluntarie producat. Quorum in hoc opere nullum invenitur : nam puro amore et voluntate operatus est Spiritus sanctus, nec sibi similem in natura progenuit, cum ipse ut divinæ naturæ, Christus humanæ, quatenus ab ipso processit : nam secundum divinam potius Spiritus sanctus a Christo procedit, quam contra. Nihil præterea de substantia sancti Spiritus decisum est, unde formaretur Christus. Ut ergo nos spiritum adoptionis accipientes efficimur filii Dei, non filii Spiritus sancti : ita Christus ab Spiritu sancto fictus, atque formatus est, Deique Patris filius dicitur, non autem Spiritus sancti. » Quæ omnia præstantius et efficacius docuit S. Thomas, 3. parte, quæstione XXXII. art. III. in corpore, et ad 1. in hæc verba : « Christus conceptus est de Maria Virgine materiam ministrante in similitudinem speciei, et ideo dicitur filius ejus ; Christus autem secundum quod homo, conceptus est de Spiritu sancto, sicut de activo principio : non tamen secundum similitudinem speciei, sicut homo nascitur de patre suo, et ideo Christus non dicitur filius Spiritus sancti. » Idemque expresse declaravit Concilium Toletanum XI. dicens : « Spiritus sanctus non est pater Filii incarnati, ne duos filios introducamus. » Et concludit P. Suarez, tom. II. in 3. parte, quæ. XXXII. articulo III. in commentario : « Quia Christus ut homo non procedit ab Spiritu sancto secundum similitudinem speciei, non dicitur filius Spiritus sancti : pater autem non dicitur, nisi qui producit sibi simile in natura viventis ex vi productionis. » Quod etiam Glossa interlinearis hic breviter ita explicuit : « *In utero habens de Spiritu sancto*, intellige de potestate, non de substantia Spiritus sancti, ne Spiritus sanctus dicatur incarnatus. »

Maria in uteri sui loco a natura ad generationem designato concepit, et in instanti fuit corpus Christi formatum.

Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Ex his verbis indistincte prolatis aperte colligitur B. Virginem in eo uteri sui loco a natura ad fœtum concipiendum destinato filium suum Christum Dominum concepisse, et non in corde, ut quidam minus considerate dixerunt, quos improbant merito Cajetanus super S. Thomam, 3. parte, quæstione XXXV. articulo V. et P. Suarez ibi disput. X. sectione 2. §. ex his infertur. Illorum enim sententia manifeste pugnat cum Evangelii nostri verbis, et cum Luca I. *Ecce concipies in utero*, et cap. II. *Cum Maria sibi destinata uxore prægnante.* Esse enim prægnantem uterum gravidum manifeste indicat ; et repugnat etiam rationi et veritati conceptionis, partus et maternitatis, et clarius in hoc nostro Evangelio, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.*

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Glossa ordin. et S. Thomas in Catena : « Aliud est, inquit, nasci in ea, aliud ab ea nasci : quia ab ea nasci, est prodire in lucem : nasci vero in ea est idem quod concipi. » P. Salmeron, tom. III. tractatu XXX. ante finem §. Noverat autem hoc : sic optime ait : « In neutro ait : *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quod nimirum, quia ineffabile et admirabile : et in ea sola, totaque factum est, non tantum in utero, quia mente et corpore Messiam concepit. Natum autem dicit, quasi partu editum in oculis sanctissimæ Trinitatis, atque initio conceptionis perfectum, organisque distinctum, sicut et cæteri infantes in lucem prodeuntes. Hoc enim privilegium est hujus conceptus, quod in momento ita corpus fuit formatum et perfectum, ut in illud statim anima rationalis fuerit infusa, et utrumque hypostasi Verbi unitum. » Et S. Basilius in oratione de humana Christi generatione, et P. Barradas, tom. I. lib. VIII. cap. 6. super hæc eadem verba : « Duplicem, aiunt, hæc verba indicant Christi nativitatem ; alteram in utero Virginis. In ipso conceptionis puncto Christus natus est in utero, quia et corpus habuit omnibus constans organis, et animam perfectissimam. Ex utero vero natus est, cum in lucem felicissime editus est. » Cujus rei rationem more suo docuit S. Thomas, 3. parte, quæstione XXXIII. articulo I. in corpore. « Ipsa formatio corporis Christi fuit in instanti propter virtutem agentis infinitam, scilicet Spiritus sancti, per quem corpus Christi est formatum. Tanto enim aliquid agens citius potest materiam disponere, quanto majoris virtutis est. Unde agens infinitæ virtutis potest in instanti materiam disponere ad debitam formam. »

Maria a
num V
ope Sp
sancti
factu
utero
ba

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quod ergo B. Virgo in utero habebat, est divinum Verbum Spiritus sancti ope caro factum ; Et, *Verbo caro factum est,* Joan. I. per quod æternus Pater nobis loquitur, et divinas suas declarat voluntates. S. August. lib. de fide et symbolo, cap. 3. sic docet : « Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum corde gerimus,

per signa hujusmodi ad agnitionem alterius proferatur : sic illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissime nominatur; » de quo supra egimus. Unde merito Christus Dominus Dei sapientia ab Apostolo I. Corinth. I. 30. nominatur, et splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, ad Hebr. I. v. 3. Quia secundum S. Thomam, libro IV. contra Gentiles, capite XII. per totum : «Considerare oportet, quod sapientia in homine dicitur habitus quidam, quo mens nostra perficitur in cognitione altissimorum, et per hunc modum quod sapienter excogitatur, dicitur sapientia alicujus. In Deo autem sapientia habitus esse non potest, quia non cognoscit se per aliquam speciem, nisi per essentiam; manifestum est autem quod Dei Filius est Verbum, et conceptio Dei intelligentis se ipsum. Sequitur igitur quod ipsum Dei Verbum tanquam sapienter mente divina conceptum proprie concepta, seu genita sapientia dicatur. Unde Apostolus I. Corint. I. Christum Dei sapientiam nominat. Et quia divina sapientia lux dicitur, prout in puro actu cognitionis consistit; lucis autem manifestatio splendor ipsius est ab ea procedens : convenienter et Verbum divinæ sapientiæ splendor lucis nominatur, secundum illud ad Hebræos I. *Cum sit splendor gloriæ.* Unde et Filius manifestationem Patris sibi adscribit, Joann. XVII. dicens : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* » Quod Virgo in utero habet, est Jesus, est totius mundi Salvator. *Pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quod satis pulchre Origenes, homil. 39. de diversis, tom. 3. sic explicuit : « Quia cooperator hujus nativitatis Spiritus sanctus est. Nam unigenitus filius, qui ante sæcula ineffabiliter ex solo Patre natus est, jam sæculi propinquante fine in voluntate Patris, in humano corpore, sancto cooperante Spiritu, inter homines venit. Iste est, de quo Scriptura pronuntiavit, Isaiæ IX. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis.* Patris enim unigenitus filius ex Virgine generatus est, ut illam Virginem priorem Evam quæ ceciderat, iterum renovaret, atque erigeret, et qui per pravam voluntatem filii effecti fuerant diaboli, per adoptionem gratiæ filios efficeret Dei. »

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Quis, obsecro, B. Virginis divinum Verbum Spiritus sancti ope caro factum in utero suo habentis cœlestes consolationes, divinas illustrationes, admirabiles et incomparabiles mentis excessus vel cogitare sufficiet? et in primis « pium profecto et valde credibile est, ait P. Suarez, tom. II. in 3. parte quæstione XXX. articulo I. ad 4. disputatione 9. sectione 3. in fine, elevatam fuisse Virginis mentem, ut statum viatoris quodammodo transcenderet, et mysterium, atque adeo Deum, prout in se est, et prout humanitati conjunctum, clare videret. Hoc enim beneficium ac privilegium sæpius in hac vita mortali esse Virgini concessum auctores graves docuerunt. Si quod autem tempus in hac vita potuit esse opportunum ad suscipiendum hoc beneficium, videtur sane illud fuisse, in quo post eximiam fidem, admirabilem obedientiam et humilitatem, mater Dei fieri meruit. Est ergo hoc pium et probabile, quamvis incertum. »

Mariam vidisse post conceptionem Deum probabile est, et ingentes illustrationes habuit

De ejus illustrationibus, et mentis excessibus D. Anselmus, homilia de Assumptione Virginis agit in hæc verba : « O quam magna multitudo dulcedinis fuit in B. Virgine, quando Spiritus sanctus super eam venit et virtus Altissimi obumbravit ei, et de eodem Spiritu sancto concepit? Quid de eo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat, et in cujus utero corpus sibi aptabat? Christus est, ut ait Apostolus, *Dei virtus, et Dei sapientia*, I. Corinth. I. v. 30. *et in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, et scientiæ Dei absconditi*, ad Coloss. II. Christus autem in Maria, ergo Dei virtus, et Dei sapientia, et omnes thesauri sapientiæ et scientiæ in Maria. Nemo unquam sicut ista gustavit, quam suavis est Dominus; inebriabatur ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabatur. Nec mirum quoniam apud eam, immo intra eam, erat fons vitæ. » Et devotissimus Dionysius Carthusianus, opusculo de vita solitarii, ad finem, eodem intentu sic ait : « Venit unigenitus Dei Filius usque ad medium amantissimæ suæ matris, illicque in virginei uteri suavissima cella novem mensibus requievit. Felix nimis puella, cui Deus se tam familiarem exhibuit, cujus filius creator esse elegit, cujus sibi uterum in thronum, thalamumque sacravit, cujus ubera suxit, in cujus gremio sedit, quam toties amplexatus, osculatusque est, in cujus ulnis tam ubertim quievit, cujus mensæ tam frequenter assedit, ac ministravit, cum qua triginta annis tam dulciter, humiliter, familiariterque conversatus est. O dele-

ctabilissima, felicissimaque Maria, me, quæso, in universis maternaliter, atque piissime præveni, posside, conserva. » Et Magister sententiarum, in I. distinctione XXXVI. cap. 1. et Paludanus, in sermone de conceptione Virginis, explicantes illud Isaiæ LXVI. *Cœlum mihi sedes est*, ad nostrum propositum sic aiunt : « Non ita Deus est in cœlo, quod non sit alibi : est enim ubique essentialiter, præsentialiter et potentialiter : nam ipse est in cœlo laudabilis, in creaturis mirabilis, in Angelis desiderabilis, in hominibus bonis amabilis, in malis intolerabilis, in se incomprehensibilis, in Maria per carnis susceptionem factus est visibilis. » Super quo ita exclamat D. Anselmus de laudibus Virginis : « O Domina, nihil tibi æquale, omne quod est, aut infra te, aut supra te est. Supra te solus Deus : infra te, omne illud quod Deus non est. » Et D. Epiphanius de laudibus Virginis sic enconomice loquitur : « O B. Virgo, columba pura, et sponsa cœlestis Maria, cœlum, templum et thronus divinitatis, quæ coruscantem in cœlo et terra solem habes Christum ! Nubes lucida, quæ fulgur de cœlo lucidissimum ad illuminandum mundum deduxisti Christum. Nubes cœlestis, quæ tonitruum Spiritus sancti in se ipsa reconditum deduxit in mundum, et imbrem Spiritus sancti in universam terram ad producendum fidei fructum cum impetu demisit. » Et paulo inferius etiam exclamat : « O Virginem stupendum Ecclesiæ thesaurum ! O Virginem velut sacerdotem, pariter et altare ! Quæ quidem mensam ferens dedit nobis cœlestem panem Christum in remissionem peccatorum. O uterum impollutum habentem circulum cœlorum, qui Deum incomprehensum, in te vero comprehensum portasti ! O uterum cœlo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti ! O uterum, qui cœlum es, septem circulis constans, et capacior illis existens ! O uterum septem cœlis sublimiorem atque latiorem ! O uterum, qui es octavum cœlum, septem firmamentis celsiorem ! O uterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ ! »

Sanctus ergo Spiritus, cujus ope B. Virgo Filium Dei concepit ; *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Et, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* « Ipsam Virginem, ut optime S. Bernardinus Senensis, tom. III. sermone de Assumptione B. Virginis, articulo II. capite 3. fornacem sui amoris et officinam suæ stupendæ operationis, in qua, et de qua fabrefactum est corpus mundissimum Filio Dei, et nova infusa anima, ambo simul tanquam unam naturam humanam, integram et perfectam in persona Filii Dei univit, recognoscit ; ostendit autem Spiritus sanctus electis expresse, quod in hac officina, et per eam fabrefecit, quidquid in gratia mirificum operatur, et quod in hac totum ignem operationis reclusit, quam unquam dare disposuit creaturæ rationali. »

Spiritus sanctus nulli communicatur, nisi per Virginem.

Unde, quod certe in maximum Deiparæ cedit encomium, ipsa Virgo sanctissima jurisdictionem quamdam habet in missione temporali Spiritus sancti, dum non vult nisi per ipsam communicari, ut idem S. Bernardinus Senensis, tom. III. Ser. LII. de salutatione angelica, ar. 1. cap. 2. ad finem, in hæc verba dixit : « Omnis gratia, quæ in hoc sæculo communicatur, triplicem habet processum. Nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in nos ordinatissime dispensatur : primo namque omnis gratiæ Deus et Dominus donator est ; juxta quod Jacobi I. scriptum est : *Omne datum optimum, et omne donum perfectum de sursum est, descendens a Patre luminum.* Secundo procedit a Domino Jesu Christo, in quantum est homo ; ipse namque in præsenti sæculo vivens meruit nobis omnem gratiam, quam Deus ab æterno disposuerat dare huic mundo, sicut Joan. I. scriptum est : *De plenitudine ejus accepimus omnes, et gratiam pro gratia.* Tertio processus est a Virgine benedicta : a tempore enim, quo concepit Dei filium in utero suo, quamdam, ut sic dicam, jurisdictionem seu auctoritatem habuit in omni temporali processione Spiritus sancti, quia non vult ipse Spiritus sanctus nisi per eam communicari, sicut et filius, a quo Spiritus sanctus procedit per ipsam datus est nobis. Ita quod nulla creatura aliquam a Deo recipit gratiam virtutis, nisi secundum dispensationem ipsius Virginis Matris. Cum enim Christus sit caput nostrum a quo omnis influxus divinæ gratiæ in mysticum corpus fluit, B. Virgo est collum, per quod hic fluxus pertransit ad corporis membra. »

Cœlestia desideria et perfectæ Dei voluntati conformia habuit semper Virgo.

Inventa est in utero habens de Spiritu sancto. et, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* B. Virgo majoris divinæ gloriæ, et totius mundi utilitatis cœlestia desideria semper habuit. « Nihil enim, ait D. Bernardus, sermone 51. unquam elegit Maria, nisi quod et sapientia divina demonstrabat, tantum-

que semper dilexit Deum, quantum a se diligendum existimavit. » Et in particulari loquens D. Bonaventura in meditat. vitæ Christi, c. 3. in medio, sic de Virgine ait: « Surgebam enim semper in noctis medio et tanto desiderio, et tanta voluntate, et tanta affectione, quanta poteram et sciebam, petebam gratiam, qua possem implere dilectionis præceptum, scilicet ipsum diligere ex toto corde, et cætera. Secundo petebam gratiam, qua possem diligere proximum secundum voluntatem et beneplacitum suum, et ut faceret me amare omnia, quæ ipse amat et diligit, et ut faceret me videre tempus, in quo esset nata illa B. Virgo, quæ debebat filium Dei parere, et ut conservaret oculos meos, ut possem eam videre, linguam, ut possem eam laudare, manus, ut possem ei servire; pedes, ut possem ire ad servitium suum, genua, ut possem adorare Dei Filium in gremio suo. » Et sic B. Virgini perpetuo, præcipue ab Incarnationis tempore convenerit illud Psalm. XXXVIII. v. 8. *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est.* Et sic merito catholica Ecclesia festum expectationis et desideriorum B. Virginis celebrat devotissime, in Ecclesia præcipue et diœcesi Toletana. Respiciens ergo Deus humilitatem ancillæ suæ, in ea fecit magna Omnipotens, eam in matrem Filii sui eligens, et per Gabrielem Angelum nuntians: *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum*, Luc. I. v. 31. Et sic B. Virgo a desideriis suis sanctissimis defraudata non fuit, immo ea omnia in bonis replevit. Quod in nostro Evangelio, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto;* et, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, manifeste apparet: seminaverat enim Virgo in corde suo cœlestia et sancta desideria, et de spiritu messuit vitam æternam. »

aria secundum sancta desideria oncepit de piritu sano. Mulieres secundum rnalia desideria de iritu malino concipient.

Ipsa igitur Virgo spiritualia semper habens desideria, meruit de Spiritu sancto habere, et non utcumque, sed in utero suo divinum Verbum ejusdem Spiritus sancti cooperatione carnem factum. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* In quo nobis omnibus, mulieribus præcipue, et maxime virginibus admirabile imitationis exemplum proponitur et docetur, ut semper honesta desideria, tam vigilantes quam dormientes, curemus habere, juxta ea quæ in hujus IV. lib. tractatu VIII. diximus. Quoniam si carnalia desideria in carne nostra seminaverimus, de carne et metemus corruptionem. Indeque, Deo juste permittente, inveniatur incorrupta virgo habere in utero suo non de Spiritu sancto, ut B. Deipara, sed de Spiritu maligno incubo. Quod multoties contigisse gravissimi doctores affirmant, inter quos D. Augustinus, libro XV. de Civitate Dei, post principium, et D. Thomas, 1. parte, quæstione LI. articulo III. ad 6. ubi more suo sic advertit: « Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decissum, aut a corporibus assumptis, sed per semen alicujus hominis ad hoc acceptum, utpote quod idem dæmon, qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem; ut sic ille qui nascitur, non sit filius dæmonis, sed illius hominis, cujus est semen acceptum. » Quod paulo extensius Abulensis super caput I. Genesis ad principium, his verbis declaravit: « Hi autem dæmones incubi et succubi sperma fundere nequeunt, cum corporei non sint, neque habent unde decidant, sed susceptum ab aliis fundunt. Sunt autem in duplici modo, quia aliquando idem dæmon succubus est, aliquando incubus. Primo tamen succubus est, quam incubus: cum enim viri nocturno semine polluuntur, ibi dæmon succubus corpore de aëre figurato in vase genitali virile semen receptat, servans ne aliqui spiritus exhalent, ut sit aptum ad generationem: deinde sexu mutato, in viros se transformant, et cum feminas in somnis fervore libidinis excitatas esse perspexerint, eis commiscentur, virile semen quod receperunt emittentes, et nunc incubi dicuntur. Et isto modo dicunt Merlinum vatem in partibus Anglicanis ex pastoris cujusdam semine per dæmonem succubum recepto, deinde in alveum matris per eumdem incubum dæmonem emisso, fuisse generatum. Ex talibus autem conceptibus fortissimi homines, et magna statura nasci possunt. Quia dæmones virtutes seminum cognoscunt, scilicet, quod qui consonat, et noverunt tempora debitarum emissionum, quibus conjunctis natura validissime operatur. » De quo latissime agit doctissimus P. Benedictus Pereira super caput VI. Genesis, disputatione 2. et 3. et P. Salmeron, tom. III. tract. XXIX. prope finem, §. subjungitur, et P. Joan. de Torres, libro XVII. de morali principum philosophia, cap. 3.

Virgini B. Dei Spiritum cum fervore maximo desideranti Spiritus ipse sanctus

Spiritus sanctus desiderantibus datur abundanter, in quibus magna operatur.

datus est, ut modo vidimus, dabiturque cuicumque ita desideranti, juxta illud Sapient. VII. v. 7. *Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus: et invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ.* Et juxta illud etiam Psalm. CXVIII. v. 131. *Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam.* Vult enim Spiritus ille sanctus desiderari, et non utcumque, sed efficaci cordis desiderio. S. Gregorius, libro XX. Moralium: « Valentiores apud sacratissimas aures Dei non verba faciunt, sed desideria. Quid clamas ad me? Voces apud aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria: æternam enim vitam si ore petimus, nec corde desideramus, et ore tacemus, tacentes clamamus. » Hic enim affectus, hæc desideria animam tanto homini parant. Nam, ut ait S. Thomas, 1. parte, quæstione XII. articulo III. « Desiderium quodammodo facit desiderantem aptum, et paratum ad susceptionem desiderati. » Et S. Bernardus, sermone 31. in Cantica. « Oportet ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus, juxta illud Psalm. XCVI. *Ignis ante ipsum præcedit.* Et Danieli viro desideriorum Angelus apparuit. Danielis. IX. » Unde Christus Dominus, Joannis VII. hortatur, et docet, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* « Audi, inquit super hoc P. Osorius, conc. 1. de Pentecost. prope finem, miram superabundantiam Spiritus: non jam gutta ejus datur, sed flumina fluent a bibente, sed prius siti hunc spiritum. *Omnes sitientes venite ad aquas.* Isaiæ 55. Prius sitit Israel quam ex petra aqua procedat, Numer. XX. Audi Ecclesiam nunc clamantem, ut tu similiter clames: Veni, sancte spiritus; Veni, pater pauperum; veni, pater munerum, veni, lumen cordium. O lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Hoc vento quam facile properamus in propriam nostram! *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, Psalm. CXLIII. (ubi S. Augustinus, per Spiritum sanctum, ait, deducitur homo in terram rectam, sicut spiritus hominis malus deducit eum in terram perversam.) Hinc Christus, Luc. XXIV. *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*: sine illo enim ambulare non possumus, sed proprio gravamur pondere ut sedeamus; sed si insufflaverit ille, viam mandatorum cucurreris, Psalm. CXVIII. Hoc spiritu recepto fiet in te, quod olim in Adam, Gen. II. v. 7. *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem*; cum ante vile esset figmentum: simile quid in te efficietur. Et illud etiam, quod Ezech. XXXVII. *Introduxit me in campum plenum ossibus, et ait: Fili hominis, putasne vivent ossa ista?* etc. Ecce ego intromittam in vos Spiritum, et vivetis: a quatuor ventis, veni Spiritus. et insuffla super interfectos istos, et reviviscant. Tales Apostoli erant, ossa arida, sed veniente Spiritu vixerunt: sic tibi contingit. Ora cum Psalmista Psal. XXX. *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ.* »

Dona Spiritus sancti hominem reddunt facile mobilem a voluntate Dei.

Hinc D. Thomas, 1. 2. q. LXVIII. art. I. in corpore ad finem, et art. VIII. in corp. ad finem et 2. 2. q. CXXI. artic. I. in corpore, agens de Spiritus sancti donis supra virtutes omnes acquisitas, sic optime docuit: « Dona Spiritus sancti sunt quædam habituales dispositiones animæ, quibus anima est prompte mobilis a Spiritu sancto, et divina inspiratione, ut dicitur Isaiæ L. *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorsum non abii.* » De hæc dona habentibus dixit Apostolus ad Roman. VIII. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei;* ubi S. Thomas lect. 3. « Homo spiritualis non tantum instruitur ab Spiritu sancto, quid agere debeat: sed etiam cor ejus a Spiritu sancto movetur, ita quod homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus sancti inclinatur ad aliquid agendum. » Et ideo idem Apostolus ad Galatas v. ad finem, hortatur: *Fratres, si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus:* ubi D. Thomas sic pulcherrime interpretatur: « Si ergo spiritu vivimus, debemus in omnibus ab ipso agi: sicut enim in vita corporali omnis motus nostri corporis est ab anima per quam vivit: ita et in vita spirituali omnis motus noster debet esse ab Spiritu sancto. »

Mirabiles et inenarrabiles effectus, quos iste divinus spiritus in anima, quam inhabitat, operatur, quis vel angelicus narrabit spiritus? Aliquos sub brevitate S. Gregorius super illud Matthæi IV. *Ductus est Jesus a Spiritu*, etc. sic retulit. « Considero Patres veteris et novi Testamenti, David, Danielem, Amos, Petrum, Paulum et Matthæum, et apertis oculis fidei intueor. Implet namque Spiritus sanctus puerum cytharædum, et psalmistam facit. Implet abstinentem pue-

rum, et judicem senum facit. Implet pastorem armentarium, et prophetam facit. Implet piscatorem, et principem Apostolorum facit. Implet persecutorem, et doctorem Gentium facit. Implet publicanum et evangelistam facit. Quam ergo insani sumus, qui hunc Spiritum non quærimus? »

Spiritum nctum ores et ventes cimur; peccata » pusilli frigidi.

Et optime S. Bonaventura, in opusc. de septem donis Spiritus sancti, c. 1. præstantissimum hunc assignat effectum. « Sumus enim nos primo per varios variarum rerum amores distracti, divisi et multiplicati, et ex ipsa distractione contracti, conjugati et multiplicati. Spiritus autem sanctus velut vivifica virtus in nos veniens, ab hujusmodi contractione, conjugatione et multiplicatione nos extendit, dilatat et majorat; et avertens nos a multitudine prius amatorum, convertit nos ad Patris congregantis unitatem et deificam simplicitatem. » Et in idem consequenter Glossa ordinaria, Cassiodorus, Hugo de Sancto Victore, S. Hieronymus, et S. Augustinus explicantes illud Psalm. CXXV, *Converte, Domine, captivitatem nostram, sicut torrens in Austro;* dicunt: « Quomodo frigus ligat aquam ne currat, ita et nos illigati frigore peccatorum gelavimus. Auster autem calidus ventus est. Quando flat Auster, liquescit glacies, et implentur torrentes; torrentes autem dicuntur frigora hyemalia, quæ magno impetu repentinis aquis impleta currunt. Gelaveramus ergo in captivitate, constringebant nos peccata nostra, flavit Auster Spiritus sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis. » Quod satis aperte ostendit idem Spiritus sanctus, Ecclesiast. III. dicens: *Sicut glacies in sereno, ita solventur peccata tua.* Et Hierem. I. v. 14. *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ;* Id est, a frigiditate tepiditatis et peccati. « Quæ Spiritus sancti adventu facile pelluntur, ut docet S. Gregorius, libro XV. Moralium. Porro ad faciendum bonum, quid in nobis bonus Spiritus operatur? Profecto monet, movet et docet: monet memoriam, movet voluntatem, et docet rationem: nec minimam paleam intra cordis quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis et compunctionis exurit Spiritus dulcis et suavis. »

De signis autem inhabitantis Spiritus, et quibus dispositionibus anima sit præparanda ad hanc sancti Spiritus spiritualem conceptionem late egimus in lib. III. tract. VIII. Contendamus igitur, quantum in nobis fuerit, ut aliquando habere in corde nostro de Spiritu sancto inveniamur, Christum in mente nostra concipientes per sanctioris vitæ votum, quem suo tempore per fructum bonorum operum in lucem edamus, ut videntes homines opera nostra, glorificent Patrem nostrum, qui in cœlis est, ad majorem ejus gloriam et honorem, et incessanter cum Sancto Augustino, epistola ad quemdam comitem: « Sanctum semper opus in me spira, ut cogitem; compelle, ut faciam; suade, ut te diligam; confirma me, ut te teneam; custodi me, ne te perdam. »

Et hæc de hoc tractatu dixisse sufficiat. Qualiter autem Angelus a Virgine de Spiritu sancto conceptum in lucem edendum fore: et de ejus admirabili effectu Josepho declaraverit, in sequenti tractatu XII. ostendemus.

PARIET AUTEM FILIUM ET VOCABIS NOMEN EJUS JESUM. Matth. I. v. 21.

TRACTATUS XII.

De Christo paupere peregrino, Josephique cura, a quo nomen accepit, egente, et de imitatione debita a christianum nomen habentibus.

Deus nullius eget; homo tamen factus pauper et egenus fuit; et aliena indiguit tutela.

Pro inferius dicendorum faciliori intelligentia supponendum est primo, Deum optimum in se ipso gloriosissimum, ditissimum, et nullius rei extra se mendicum aut egentem esse, nec posse. Sic ipse summe verax testatur Psalm. XLIX. v. 10. 11. et 12. dicens: *Meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, et plenitudo ejus.* Ubi S. Thomas: « Concludit per impossibile, si indigerem, non dicerem tibi, id est, non quærerem a te. Quare? quia meus orbis terræ, et plenitudo ejus; Psalm. 23. in principio; *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi, qui ha-*

bitant in eo. Et S. David, Psalm. XV. in principio : *Dixi Domino : Deus meus es tu : quoniam bonorum meorum non eges.* Ubi S. Thomas : « Hoc proprium est Dei, quia infinitæ bonitatis est, et nihil ei addi potest : quia est substantiale bonum ad omnia extendens bonitatem ; sicut sol lumen, non per participationem, sed per se ipsum illuminans omnia. » De quo ex professo agit S. Thomas, 1. parte, quæstione XXVI. per totam, Et tandem concludit S. Gregorius, libro XXXII. Moralium, capite V. ad finem, dicens : « Ipse Deus gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accedentis laudis indigens non est. »

Homo tamen factus, defectus omnes pœnales, qui in omnibus hominibus communiter inveniuntur ex peccato primi parentis procedentes, sicut mors, fames, sitis et alia hujusmodi suscepit, ut docet S. Thomas, 3. p. q. XIV. artic. III. in corpore, et inde cæpit necessitatem pati, et mendicitatem experiri propter nos, ut S. Paulus II. Cor. VIII. v. 9. sic hortatur : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Ubi eleganter D. Thomas, lect. 2. « egenus dicit, quod plus est, quam pauper. Nam egenus dicitur ille, qui non solum parum habet, sed qui indiget, seu eget. Pauper vero ille, qui parum habet. Ad significandum ergo majorem paupertatem dicitur : *egenus factus est,* scilicet in temporalibus. Luc. IX. *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet ;* et Threnorum III. *Recordare paupertatis.* Est autem factus egenus, non ex necessitate, sed ex voluntate, quia gratia illa jam non esset gratia, et ideo dicit : *Cum dives esset*, scilicet in bonis spiritualibus ; ad Roman. X. *Idem Deus dives in omnes*, et cætera. et Proverbior. VIII. *Mecum sunt divitiæ.* Dicit autem, esset, non fuisset, ne videretur Christus amisisse divitias spirituales, cum assumpsit paupertatem : sic enim assumpsit hanc paupertatem, quod illas inæstimabiles divitias non amisit, juxta Psalm. XLVIII. v. 3. *simul in unum dives et pauper.* Dives in spiritualibus, pauper in temporalibus. Causam autem, quare voluit fieri egenus subdit, cum dicit : Ut illius inopia divites essemus. Id est, ut illius paupertate in temporalibus, vos essetis divites in spiritualibus. » Et P. Salmeron super eumdem Pauli locum, tom. XIV. disputatione IX. §. ad sextum dubium, sic interpretatur : « Hoc est dicere, propter vos mendicavit, ut ejus mendicitate divites essetis. Vel, vestra causa ut mendicus nihil possidens, aliorum opibus eguit, cum tamen locuples esset : Id enim significant voces græcæ. »

Et S. Bonaventura, de perfectione vitæ, capite 3. « Pauper, inquit, fuit Dominus Jesus in tantum ut non haberet hospitium, nec vestimentum, nec alimentum, sed pro hospitio habuit stabulum, pro vestimento vilem panniculum, pro alimento lac virgineum. Item Apostolus hanc paupertatem considerans, suspirans exclamavit, dicens II. Corinth. VIII. *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui cum esset dives, pro nobis egenus factus est, ut ejus inopia divites essemus.* Et B. Bernardus dicit : Bonorum omnium æterna affluentia suppetebat in cœlis : sed paupertas non inveniebatur in eis, porro in terris abundabat et superabundabat hæc species, sed nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Filius Dei concupiscens descendit, ut sibi eam eligeret, nobisque sua æstimatione faceret pretiosam. »

Nec utcumque Christus Dominus paupertatem coluit, quin ut mendicus eleemosynam petiit corporalem. S. Bonaventura, opuscul. de Christi paupertate, §. Quæritur de mendicatione, et §. Refellere conatur, docet his verbis : « Pauperes spirituales possunt petere eleemosynam corporalem ad sustentationem corporum. Hoc ipsum ostenditur exemplo Christi, de quo Psalm. XXXIX. *Ego autem mendicus sum et pauper.* Ubi glossa : Hoc dicit Christus de se ; Ego mendicus sum in forma servi. Mendicus est, qui ab alio petit ; pauper est, qui sibi non sufficit. Sed constat quod hoc non intelligitur de Christo, quantum ad dona, sive bona spiritualia, quia comprehensor et omnis gratiæ plenus erat ; ergo intelligitur quantum ad dona temporalia. Igitur quantum ad illa mendicus erat, et ab alio petebat. Ex hoc igitur Psalmi XXXIX. testimonio expresso, cui glossa consentit, et nulla auctoritas contradicit, quare non fatebimur quod Christus ut mendicus petierit? fatemur enim eum fuisse virginem, et uxore caruisse, licet Scriptura de hoc non faciat mentionem. Evangelium exprimit quod petiit et potum et hospitium, et constat quod non ex imperio, et dominio, et auctoritate, quia tunc exemplum paupertatis non dedisset : falsum enim dixisset, quod non haberet ubi caput suum reclinaret, cum habeat sub-

ditos a quibus posset procurationes exigere. » Hinc pie contemplatur S. Bernardus, homil. infra octavam Epiphaniæ, longe post principium, quod puer Jesus in illo triduo remansionis in Hierusalem cum aliis mendicis mendicavit. Ejus verba sunt hæc : « Per illud itaque triduum, ubi eras, bone Jesu? Quis cibum aut potum ministravit? Quis detraxit calceamenta? Quis membra puerilia unguentis fovit et balneis? scio certe, quia sicut voluntatem nostram sumpsisti in infirmitatem : ita cum velles, propriam ostendisti virtutem, et ita cum velles, his obsequiis non eguisti. Ubi ergo eras, Domine Jesu? De his omnibus æstimare, vel conjicere, vel opinari libet aliquid, affirmare autem temere nihil licet. Quid dicam Deus meus? An ut te per omnia nostræ conformares paupertati, et in te humanæ naturæ calamitates susciperes, quasi unus e turba pauperum stipem per omnia mendicabas? Quis dabit me bucellarum illarum sic mendicatarum participem fieri, vel reliquiis saginari? »

Nec tantum pauper et mendicus Dominus Jesus, ut vidimus : sed etiam in assumpta humanitate quasi colonus, peregrinus et viator erat in terra futurus, juxta Hieremiæ vaticinium, capite XIV. v. 8. *Quare quasi colonus futurus es in terra, et quasi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus et fortis, qui non potest salvare?* Ubi Glossa moral. sic explicat : *Quasi colonus.* Hoc exponitur de Domino nostro Jesu Christo, qui Deus est ab æterno. Ideo dicitur, *quasi colonus*, humanitatem assumendo ; et *quasi viator declinans ad manendum*, scilicet in aliena domo. Matth. VIII. *Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis*, etc. *Velut vagus et fortis ;* id est, discurrens hinc, atque inde ad prædicandum, et fortis secundum divinitatem. *Qui non potest salvare*, secundum Judæorum errorem, qui putabant eum purum hominem, et ideo derisorie dicebant : Mat. XXVII. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Ad quæstionem vero factam respondetur veraciter, quod hæc omnia sustinuit pro nostra salute. » De quo in lib. III. tractatu XV. egimus. Quæ quidem omnia, et quam plurimos labores alios ab infantia ipsa et juventute, et in tota, quam gessit in terris, vita pro nobis voluntarie et gaudenter pertulit, ut ipsemet per regium suum prophetam dixit, Psalm. LXXXVII. v. 16. *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea.* Ubi Glossa interlin. : « Pauper rebus sæculi. *In laboribus.* Unde alibi : *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea*, et cætera. » Et S. Bonaventura, in vita Christi, capite XIII. in medio sic exclamat. « O puer egregie ac delicate, Rex cœli et terræ, quantum laborasti pro nobis, et quam cito cœpisti ! Bene propheta in vestra prædixit persona : *Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea.* Penurias magnas et labores arduos assumpsisti. » Et in eodem loco, v. 5. *Factus sum sicut homo sine adjutorio. Simul ergo in unum dives et pauper*, Psalm. XLVIII. *Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Ad Romanos X. v. 12. Idemque in temporalibus pauper, egenus et mendicus, ita ut omnium creator et conditor suarum indigeat creaturarum suffragio. Et omnium protector et tutor, qui mittens auxilium de sancto, omnia tuetur, protegit et defendit : jam propter nos aliena cura, aliena indiget tutela, ut sic totius mundi nutritorem, tuo labore et vultus tui sudore nutrias. De quo in lib. III. tract. VIII. egimus. *Dico autem*, inquit Paulus ad Galat. IV. a v. 1. *quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium : sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.*

Nominis significatio.

Secundo est supponendum cum S. Thoma, 2. 2. q. XCII. art. I. ad 2. « Quod aliud est etymologia nominis, et aliud est significatio nominis. Etymologia attenditur secundum id, a quo imponitur nomen ad significandum : nominis vero significatio secundum id, ad quod significandum imponitur, quæ quandoque diversa sunt. Nomen enim lapidis imponitur a læsione pedis, non tamen hoc significat : alioquin ferrum, cum pedem lædat, lapis esset. »

Ministerium Josephi Virginiet infanti esse necessarium, declaratur ab Angelo.

His suppositis, volens Angelus Josepho amanter ostendere, ministerium, laborem, suæque personæ industriam et fidelissimam prudentiam Dei in terris familiæ esse necessariam ad utilitatem matris et filii, ad matrimonii honorem, et ipsiusmet Josephi eximiam exaltationem, dixit ei : *Pariet autem filium, et vocabit nomen ejus Jesum*, etc. Ubi Glossa ordin. sic interpretatur : « *Pariet ;* Ne videretur Joseph non esse necessarius ei, subdit : *Pariet :* et ita erit necessarius procurationi. » Sed multo præstantius S. Thomas hic super Matth. in expositione, et in Catena dicens : « Hic Angelus pronuntiat obsequium, quod exhibebit Joseph puero jam nato. Quia posset Joseph dicere : ita concepit ipsa de Spiritu sancto, et pariet filium, quid ergo ad

me? in nullo sum ei necessarius : ideo subdit ipsius Josephi obsequium : *vocabis nomen ejus,* etc. Ostenditque quod quamvis non fuerit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, et tunc matri et filio erit necessarius; matri, ut ab infamia defendat : filio, ut eum enutriat et circumcidat, quæ circumcisio notatur, ubi dicitur : *vocabis nomen ejus Jesum.* In circumcisione enim solet dari nomen. » Eia, eia, Joseph, viriliter age, ne moreris *accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Pariet filium* in temporalibus pauperem et mendicum tuo auxilio, ut sis ei in omnibus, naturali tantum generatione excepta, verus pater, verus tutor, verus defensor et nutritor, et Virgini matri ejus solatium singulare. Adverte, Joseph, et dignitatem tuam attente considera. Deus, per quem *nec ales esurit, qui dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum*; Psalm. 146. v. 9. *qui producit in montibus fœnum et herbam servituti hominum*, Psal. 103. v. 14. qui Danielem in lacu leonum mirabiliter pavit; Daniel. 14. v. 37. et 38. *qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione, et omnibus affluenter tribuit*; Psal. 144. v. 16. ille, *in quem desiderant Angeli prospicere*, I. Petri I. v. 12. factus homo vult tibi subdi, vult a te enutriri, vult denique ut filius tuus sub tua protectione morari.

Maria filium peperit non Josepho tantum, sed pro totius mundi salute

Pariet autem filium, etc. S. Ambrosius, homilia 2. de Nativitate Domini, sic explicat : « Joseph conceptum suscepit filium, quem non genuit. » Et ideo Angelus dixit : *Pariet autem filium*; et non dixit : Pariet tibi filium, sicut Zachariæ antea dixerat, ut optime advertit S. Thomas, hic in Catena, ex S. Chrysostomo. « Non dixit : Pariet tibi filium, sicut ad Zachariam. *Ecce Elizabeth uxor tua pariet tibi filium* ; Luc. I. v. 13. quia mulier, quæ ex viro concepit, marito suo filium parit : quia magis est ex illo, quam de ipsa. Hæc autem, quæ non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo. » De quo late in lib. III. tract. XVII. egimus. *Pariet autem filium*, etc. S. Chrysostomus et S. Thomas loco proxime citato : « Indeterminate, aiunt, hoc posuit, ut ostendat, quod non Josepho, sed universo orbi peperit Virgo Christum, juxta illud Isaiæ IX. v. 6. *Parvulus enim datus est nobis, et filius natus est nobis.* Et S. Bernardus, homil. 2. super *Missus est.* « Hic Joseph panem vivum servavit, non sibi, sed toti mundo. » Et ideo hanc universalem totius mundi utilitatem Angelus Josepho statim ostendit, dicens : *Et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et explicatius P. Salmeron, tomo III. tract. XXX. ante finem, §. Pariet autem filium : « Non quidem tibi, ait, ut Zachariæ dixit : quia non ex te concepit, ut Elizabeth ex Zacharia concepit. Ideo non tibi tantum, sed toti mundo : quanquam peculiariter etiam tibi, qui vocandus es ejus pater, quia natus in fundo tuo, hoc est, in utero Virginis, quæ jure matrimonii tua facta est. Etsi ergo ex te non concipiet, nec tibi ut patri naturali pariet, eris tamen partui necessarius ob honorem utriusque : et ob matrimonium, et ministerium, et tuam exaltationem. »

Pariet autem filium , etc. P. Joannes Maldonado horum verborum litteralem sensum prophetarum vaticiniis conformem sic explicat : « Videtur enim afferri hoc ab Angelo tanquam certum signum et argumentum, ad faciendam ejus, quod dixerat, fidem, eodem modo quo dixerat Isaias VII. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabis nomen ejus Emmanuel.* Proinde ac si diceret : sponsa enim tua non est adultera, sed Virgo illa integerrima, de qua Isaias dixit : *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Pariet enim filium, non filiam : quod cum videbis, non dubitabis, quin ex Spiritu sancto conceperit. Cum enim videris quæ futura prædixi, vera esse, credes quæ dixi, præterita vera fuisse. »

Cum nos conceptib spiritualib recurrer debemus Virginem

Pariet autem filium. Omnibus Maria concepit Dei Filium, toti orbi illum peperit Salvatorem Jesum, ut modo vidimus. Quod si tu sanctis desideriis, auxiliante Virgine, cujus medio a Deo bona cuncta procedunt, Christum spiritualiter conceperis, juxta ea, quæ in lib. III. tract. VIII. et in hujus libri IV. tract. XI. diximus, consilium meum tibi placeat, sanctum illud desiderium nondum Christo formatum eidem Virgini fovendum, et ejusdem misericordiæ lacte nutriendum restitue, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit, et ad locum, unde gratiarum flumina exierunt, revertantur, profundissimaque humilitate, amoreque et reverentia dic Virgini, quod Pharaonis filia matri infantis Moysi, Exodi II. v. 9. et 10. O Virgo sanctissima. *accipe puerum istum, et nutri mihi ; ego dabo tibi mercedem tuam.* Servus licet inutilis et indignus tuarum virtutum imitator esse curabo, et mirabilia tua

narrabo. Nec dubites, quin *puerum suscipiet, et nutriet, adultumque feliciter tibi tradet*, longe præstantius, quam filiæ Pharaonis mater Moysis. De quo in lib. III. tractat. XI. egimus.

nus ho- Josepho untiatur ngelo ex inis Jesu ositione.

Et vocabis nomen ejus Jesum, etc. Ad eamdem Angeli intentionem suadendi Josepho Virginem accipere, hæc verba pertinent, per quæ hunc honorem Josepho Angelus tribuit, ut infanti nascituro non ex se, sed ex Spiritu sancto tanquam proprio filio nomen imponat, simulque probare voluit quod antea dixerat, de cœlo conceptum, cui de cœlo nomen imponeretur. Observamus enim divinitus conceptis nomina quoque, anteaquam nascantur, divinitus dari. Isaac, Gen. XVII. v. 19. Joanni, Lucæ I. v. 13. et ex nomine ipso edoceri, qualis sit, qui conceptus est infans, ille nimirum missus, qui populum suum a peccatis liberaturus erat : hoc enim est Jesus Salvator : *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* » Ita P. Maldonado optime litteram explicuit hoc loco.

Ex quo satis aperte constat, ex hac nominis impositione maximam et incomparabilem dignitatem nostrum adeptum fuisse Josephum, et quia Patris æterni vices gessit, et quia paternitatis titulum in Filio Dei nulli unquam nec ex commissione instantanee concessum adquisivit. In quo patriarchas, prophetas, apostolos, evangelistas, omnes sanctos, et ipsos etiam cœlestes spiritus facile superavit. Unde sicut B. Virgo, eo quod mater Christi est, mater omnium est; sic etiam et B. Joseph, eo quod pater Christi putativus est, pater omnium jure nominatur, ut latissime in lib. III. tractatu VIII. et IX. disseruimus.

us, Ange- , Maria et eph impo- suerunt nen Jesu.

Et vocabis nomen ejus Jesum, etc. Deus tota ipsa æterna Trinitas, Angelus, Maria et Joseph, diverso tamen modo, imposuerunt nomen Jesu, quod Virgini ante conceptionem in utero, Josepho post conceptionem revelatum fuit, post nativitatem publice omnibus fuit declaratum, ut in lib. III tract. II. v. et VIII. egimus, ubi quam plurima de præstantia nominis Jesu enconomice in particulari tractavimus.

men Jesu num gra- rum signi- ficat.

Et vocabis nomen ejus Jesum, etc. Et quia, ut docet Aristoteles, IV. Metaph. « ratio, quam significat nomen, est definitio, quæ designat propriam rei naturam; » nomina recte imposita debent proprietatibus rerum correspondere. Unde S. Thomas, 3. p. q. XXXVII. art. II. in corpore, sapienter colligit, quod « nomina quæ imponuntur aliquibus divinitus, semper significant aliquod gratuitum donum eis divinitus datum; sicut Gen. XVII. dictum est Abrahæ : *Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te :* et Matth. XVI. dictum est Petro : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quia igitur Christo hoc gratiæ collatum erat, ut per ipsum omnes salvarentur, ideo convenienter vocatum est nomen ejus Jesus, id est, Salvator, Angelo hoc nomen prænuntiante, non solum Matri. sed etiam Joseph, qui erat futurus ejus nutritius. » De quo et qualiter ab etymologia nominis liceat argumentati, in lib. III. tract. V. digessimus, ubi quod quantum ad significationem nullus hoc nomen antea habuit; et quod hoc nomen alia Christi nomina propria, et metaphorica continet; et quod huic nomini debetur latria, et peculiaris reverentia a fidelibus; et quod hoc Jesu nomen cum Mariæ et Josephi nominibus in capite libri æternæ vitæ est inscriptum.

Nomen Jesus nomen est novum, neque alicui competit.

Et vocabis nomen ejus Jesum, etc. Nomen hoc Jesus, nomen esse novum dubitare non licet, juxta illud Isaiæ LXI. v. 2. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit.* Quem locum S. Cyrillus, lib. V. de Trinitate, paulo post principium, interpretans sic ait : « Nomen novum verbo divino est Jesus, et concurrens cum carnis nativitate, et propheticum oraculum astipulatur, Isaiæ LXII. *Vocabunt nomen ejus novum hoc, quod Dominus nominavit.* » Quamvis enim multi alii fuerint antea hoc nomine appellati, ut Jesus filius Nave, Josue XI. et filius Josedech, Agg. I. tamen si ad rem per hoc nomen significatam attenderimus, soli nostro Jesu nomen proprie convenit, juxta ea, quæ in 2. suppositione diximus. Nunquam enim quis propterea Jesus vocatus est, quod perfectissimam tum animis, tum corporibus salutem esset allaturus. Quam novam rationem ac significationem Angelus aperuit dicens : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Super quo P. Barradas, tomo I. lib. IX. cap. 3. §. subditur, sic merito exclamat : « O novam nominis rationem, et omnibus sæculis inauditam! Nomen profecto novum, quia quemadmodum nova est humanitas, juxta illud Hieremiæ XXXI. *Creavit Dominus novum super terram, femina circumdabit virum :* ita novum est nomen Jesu Christo homini inditum. Quod prædicta significant verba Cyrilli : No-

men, ait, novum est Jesus, et concurrens cum carnis nativitate. » Quo etiam illud Apocal. II. v. 17. pertinet: *Dabo ei calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum.* Ubi Glossa moralis : « Nomen novum scriptum, scilicet Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus. »

Jesus est nomen proprium Christi Domini.

Est ergo secundum hæc nomen Jesus nomen Christi proprium et personale, ut docet S. Thomas, 3. p. q. XVI. art. v. in corp. in fine, his verbis : « Nomina concreta supponunt hypostasim naturæ, et ideo indifferenter prædicari possunt ea, quæ ad utramque naturam pertinent de nominibus concretis, sive illud nomen, de quo dicuntur, det intelligere utramque naturam, sicut hoc nomen Christus, in quo intelligitur et divinitas ungens, et humanitas uncta, sive solum divinam naturam, sicut hoc nomen Deus, vel Filius Dei, sive solum naturam humanam, sicut hoc nomen homo, vel Jesus. Unde Leo Papa, epistola ad Palæstinos 83. in medio, ait : Non interest ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter, manente unitate personæ, idem sit, et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem. » De quo aliqua in lib. I. tract. I. tetigimus. Est enim Christus Deus et homo, et sicut propria nomina et personalia habet, naturam illam divinam significantia, qualia sunt, Verbum, Filius Dei, sapientia, patris imago : ita etiam oportuit, ut nomen quoque haberet proprium et personale, humanam naturam cum Verbo copulatam significans, quo ab hominibus, inter quos versari voluit, vocaretur. Hoc nomen est Jesus, quod reliqua nomina, quæ Messiæ in Scripturis tribuuntur, virtute complectitur. Quemadmodum enim omnia flumina intrant in mare; ita omnia Messiæ nomina intrant in nomen Jesu, ut optime docuerunt D. Bernardus, sermone 10. in parvis, et D. Thomas, 3. p. q. XXXVII. art. II. ad 1. et nos de hoc in lib. III. tract. v. egimus.

Nomen Jesus super caput ejus in cruce positum, quia omnium erat Salvator.

Et vocabis nomen ejus Jesum. Nomen profecto summa veneratione colendum, proferendum et audiendum. Nomen, inquam, quod Christus Dominus moriens super caput suum habuit, et justa quidem ratione et ordinatione cœlesti. Utpote qui pro hominum salute moriebatur, salutis nomen super caput suum haberet, quod mortis suæ piissimam causam mundo aperte demonstraret. *Imposuerunt,* inquit Evangelista Matt. XXVII. *super caput ejus causam ipsius scriptam : Hic est Jesus Rex Judæorum.* Etenim causa, cur Christus mortem subibat, hæc est, quia erat Jesus, id est hominum Salvator : et quia erat rex, qui pro populo suo adversus tartareos hostes voluit dimicare. Hæc causa ipsius erat, ut appellat Evangelista, ipsius, inquam, solius. Alii vero, qui in cruce patiebantur, propria luebant crimina : Dominus vero proprio sanguine aliena luebat. Alii morte plectebantur, quod homicidæ, quod fures, quod denique scelerati homines essent : Dominus autem morte afficiebatur, eo quod esset Jesus, eo quod esset hominum Salvator. Hæc ipsius solius causa. Nemo enim propterea mori potuit, quod totius mundi, quemadmodum Christus, Jesus et Servator esset.

Nomen Jesu contra omnem infirmitatem medicamentum, et universale electuarium.

Si ergo nomen Jesu Salvatorem significat, ut vidimus, merito sane D. Bernardus, et D. Bernardinus Senensis, tom. IV. ser. 41. de amore ineffabili, 1. p. principali prope finem, hoc benedictum nomen Jesu uni electuario ordinato contra omnem infirmitatem, quia contra omne periculum salvat animam et corpus, juxta illud Actor. II. v. 21. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit;* æquiparant. Hujus divini vasis omnium hominum remedium et medicinam continentis titulus inscriptus est Jesus, ut ab eo bona cuncta petamus, ut muneri suo faciat satis. Quid obsecro, est Jesus, nisi Salvator? ut cum D. Augustino dicamus, « Jesu propter nomen tuum, esto mihi Jesus. » Quod quidem titulus supra caput Jesu in cruce positus satis omnibus indicavit, ut modo probavimus, et advertit P. Osorius, tom. IV. ser. de nomine Jesu, prope finem.

Societas Jesu nomini correspondere debet.

Et hinc minimæ societatis nostræ Jesu Religiosi, qui sub crucis vexillo Deo militare decreverunt, juxta ejusdem religionis formulam a Paulo III. Papa in I. apostolica Bulla confirmatam tenentur ob oculos militiam noscere, cui nomen dederunt; pactum et suæ vocationis conditionem attendere; ut secundum nomen suum societatis Jesu, cujus finis est, non solum saluti et perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare; sed cum eadem impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere, nominis et vocationis mensuram adimplentes, sit laus eorum usque in fines terræ. Nam si non temere, sed peculiari Dei instinctu Jesu nomen in titulum acceperunt, rei significatæ per nomen debent induere similitudinem, seque in animarum salutem Christi coadjutores exi-

stimare tenentur, quin et ministerialiter peccatorum salvatores, dicente B. Jacobo, cap. v. v. 20. *Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte.* Ubi S. Thomas : « Salvabit animam ejus a morte occasionaliter, Deus vero causaliter. » Ut sic, sicut de Christo Domino, et de ejus nomine Angelus hic dixit : *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, proportionaliter in nostræ societatis Jesu Religiosis ad majorem Dei gloriam verificetur.

n Jesus
um be-
iorum
ilogus,
omni-
coli
bet.

Unde in hoc sacrosancto nomine Jesu omnium Christi operum et beneficiorum habemus epilogum, excitatorem memoriæ, ut recordetur homo omnium quæ ab eo recepit, et dicat : *Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ*, Isaiæ XXVI. Neque enim dicitur Salvator solum, quia nos glorificat, sed quia redemit sanguine suo, meruit gratiam, ac pro nobis satisfecit. Sicut ergo erecta statua aurea, præcepit Nabuchodonosor, Dan. III. ut auditis vocibus musicorum, omnes gentes genu flecterent coram statua sua aurea : ita nomen JESUS musica est dulcissima. « Est enim, teste Bernardo super Cantica, mel in ore, melos in aure, jubilus in corde : lucet prædicatum, pascit recogitatum, lenit et ungit invocatum. » Et sic eo nomine audito, flectendum nobis genu est, et caput aperiendum. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum*, ad Philipp. 2.

ni Jesu
genu,
dæmo-
, flecti
bet.

Quis, obsecro, dubitare poterit, testantur Origenes, et D. Bernardinus Senensis, tomo I. sermone XLIX. de triumphali nomine Jesu, capite 4. « nomen Jesu nomen esse gloriosum, omni cultu dignissimum? Tam singularis reverentiæ est nomen Jesu, quod ab ejus venerabili laude nullus excipitur status, nullus excluditur locus, nullum præscribitur tempus, nullum removendum est opus. Primo enim nullus excipitur status. Unde Propheta ait, Psalm. CXLVIII. *Reges terræ et omnes populi, principes et omnes judices terræ ; Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius. Confessio ejus super cœlum et terram.* Reges terræ se regentes et voluptatibus corporum imperantes dicuntur. Populi quicumque sunt in unum ad honorandum nomen Domini Jesu Christi in unitate et veritate fidei congregati. Principes et judices angelici cives sunt, principantes per potentiam, judicantes per sapientiam. Juvenes sunt charitate ferventes, Virgines castitate fulgentes, seniores a voluptate deficientes, et libidine refrigescentes, Juniores sunt balbutientes. *Laudent nomen Domini*, ut nullus status, non dignitas, non sexus, non ætas ab ejus laude intelligatur excludi. *Quia exaltatum est nomen ejus solius*, juxta illud Apostoli ad Philipp. II. *Dedit illi nomen quod est super omne nomen.* Ut verificetur quod scriptum est Cant. *Oleum effusum nomen tuum* ; et illud Psalm. CXII. *A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.* »

Quod si dicas vaticinium illud Pauli ad Philip. II. *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris*, in cœlestibus fuisse adimpletum, non dubium. De terrestribus etiam jam diximus. Restat videndum quomodo etiam in inferis id adimpleatur, ut huic nomini genu flectant ipsi etiam dæmones. Respondetur omne Dei nomen in inferno a damnatis blasphemari, sed hoc nomen Jesu non blasphemari, quinimo illud reverentur dæmones, et eo audito genu flectunt, et ut Patre Osorio teste, ser. de circumcisione Domini. §. respondetur, « Franciscus Venetus in harmonia mundi ait : Nec tacebo, quod experimento didici, nullum dæmonem ex his, qui vexant corpora humana, posse resistere, quin velint, nolint, genua flectant, quando nomen Jesu debite pronuntiatum ipsis proponitur venerandum, ut fidelis inveniatur, qui dixit : *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum.* Et idem Franciscus Venetus, cap. 16. affirmat Hebræos in divinis nominibus peritissimos nihil jam Dei nominibus operari posse in dæmones ejiciendos, quia omnis vis ad nomen Jesu transiit, quo quia non utuntur, ut vim aliquam habeant, ut illi fassi sunt, dæmonia invocant facti necromantici. »

Omne opus incipiendum et finiendum in nomine Jesu.

Et sicut a laudibus hujus præstantissimi nominis Jesu nullus excipitur, nullus excluditur, aut liberatur, ut modo vidimus ; « ita etiam, inquit S. Bernardinus Senensis, ubi proxime, cap. 4. ad finem, ab ejus laude nullum removendum est opus. Unde Apostolus ad Colos. III. ait : *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite.* Optimus enim ordo est, ut totius vel verbi, vel operis a nomine Jesu nobis origo et initium sumatur, et in

Jesum consummatio referatur. Nam et per Dominum nostrum Jesum Christum orationes Ecclesiæ terminantur. Quare si dormitum accedis, si inde resurgis ; si cibum, vel potum sumere incipis, aut desinis : si scribis, vel legis, seu aliquid aliud operaris, nomen Jesu, seu Jesu Christi reverentialiter interponas exemplo Pauli, qui hoc servabat. Unde Actor. IX. scriptum est : *Disputabat autem Paulus in synagoga per omne sabbatum, interponens nomen Domini Jesu : suadebatque Judæis et Græcis hoc nomen.* »

Perfecti afficiuntur maxime nomine Jesu.

Et hinc quotidie experimur, et nostris oculis frequenter videmus, secundum S. Bernardinum Senensem, to. IV. ser. XLI. de amore ineffabili, in principio. « Quod servi Dei quanto magis sunt in gratia, tanto majorem devotionem et dulcorem sentiunt in nomine Jesu, sicut de S. Paulo, qui fuit singulariter acceptus Deo, quemadmodum indicant verba Christi Ananiæ de ipso Paulo, dicendo : Actor. IX. *Elegi ipsum mihi in vas electionis, ut portet nomen meum coram Gentibus.* Elegit enim Deus inter alios Apostolos specialiter S. Paulum, qui suum gloriosum nomen per mundum spargeret et propalaret. Et bene id fecit, quia legitur in epistolis S. Pauli quinquies centies hoc gloriosum nomen Jesu esse nominatum. Et ideo vos, qui practicando agitis in mundo, si vultis quod res vestræ prospere vadant, regite vos in omnibus operationibus vestris cum nomine Jesu, secundum doctrinam et regulam S. Pauli dicentis : In nomine Jesu facite, aut dicite, quia non est nomen in cœlo, nec in terra, quod sit tanti valoris, sicut est nomen Jesu. In quo nomine omnia antiqua miracula nova facta sunt, fiunt, atque fient. »

Nomen Jesu constituit fideles, et distinguit ab infidelibus.

Est præterea hoc sanctissimum Jesu nomen debite invocatum, signum distinctivum fidelium ab infidelibus, ut optime P. Osorius, tomo I. sermone 1. de Circumcisione Domini, longe post medium §. solent, his verbis advertit : « Solent hi, qui obsessam civitatem ab hostibus, aut e regione inimicorum sitam defendunt, si quem subito offendant, ut sciant an suas, an contrarii ducis partes agat, tacite interrogare, quis vivat, aut quis regnet? ille vero caveat, ac diligenter perspiciat quemadmodum respondeat, ne ab illius gladio confodiatur, si signatum a duce nomen non proferat ; sic si a christiano homine quæratur quisnam in illo vivat, quis regnet? Christum in se vivere dicat cum Apostolo ad Galat. II. Ne si aliud dixerit, pereat, et nomen Jesu vereatur, ut sicut cum auditur, quod vulgo dici solet (aqui del Rey) qui regis partes agunt, continuo accedunt ; sic etiam tu in his, quæ ad Christi gloriam conducunt, illi assistas, et in omni tua tentatione et tribulatione nomen, quod vocare debes, est Jesus. De quo nomine dictum est, Psalm. CX. *Sanctum et terribile nomen ejus.* Sanctum et dulcissimum invocanti, terribile dæmoniis, contra quæ invocatur. Peto ergo a te quisnam in te vivit? neque immerito hoc interrogo, quoniam sunt dii multi, et domini multi, ait Paulus I. ad Corint. VIII. Clamavit olim omnis populus, I. Reg. X. *Vivat rex Saül.* Clama et tu, vivat Jesus. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ; ad Rom. VI. Si enim peccatum in te regnat, non vivit in te Jesus. In homine justo Christus vivit, sicut Paulus ait ad Galat. II. *Vivit vero in me Christus.* Accepimus ab Apostolo, ait D. Bernardus, habitare Christum per fidem in cordibus nostris ; cum ergo fides in te mortua est, Christus in te mortuus est : cum fides vivit et regnat, Christus similiter vivit et regnat. »

Enconom stica exc matio a nomen Je

Quæ omnia dulciter et devote D. Bernardinus Senensis, tomo I. sermone XLIX. de triumphali nomine Jesu, cap. IV. ad finem considerans exclamavit in hæc verba : « O igitur nomen Jesu exaltatum super omne nomen ! O triumphale nomen ! O gaudium Angelorum ! O lætitia justorum ! O pavor infernorum ! In te omnis spes veniæ, in te omnis spes gratiæ, in te omnis spes gloriæ. O nomen dulcorosum? Tu peccatoribus veniam præstas, tu mores renovas, tu mentes divina dulcedine reples, tu phantasmata pellis. O nomen gratiosum ! Per te alta mysteria revelantur, per te ad divinum amorem animæ inflammantur, roborantur in pugna, et a cunctis periculis liberantur. O nomen gloriosum ! Nomen desirabile ! Nomen delectabile ! Nomen admirabile ! Nomen venerabile ! Tu dulcissimum nomen Regis Jesu sic paulatim ad cœli fastigia per gratiarum charismata mentes fidelium sursum rapis, ut omnis, qui ad devotionem hujus nominis intrat, virtute ejus gloriam inveniat et salutem per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto gloriosus regnat in sæcula sæculorum. Amen. »

Christian Christ nome acceper

Illud tamen unum pro hujus tractatus complemento non omittendum putavi, nos a Christo Domino præclarissimum christianorum nomen accepisse. De quo D. Chrysosto-

mus, hom. 18. in Joan. sic pulcherrime ait: « Uno omnes appellamur nomine, christiano scilicet, omnium maximo, atque præstantissimo : cum quo et filii Dei, et amici, et corpus dicti sumus, » etc. De hoc nomine Isaias LXV. vaticinatur his verbis : *Interficiet te Deus, et servos suos vocabit nomine alio.* Ubi Glossa ordinaria sic interpretatur : « *Interficiet te Deus*, populum scilicet Judæorum, *et servos suos vocabit nomine alio*, hoc est, christianos. » Et idem Isaias LXII. *Vocabitur tibi nomen novum , quod os Domini nominavit.* Ubi Glossa : « Nomen novum interpretatur nomen christianum. » Et Eusebius , lib. II. de demonstratione Evangelica, cap. XLIX. sic ait : « Nomen novum , quod antiquis ignotum fuerit, quodnam, quæso, fuerit, nisi christianorum, quod a Salvatoris nostri Jesu Christi appellatione deductum in toto orbe terrarum laudibus et fervore celebratur ? » Et P. Barradas, tomo I. lib. IX. cap. 7. ad finem. §. Hæc de Christi Jesu nominibus.

iani suum imi- e et tate olere nt.

Juste ergo a Christo Domino christiani fideles appellati merito possunt gloriari, dum tamen non solum vacuum nomen et inane, sed Christo et ejus vitæ conforme enixe habere curant: alias enim christiani male viventes nomini et ipsimet Christo injuriam irrogant, ut D. Augustinus, tract. L. in Joannem, post medium, his verbis asseruit: « Qui male vivunt, et christiani vocantur, injuriam Christo faciunt, de quibus dictum est, quod per eos nomen Dei blasphemetur. Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Dei laudatur. Audi Apostolum, II. Cor. II. v. 15. *Christi bonus odor*, inquit, *sumus in omni loco.* » Debet ergo christianus secundum nomen suum Christum operibus imitari, ut D. Cyprianus, lib. de duodecim abusibus, et D. Maximus, in sermone de Natali Domini , sic aiunt : « Christianus nemo dicitur recte, nisi qui Christo moribus, prout valet, coæquatur. » Aliter enim christiani nomen frustra sortiretur, ut D. Augustinus, lib. de vita christiana, pulchre hortatur et docet : « Ille vero christianus est, qui omnibus misericordiam facit; qui nulla omnino movetur injuria; qui alienum dolorem tanquam proprium sentit ; cujus mensam nullus pauper ignorat: qui coram hominibus inglorius habetur, ut coram Deo et Angelis glorietur, qui terrena contemnit, ut possit habere cœlestia ; qui opprimi pauperem, se præsente, non patitur ; qui miseris subvenit ; qui ad fletum fletibus provocatur alienis. Quod bene faciebat Paulus, II. Corint. XI. v. 29. *Quis infirmatur, et ego non infirmor?* » Et paulo inferius ita ipse concludit : « Christiani nomen ille frustra sortitur, qui Christum minime imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, et nomen usurpare alienum ? Sed si christianum te esse delectat, quæ christianitatis sunt, gere, et merito tibi nomen christiani assume. » Nomina enim, ut sæpius diximus, rebus consona esse debent. Unde D. Augustinus, lib. de vita christiana nuper citato, et D. Bernardinus Senensis eum referens, to. I. sermone XLVI. post Dominicam in Passione, art. 3. cap. 1. sic uterque ad nostrum præsens propositum ait : « Quis tam vanus et miser est, qui se advocatum, cum litteras nesciat, audeat profiteri ? Quis tam insanus et excors, ut profiteatur se militem, qui nescit arma gestare? Nemo enim quodcumque nomen sine causa sortitur, sutor ut dicatur, necesse est ut calceamenta conficiat. Quis faber vocetur et aurifex, nisi qui peritiam artis et novit, et facit ? Negotians nuncupatur, qui, quod vilius emit, carius distrahit. » Et subdit : « Talibus exemplis cognoscimus nullum nomen sine actu, sed omne nomen ex actu causari. Ergo tu quomodo christianus diceris, in quo nullus Christi actus apparet? Christianus justitiæ, bonitatis, integritatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, humilitatis, innocentiæ et pietatis est nomen. Ergo tu quomodo hoc nomen tibi defendis et vendicas, cui de tam pluribus rebus nec pauca subsistunt? » Contra hujusmodi nominales, ut ita dicam, recte invehitur D. Chrysostomus super Matthæum dicens: « O christiane, delicatus es miles, si putas sine pugna te posse vincere, sine certamine triumphare : fortiter dimica, atrociter in prælio certa, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce : pactum quod spopondisti, conditionem ad quam accessisti, militiam cui nomen dedisti. Hoc enim pacto quos miraris, omnes pugnaverunt, hac conditione universi vicerunt, hac militia triumpharunt. » Non enim Sanctos laudare absque imitatione sufficit, ut in lib. I. tract. XI. resolvimus.

Solum christiani nomen absque operibus non sufficit.

Ad quod maxime conducit quod doctissimus Procopius in commentariis super cap. LXVI. Isaiæ constanter asseruit, christiani nominis appellationem coronam nuncupari dicens : « A Christo christiani nominis appellatione veluti corona redimimur. » At

coronam fulgentibus splendere margaritis in primis oportet: ergo christianum nomen, quod corona est, christianis factis ardentibus veluti pyropis splendere necesse est. Quod mire D. Augustinus, ser. 215. de Tempore, pulcherrimis his exornavit verbis: « Non nobis sufficit quod nomen christianum accepimus, si opera christiana non fecerimus, etc. Regium animum, regium caput, regiaque facta corona requirit: corona nomen est christianum: regium ergo animum charitate plenum, regium caput fide, rerumque æternarum meditatione illustratum, regia, celsaque non abjecta ac vilia facta a christiano flagitat. » O christiane, coronæ, nominisque regii dignitatem tuere: regium nomen est christianum, quod regiam significat unctionem; tam nobili appellatione ad præclara opera excitare. Audi Chrysostomum, homil. 18. in Joannem: « Hac christiani appellatione cæteris omnibus vehementius excitari, et promptiores ad virtutem amplectendam fieri, neque ea quidquam indignum facere, conari debemus, cum eodem quo Christus nomine vocamur, cujus excellentiam nos intelligere oportet. Quod si is, qui principis cujuspiam, aut alterius clari viri nomen sortitus est, cum id audit, tumet et magnæ id sibi gloriæ arbitratur, atque ne illi, a quo nomen accepit, sua negligentia infamia inuratur, pro viribus adnititur: quid nobis faciendum est, qui non terrenæ alicujus potestatis, sed ipsius omnium Regis nomine appellari dignati sumus? Nonne ita animam nostram instituemus, ut non afficiatur infamia, qui tanto nos honore prosecutus est? » Quo etiam spectat quod refert Plutarchus in vita Alexandri, quod cum Magnus Alexander in cujusdam expeditione belli in rupem quamdam inexpugnabilem impetum facere conaretur, gravissimis his verbis prævium quemdam ducem Alexandrum etiam nominatum hortatus est: « Recordare, recordare nominis Alexandri, ut fortiter, strenue et laudabiliter agas. » De magno etiam illo Scipione refertur solitum fuisse frequenter dicere, « nihil aliud magis eum ad virtutem et heroica opera exercenda commovere, quam suorum majorum imagines et antiquas statuas, quas egregiis gestis meruerant, contemplari. » Quanto ergo magis homo christianum nomen sortitus inimicos persequi, nec retrocedere debet, donec omnes illi deficiant? « Non ergo, ait D. Gregorius Nyssenus, in tract. de professione, vacuum christiani nomen sufficiet, sed operibus dignis plenum, ut sic vere et perfecte christianus mereatur appellari. »

Et dolendum maxime est quod christianorum plurimi habentes nomen, ut vivant, mortui sunt. Quibus plane contingit illud Esdræ II. cap. XIII. ubi quia Israelitæ alienigenis nupserant, *Filii eorum ex media parte loquebantur Azoitice, et nesciebant loqui Judaice, et objurgavi eos, et maledixi.* Sic multis fidelibus hodierna luce contingit, ut ex media parte loquantur fideliter, ex altera vero media gentiliter. In his quæ sunt fidei, ut fideles loquuntur, in moribus vero Ethnici, et ab hæreticis vix in hoc distinguuntur, ut S. Augustinus, lib. quæst. Evang. cap. XII. in hæc verba docet: « Inter hæreticos et malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt. » Et paulo inferius idem S. Augustinus: « Alia enim, inquit, discimus, ut sciamus, alia, ut faciamus. Legem autem Domini audire, nec implere, adeo nihil juvat ut in majorem damnationis cumulum cedat, dicente Domino: Servus qui scit voluntatem domini sui, et non faciens, plagis vapulabit multis. » Quod de philosophia morali agens solo naturali lumine motus attigit Aristoteles, lib. I. Ethicorum, in principio, dicens: « Frustra sane morali scientiæ operam dat, qui sola ejus cognitione contentus, agere negligit quæ cognovit. » Quapropter D. Jacobus in sua epistola canonica, cap. I. ad veritatem hanc efficaciter omnes hortatur: *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiens oblitus est qualis fuerit.*

Et timendum ab his vehementer est, ne peccatorum multiplicitate et diuturnitate in profundum malorum venientes contemnant, et eos erroris ignominia, et hæresis opprobrium sequatur, et christianum nomen, quod frustra tenent, amittant. Justo enim Dei judicio propter peccata permittuntur homines in hæresim prolabi: sicut enim scintilla in fomite, et ignis in stupa; sic etiam hæresis in peccatorum materia incenditur. S. Anselmus explicans illud ad Ephes. v. *Ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum*: ait: « In nequitia hominum dixit Paulus, quia hæresis non est nisi in anima subdita peccatis: quia peccata

commissa sunt causa ut Deus permittat eos errare in barathrum hæresis. » Et expresse Apostolus, I. ad Timoth. VI. v. 9. *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Ubi S. Thomas, lect. 2. sic ait : « Cujus ratio est quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, a quibus desistere nolunt, et inveniunt sibi aliam doctrinam, ubi eis sit spes salutis, et hoc specialiter faciunt usurarii. » Et idem Apostolus I. ad Timot. I. v. 19. *Habens bonam fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Ubi S. Thomas lect. 4. « Qui enim contra fidem errat, perdit omnia quæ habet. Ad Hebr. XI. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item moritur : quia *justus meus ex fide vivit*, Habacuc. II. et Rom. I. » Est enim fides lucerna illa evangelica super candelabrum posita, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Caveant ergo fideles, ne divinam hanc lucem inter scopulos, et tentationum ventos discoopertam, et operibus bonis destitutam ferant, ne eorum vehementia extinguatur, juxta illud Proverb. XXVI. v. 20. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis.* Quapropter doctissimus doctor Franciscus Pegna, II. p. Directorii inquisitorum, cap. I. commento 1. sic exhortatur, et monet : « Diligenter peccata sunt præcavenda, quia præter alia mala, quæ inducunt, causa etiam sint unde hæreses oriantur. Quædam tamen sunt peculiaria vitia præcavenda, a quibus peculiari ratione oriri solent hæreses, scilicet amor sui, inanis gloria, avaritia, concupiscentia carnis, superbia, ambitio et invidia. » Et paulo inferius colligit : « Unde constabit, quod cum quis prô hæresi, vel hæresis suspicione aut captus est, ant in eum inquiritur, indicium est rem ita se posse habere, si innotuerit eum aut his, aut aliquo ex istis peccatis inquinari. »

Est enim quasi ex hæresi certa resultantia turpitudo et luxuria, ut D. Hieronymus super Oseam cap. VII. ad finem, his verbis docet : « Hæretici volutantur in sordibus libidinum, vacant stupris : raro enim hæreticus diligit castitatem, et quicumque amare pudicitiam se simulant, quæ secrete agunt, turpe est et dicere. » Et iterum : « Omnibus hæreticis familiare est rationem aliquam inire, qua pudicitiæ velum inferant. » Quod Apostolus ad Rom. I. v. 4. cum sequentibus satis explicuit dicens : *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam ; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ : exarserunt in desideriis suis invicem, tradidit illos Deus in reprobum sensum.*

Incomparabilis dignitas Josephi in imponendo nomen Jesu.

Ex his omnibus, et ex nostri Evangelii fundamento, *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum*, constat manifeste incomparabilem dignitatem impositionis, et publicationis nominis Jesu angelica legatione nostro sanctissimo Josepho fuisse allatam, cum mos observatissimus sit apud homines, ut patres nomina filiis imponendi auctoritatem habeant. Cum ergo Jesus sit Filius Dei naturalis, aperte liquet B. Josephum æterni Patris in hac dignitate vices gessisse. Nihil enim usitatius apud imperatores, reges, et magnates inveniri solet, quam, cum baptismi tempore eorum filiis imponenda sunt nomina, per alium regem, aut regis nuncium, vel magnum quempiam virum id compleant et exerceant. Nullus enim alius apud cœlestem Patrem grandior, nullus gratior, nullus demum præclarior ad sanctissimum Jesu nomen imponendum et declarandum, sicut noster Joseph inventus fuit : sic noster Evangelista hoc caput I. v. 25. concludit : *Et vocavit nomen ejus Jesum.* Et hæc de hoc tractatu dixisse sufficiat.

De significatione, etymologia et effectu mirabili nominis Jesu omnium Salvatoris, et de cooperatione sanctissimi Josephi in tractatu sequenti XIII. agemus.

IPSE ENIM SALVUM FACIET POPULUM SUUM A PECCATIS EORUM. Matt. I. v. 21.

TRACTATUS XIII.

De Christi Domini copiosissima salvatione in communi pro omnibus, et pro quolibet homine in particulari in Passione, et in Eucharistiæ sacramento.

Christus Deus est, quia peccata dimittit, quod solius Dei est.

Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis. Volens adhuc et intendens sanctus ille Angelus nostrum sanctissimum dignificare Josephum, et omnia, quæ a Deo acceperat, nota ei facere, modo conatur ostendere, quod ille, qui in utero Virginis sponsæ suæ conceptus est de Spiritu sancto, verus Deus est. Quod partus ab illa feliciter est edendus, Deus est. Quod ille, qui ab eo nomen Jesus est publice accepturus, Deus est. Quod ille, qui ut pauper et peregrinus ejus in terra ministerio, adjutorio, cura et tutela eget, ut in tractatu XII. præcedenti resolvimus, Deus est, Salvator est, dimittendique peccata potestatem habet, quod solius Dei est. S. Thomas in horum verborum commento sic ait : « In libro Judicum frequenter dicitur quod talis, vel talis salvabit Israël : sed a quibus? Ab inimicis carnalibus : hic autem a peccatis, remittendo peccata, quod soli Deo competit, Luc. IX. *Ut autem sciatis quod filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, etc. Nota, quod hic confunditur Nestorius, qui dicebat quod illa, quæ Dei sunt, ut esse ab æterno, esse omnipotens, vel hujusmodi, non conveniunt illi homini. Ecce quod ille idem homo, qui natus est de Virgine, qui vocatur Jesus, *ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Unde cum peccata dimittere non possit, nisi solus Deus, oportet dicere quod iste homo sit Deus, et quod ea, quæ Dei sunt, ei verissime conveniant. » Et eruditus et eloquens Severianus episcopus Galbanensis, relatus a S. Thoma hic in Catena eodem intentu : « Veniant, inquit, et audiant qui requirunt, quis est quem Maria genuit? *Ipse enim salvum faciet populum suum*. Non alterius salvum faciet populum. Unde? A peccatis eorum : esse Deum, qui peccata donat, si christianis non credis, crede infidelibus, vel Judæis dicentibus : *Nemo potest peccata dimittere, nisi solus Deus*; Luca V. v. 21. et Origenes homilia 39. de diversis : « *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*. Duo enim per hoc verbum præclare designantur, et quod verus Deus sit, et verus homo, et quod populus ejus ab ipso sit salvandus : et ideo dictum est : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, ut verus Deus. Dei enim virtutis est a peccato salvare, vel peccata dimittere. Est ergo Filius Dei habens populum suum, sive ex Judæis, sive ex Gentibus. De quo jam ipse per Prophetam fuerat locutus dicens : *Dixit Dominus ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ*, Psal. II. *Ipse enim salvum faciet populum suum*, etc. sanguine videlicet suo cunctos redimens, morte sua de mortis eos liberans potestate. Ipse enim salvabit, hoc est, erit Salvator omnium fidelium, atque credentium. » Theophylactus etiam breviter collegit : « *Salvabit populum suum a peccatis eorum*. Unde manifestum est Deum esse, qui nascetur : solius enim Dei est, condonare peccata. » Idemque quamplurima divinæ Scripturæ loca aperte docent. Nam Job. XIV. dicitur : *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu, qui solus es?* Ubi S. Thomas, lectione I. angelici sui intellectus rationem dignam assignat, dicens : « De immundo facere mundum est ejus, qui per se mundus est, sicuti de frigido facere calidum est ejus, quod per se calidum est. Et ideo subdit : *Nonne tu qui solus es?* scilicet vere, et per te ipsum mundus : puritas enim, et munditia in solo Deo perfecte invenitur, in quo nec impuritas, nec defectus aliquis esse potest. Unde quidquid quocumque modo mundum, vel purum est, a Deo munditiam, vel puritatem habet. » Et Isaiæ XLIII. ait Dominus : *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum vestrorum non recordabor*. Et ponderanda sunt ipsa nostri Evangelii verba : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, cum Patre Salmerone tom. III. tractatu III. ad finem, dicente : « Ipse, inquit, solus ipse per sese, quia Deus est, et homo innocens de Spiritu sancto conceptus, et solus torcular calcans, potens, mediator ac redemptor. De quo intelligere

possumus illud Psal. CXII. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Id est, Deus est, et humilia respicit. Id est, homo est in cœlo, et in terra, videlicet in anima et corpore mortali, quæ assumpsit. » Et Lyra hic breviter omnia resolvit dicens : « *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* In hoc autem ostendit Angelus, eum verum hominem in partu Virginis : verum Deum in salute populi a peccatis; quia nullus potest salvare a peccatis, nisi Deus. »

Jesus catis , soli Do- otuit tere.

Ex quo aperte constat, quod secundum hanc nominis Jesu etymologiam ab Angelo divinitus traditam, *Vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, secundum hunc effectum, ad quem significandum fuit nomen impositum, soli Christo Domino et non alii competit,nec convenire unquam potuit, ut in tractatu XII. præcedenti resolvimus. Et sic S. Hieronymus hoc loco concludit : « Jesus enim hebræo sermone Salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis significat dicens : *ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum.* Ostendit enim eumdem totius mundi Salvatorem, et nostræ salutis auctorem. Salvat quidem non incredulos, sed populum suum, hoc est, in se credentes salvat, non tam a visibilibus hostibus, quam potius invisibilibus, hoc est, a pecccatis salvat, non armis pugnando, sed peccata relaxando. » Et S. Chrysostomus hic, *Ipse enim salvum faciet*, etc. ait : « Non a bello visibili, nec a gladio Barbarorum, sed quod longe majus est, a peccato suo populum nuntiat Angelus liberandum. Quod præstare nulli fuit hominum aliquando possibile. » Et magis in particulari S. Anselmus : « Salvabit non ab hostibus corporalibus, sicut Josue et David, sed a peccatis, quod non est hominum, sed Dei solius. » Et hinc Oseæ I. dicitur : *Salvabo eos in Domino Deo suo; et non salvabo eos in arcu et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus.*

us est s de- trati- ; et ivus.

Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Ponderandum hic maxime est pronomen hoc, *ipse*, quo usus fuit Evangelista noster : est enim aliquando demonstrativum, aliquando relativum, et utroque modo ad præsens nostrum præcipue conducit propositum. Christus enim ipse est pronomen demonstrativum, quia pro nomine, id est, pro homine se posuit, mortem pro illo sustinendo, et se pro eo diabolo et vitiis opponendo; et eum defendendo. *Venit namque ministrare, et non ministrari, et dare animam suam in redemptionem pro multis*, Matth. XV. Et ideo Isaias LIII. de eo loquens, eodem demonstrativo pronomine utitur, dicens : *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit : ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter sceleru nostra.* Est etiam ipse relativus, se nobis conformando, et carnem nostram assumendo , et voluntatem Patris cœlestia quæque mysteria prædicando et referendo, quia sicut dicitur ad Ephesios secundo : *Ipse est pax nostra,qui fecit utraque unum*, ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem. Fuit denique demonstrativus et relativus simul, viam vitæ verbo et exemplo seipsum visibiliter hominibus demonstrando, ut dicitur Psalm. XVIII. *Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam.*

Christus Salvator est quoad sufficientiam in toto rigore justitiæ, nec nostram cooperationem excludit, ut sit efficax.

Ipse enim salvum faciet, etc. Eodem pronomine, *ipse*, intendit Evangelista B. Josepho et omnibus ostendere Jesum verum et unicum Salvatorem, et mundi Redemptorem, juxta illud Sophoniæ III. *Dominus Deus tuus in medio tui, fortis ipse salvabit*; et Danielis VI. *Ipse enim est Deus vivens et æternus in sæcula, ipse salvator, et liberator;* et Ezechielis XXXIV. *Ecce ego ipse judico inter pecus et pecus;* et per prophetam Isaiam XLV. v. 21. clarius concludit : *Deus justus et salvans non est præter me.* Ipse Deus et homo Christus Jesus potuit homines a peccatis salvare, et Deo in toto rigore justitiæ satisfacere, ut docet S. Thomas, 3. part. quæst. II. articulo II. per totum, præcipue ad secundum argumentum : intellige tamen quoad sufficientiam tantum : nam merita Christi pœnitentiam non excludunt nostra, aut merita, quæ tamen propter Domini merita sunt meritoria, sine illis vero nihil habent aut pretii,aut meriti. Quod more suo docuit S. Thomas, 3. p. quæst. LXXIX. articulo VII. ad 2. dicens : « Passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, et ad remissionem culpæ, et adeptionem gratiæ et gloriæ : sed effectum non habet nisi in illis, qui passioni Christi conjunguntur per fidem et charitatem. » Passio enim et satisfactio Christi nobis medicina quidem fuit sufficientissima ad omnem languorem, ut S. Augustinus, libro Soliloquiorum : « Fusus est sanguis medici, et factum est medicamentum phrenetici; » et diximus in tractatu XII. præcedenti. Medicina autem quævis etsi suf-

ficientissima ad sanandum, non tamen sanabit, nisi applicetur vulneri; ad eumdem autem pertinet tradere modum applicationis ipsius medicinæ, et esse auctorem illius medicinæ. Unde si Christus Dominus voluisset ut per passionem suam consequeremur nostrorum veniam peccatorum et gloriam absque fide et operibus nostris, posset quidem. Et sic videmus Christi passionem, et merito, applicari puero in baptismate nullis oneribus pueri præcedentibus. Non tamen voluit ut nobis applicaretur sine fide et operibus nostris, ut Matth. XVI. ipse dicit : *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Quia licet bona opera in nobis sint dona Dei misericorditer concessa, quia tamen ea libere facimus, nostra dicuntur, et per ea meremur. In quo maxime bonitas Dei relucet, ut optime Cœlestinus Papa I. in epistola I. cap. 12. his verbis dixit : « Tanta erga omnes homines est bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus. » Quod quidem magna sapientia, et magno consilio gestum est : Primo, habita ratione dignitatis nostræ naturæ: non enim sumus nos instrumenta inanimata, sed animata, et rationabilia, et qui possumus cooperari ipsi Deo in re tanti momenti, ut est nostra æterna salus, juxta illud II. Petri I. v. 10. *Quapropter, fratres, magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis : hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Quod certe maxima hominis dignitas est. Secundo, ratione conditionis nostræ fragilitatis habita : nisi enim pœna deterreamur, facile prolabimur in fœdissima vitia et peccata. Ne igitur servi Christi essent pejores servis ipsius dæmonis, ideo necessarium fuit ut nos bene operaremur, ne Christi passio fieret occasio innumerabilium malorum. Exigi ergo nostram satisfactionem, tantum est exigi dispositionem, qua Christi satisfactio applicetur, et in nobis habeat efficaciam, de quo ultra S. Thomam, et Patrem Suarez, ubi supra, videndi sunt Doctores in IV. distinctione XV. et XIX. et Castro, libro XI. adversus hæreses, versicul. opera. hæresi 4. contra Lutherum. Per nos ergo stat, non per Dominum, apud quem *misericordia et copiosa apud eum redemptio,* Psal. CXXIX. v. 7. Per nos stat, non per Deum, qui per suum prophetam Oseam XIII. v. 9. semper clamitat : *Perditio tua, Israël : tantummodo in me auxilium tuum.* Per nos stat, non per Dominum, qui Psalm. LXVII. v. 21. ait : *Deus noster, Deus salvos faciendi.* Per nos stat, non per Deum, qui de nobis in peccatis perseverantibus, nec pœnitere volentibus, cum tamen non desint medicina sacramentorum, nec sacerdotes, conqueritur Hierem. VIII. in fine. *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Ubi Glossa interlinealis, et ordinaria : Resina, id est, medicina pœnitentiæ. Medicus, id est, propheta, vel sacerdos, quorum medicamine curari debuit. Caveamus et timeamus vehementer, ne transeat vita, ne tempus merendi transeat, et nobis bene operari, dum lucem habemus, negligentibus, infeliciter et irremediabiliter contingat, quod idem propheta antea dixerat : *Transiit messis, finita est æstas, et nos salvati non sumus.* Ubi Glossa moralis : *Transiit messis,* id est, tempus merendi ; *et nos salvati non sumus,* quia tempore merendi negleximus bene operari. Hoc dicitur in persona damnatorum, sicut et illud Sapientiæ v. *Quid nobis profuit superbia et divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia sicut umbra, lassati sumus in via iniquitatis et perditionis.* » Quapropter P. Salmeron, tom. III. tractatu XXX. in fine, nos omnes sic gravissime hortatur. « Tanto igitur medico, ac tam potenti Salvatori nos, qui quotidie cum morbis spiritualibus conflictamur, atque in continuis periculis versamur, prompto, atque alacri animo subjiciamus, cogitatus omnes nostros in illum jactemus, eique grati per omnia esse contendamus, quoniam illi cura erit de nobis, tutioremque in illius manibus nostram incolumitatem habebimus, quam in nostris. »

Nec minus adhoc conducit particula, *enim,* Christus catoren veniam vocat *ipse enim salvum faciet populum,* etc. quæ de Dei potentia et magnificentia prædicatur : *Tua est enim, Domine, magnificentia, potestas, gloria, et victoria,* I. Paralipom. XXIX. Quod impræsentiarum aperte docet Evangelista : *Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Ecce Dei potentiam, Deum hominem factum absque virginitatis violatione, quod majus miraculum est, quam a Deo expectari potest, ut in tractatu II. hujus libri quarti probavimus. Per eamdem etiam particulam, *enim,* Dei ostenditur clementia, quæ semper succurrit miseris, culpas nobis remittendo, ut noster ait Evangelista : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Omnia

ergo habemus in Christo, et omnia in nobis Christus est. S. Ambrosius, sermone 89. Spiritus divini zelo et fervore incensus cujusvis status et conditionis homines sic amanter alloquitur : « Omnia habemus in Christo, et omnia in nobis Christus. Si a vulnere curari desideras, medicus est : si febribus æstuas, fons est : si gravaris iniquitate, justitia est : si indiges auxilio, virtus est : si mortem times, vita est : si tenebras fugis, lux est : si cœlum desideras, via est : si cibum quæris, alimentum est. »

Ne timeas peccator ad benignissimum tuum accedere Salvatorem, ad clementissimum tuum medicum recurrere : ipse enim te expectat, ipse te provocat et invitat. *Revertere, revertere Sunamitis*, Cant. VI. Quem locum sic D. explicat Bernardus : « Christus in cruce expectans te habet caput inclinatum ad te peccatricem et immundam deosculandum ; habet brachia extensa ad amplexandum ; manus apertas ad remittendum; pedes affixos ad ommanendum ; latus apertum ad te in illud intromittendum. Eia, columba mea, veni in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. »

Accede, accede, et vitæ præteritæ vera cordis contritione dolens, præterita mala plangens, et plangenda iterum non committere firmiter proponens, dic cum eodem D. Bernardo in meditationibus : « Abeant ergo, mitissime Domine, in oblivionem coram te omnia mala mea, et tempora consumpta : et concede ut hoc temporis mei residuum forte nimis breve et momentaneum sit tibi honorificum, mihi fructuosum, et proximo ædificatorium. » Clama, et vehementer clama, et lacrymarum profluvio pete, ut dignetur bonum, quod ipse in te operatus fecit, aspicere ; et ad malum, quod tu peccando fecisti, non attendere, ut S. Augustinus, libro Meditationum, cap. XXXIX. dulciter et efficaciter solebat, dicens : « Jesu, propter nomen tuum fac mihi secundum nomen tuum. Jesu, obliviscere superbum provocantem, respice miserum invocantem. Quid enim est Jesus, nisi Salvator? Ergo propter temetipsum esto mihi Jesus. Noli, Domine, noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. O bone Domine, si ego admisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. »

Nonne, clementissime Domine, nomen tuum est Jesus? Nonne Jesus est Salvator? Nonne Jesus est corporum, animarumque medicus et curator? utique, Domine mi piissime, ait S. Cyrillus episcopus Hierosolymitanus, catechesi 10. « Jesus itaque apud Hebræos Salvatorem, in lingua vero græca medicum sonat : quandoquidem corporum medicus est, et animarum curator. » Dixisti Domine, et sic est, quod in mundum venisti quærere et salvum facere quod perierat. Luc. XIX. et I. ad Timoth. I. v. 15. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Ut explicat S. Augustinus, sermone 36. de verbis Domini, et S. Thomas, 3. part. quæst. I. artic. III. Si ergo, Domine peccatores quæris, ecce maximum peccatorem, ecce peccatorum primum. Ergo secundum nomen tuum esto mihi Jesus, esto mihi Salvator. *Respice in me et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego*, Psalm. XXIV. v. 16. Dixisti, Domine, et vere dixisti, et sic est, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus*, Matth. IX. v. 12. O corporum medicus, o animarum curator, en ægrotum, en miserrimum hominem triginta octo annos habentem in infirmitate sua, et vult sanus fieri. *Ego dixi : Domine miserere mei ; sana animam meam, quia peccavi tibi*, Psalm. XL. v. 5. ecce Lazarum, *qui jam fœtet : quadriduanus enim est.* Clama, Domine, et voce magna clama, *Lazare, veni foras, et statim prodiet, qui fuerat mortuus*, Joan. XI. *Domine, filia mea defuncta est, impone manum tuam super eam, et vivet*, Matth. IX. v. 18.

Pœnitens Christum facit advocatum ex judice.

Cum ignorem quid agere debeam, quid mihi est residui, nisi ad te, piissime et clementissime Domine, convertens cordis et corporis mei oculos recurrere? Quo ibit miser, nisi ad misericordem et miseratorem Dominum? Quo ibit prodigus filius dissipatis bonis, nisi ad suum patrem? Quo ibit pauper et mendicus, nisi ad divitem in omnes, qui invocant illum? Quo ibit ovis, quæ erravit, nisi ad pastorem suum, ut eam super humeros suos imponat, et reducat in ovile? Quo ibit infirmus, nisi ad medicum animarum? Quo tandem ibit gravissimus peccator, nisi ad Salvatorem, ut ipse salvum faciat populum suum a peccatis eorum? Eia, eia, piissime et clementissime Domine, *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele*, Psal. L. v. 11. Eia, eia, æterne Pater, *protector noster, aspice Deus, et respice in faciem Christi tui*, Psalm. LXXXIII. v. 10. et non dubium profecto, quin debita

pœnitentia, et diligenti confessione peccatorum facta, quem antea Christum judicem timebas, modo patronum et advocatum tuum dulciter sentias, ut optime Cassiodorus super illud Psal. CXVIII. *Beati quorum remissa peccata*, exclamat dicens : « O ingeniosa simplicitas, et mille tergiversationibus cautior puritas, manifestare delictum ! illis non judex, sed advocatus est Christus, qui sè propria confessione damnarunt. »

Populus Christi est Judaicus et Gentilicus, et omnes in unitate fidei credentes. Quomodo hoc intelligatur.

Ipse enim salvum faciet populum suum, etc. S. Thomas hic sic explicat. *Jesum* ; Hoc est nomen a Deo impositum ; et reddit causam: *ipse enim salvum faciet populum suum*, quem sibi adquisivit sanguine suo : hoc est, populus ejus. Dan. XIII. dicitur, *Non erit populus ejus, qui est eum negaturus*. Unde est populus Domini per fidem, I. Petri II. *vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* » Eleganter P. Salmeron, tom. III. tract. XXX. ad finem. §. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, his verbis explicuit : « Populum suum vocat populum Israël : etsi enim Deus sit Gentium, tamen quia per se venit ad oves, quæ perierunt domus Israël, et quia non erat promissus Gentibus, et quia imperfectus populi Israël status id ferre non potuisset : idcirco in exhibendo promisso tantum de eo fit mentio. Hinc ad Virginem dixit Angelus, Lucæ I. *Regnabit in domo Jacob in æternum* : et in Cantico suo eadem Virgo pronuntiavit: *Suscepit Israël puerum suum.* Zacharias verò ait : *Visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ*. Et statim infra : *erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.* Simeon quoque concinit : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.* Item populus clamavit : *Quia propheta magnus surrexit in nobis ; et quia Deus visitavit plebem suam.* Hæc autem eo consilio dicta sunt, ut sic Israël ablactaretur a carnalibus cogitationibus. Nam revera populus ejus sunt omnes electi et fideles : qui non tantum creationis jure, sed etiam redemptionis, atque voluntariæ electionis ad Christum spectant. Gratis enim fuimus populus Dei. De quo Isaias XLIII. *Omnes qui invocant nomen tuum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, et feci eum :* et Israël, antequam Messiam negasset, ejus populus erat; verum illam dignitatem, Christum abnegando, perdidit, juxta illud Danielis IX. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* In illorum autem locum ingressi sunt Gentiles. De quibus Oseas II. ait : *Vocabo non plebem meam, et non dilectam meam : et non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam ;* et erit in loco, ubi dictum est eis : *Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi.* De quo etiam David, Psalm. XVII. *Quoniam tu populum humilem salvum facies : et oculos superborum humiliabis*, et alio loco, Ps. CXLIX. *Quia beneplacitum est Domino in populo suo ; et exaltabit mansuetos in salutem.* Quod aperte satis Paulus et Barnabas agentes cum Judæis, Actor. XIII. v. 46. declararunt dicentes : *Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes.* Ubi Glossa ordinaria ex Rabano : « Primo filiam principis curare venit Jesus, sed mulier fluxum sanguinis patiens præripuit sanitatem. Ergo populus salvandus est populus humilitate et mansuetudine præditus, et gloriam Dei enarrans, quique demum patitur, se regi a Deo, juxta illud Michææ V. et Matth. II. *Ex te exiet dux qui regat populum meum Israël.* Quod quidem Petro Apostolorum principi ostendit Deus, Actor. X. v. 11. et sequentibus, in visione lintei descendentis de cœlo. *Cecidit super eum mentis excessus, et vidit cœlum apertum, et descendens vas quoddam, veluti linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram*, etc. *Occide et manduca*, etc. Ex quo statim S. Petrus intulit : *Aperiens autem Petrus os suum dixit, in veritate comperi, quod non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Et ad Galatas V. v. 6. et 7. in idem ait : *In Christo Jesu nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Quem locum Beda super caput I. Lucæ in homiliis feriæ 4. Quatuor temporum, sic explicat : « Exponens Angelus Joseph mysterium, *ipse enim*, inquiens, *salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, non ait populum Israël, sed populum suum, hoc est, in unitatem fidei ex præputio et circumcisione vocatum, quibus ex diversa parte vocatis fieret unus pastor, et unum ovile. » Et idem Beda explicans illa Simeonis verba : *Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël*, Lucæ II. et S. Ildephonsus, serm. 2. de Purificatione eodem intentu aiunt : « Utique populo Judaico, scilicet et gentilico Christus lumen extitit. Et notandum est quod prius dixit Simeon, Christum venisse lumen ad revelationem gentium, deinde ad gloriam

plebis Israël : quia prophetali intuitu primum gentes ad fidem Christi convertendas ; postmodum vero Judæos in fine mundi in eum credituros prævidit. » Quod multis retro sæculis vaticinatus fuerat David, Psalm. XCVII. dicens : *Notum fecit Dominus salutatare suum : ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israël.* Primo loco Gentilibus, deinde Judæis. Et agens de conversione Judæorum ad finem mundi, in Psalm. LVIII. dixit : *Convertentur ad vesperam, et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem.* Quem locum S. Ildephonsus ubi proxime sic interpretatur : « Id est, Judæi in finem mundi quasi in vesperam ad fidem Christi conversi esurient panem illum, qui de cœlo descendit, ut illum accipere mereantur, cui civitatem super montem Christum positam, hoc est, sanctam Ecclesiam quasi canes circuibunt, ut quem nunc veluti acerrimi venatores impie insectantur, tunc piæ devotionis latratibus tueantur. » Et concludit Apostolus ad Rom. XI. *Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël salvus erit.*

stus non lum in nmuni, pro quo- homine rticulari nit, et sus est.

Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Considerare hic, immo et toto cordis affectu profunde considerare oportet, ut ingrati non simus, et ad amorem Christi excitemur, Christum non solum in communi pro omnibus venisse, et crucem et plagas sustulisse, sed in particulari pro quolibet nostrum. Medela enim non sanat, nisi in particulari applicatur, et quod ita sit, satis constat ex omissione ovium, ut perditam quæreret ; et ex apparitione, qua octavo die Apostolis apparuit propter unius tantum incredulitatem, ex ostensione etiam manuum et vulnerum, quam sancto Thomæ Apostolo fecit : in quo quid aliud ostendebat, quam paratum esse iterum pro illo, et pro unoquoque et mori, et vulnera suscipere ? In quo adimplesse videtur quod sanctus Dionysius inquit, Christum dixisse sancto episcopo Carpo : Percute iterum ; paratus enim sum, si opus esset, iterum pro peccatoribus mori. De quo in vita Polycarpi. Hac etiam consideratione D. Paulus afficiebatur, ut S. Chrysostomus adnotavit, quando dicebat ad Galat. II. de benignissimo Jesu loquens : *Dilexit me, seque ipsum tradidit pro me.* Cum tamen poterat dicere : Dilexit nos, et propter nos semetipsum tradidit. Et hac ratione merito de quolibet peccatore conqueritur Christus, ut S. Bernardus, sermone 4. feriæ Dominicæ Palmarum his verbis considerat : Nonne pro te satis vulneratus sum ? Nonne pro iniquitate tua afflictus sum ? cur addis afflictionem afflicto ? Magis aggravant vulnera peccati tui, quam vulnera corporis mei. » Et paulo inferius Christum crucifixum sic cum peccatore loquentem, et amore allicientem introducit : « O homo, vide quæ pro te patior, non est dolor, sicut quo crucior ; ad te clamo, qui pro te morior : vide pœnas, quibus afficior ; vide clavos, quibus confodior : cum sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cum te tam ingratum experior ! »

Passio Christi per Eucharistiam operatur in particulari homine, quod in cruce pro omnibus in communi.

Hanc autem uniuscujusque hominis in particulari redemptionem Christus Dominus nobis, cum remanens in admirabili Eucharistiæ sacramentorum sacramento usque ad consummationem sæculi, ostendere voluit, operans in quolibet digne recipiente effectum, quem universaliter pro omnibus fuit operatus in cruce. Quia sicut veniens visibiliter in mundum contulit mundo vitam gratiæ, secundum illud Joan. I. *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* : ita et in homine sacramentaliter veniens vitam gratiæ operatur, secundum illud Joann. VI. *Qui manducat me, vivet propter me.* Unde S. Cyrillus, libro IV. in Joannem, cap. XII. et XIV. dicit : « Vivificativum Dei Verbum uniens seipsum propriæ carni fecit ipsam vivificativam. Decebat ergo cum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram ejus carnem et pretiosum sanguinem : quæ accipimus in benedictionem vivificativam in pane et vino. » Et sic concludit optime S. Thomas, 3. part. q. LXXIX. articulo I. in corpore : « Ex eo quod per hoc sacramentum repræsentatur, quod est passio Christi, et ideo effectum, quem passio Christi fecit in mundo, hoc sacramentum facit in homine. Unde super illud Joannis XIX. *Continuo exivit sanguis et aqua* ; dicit Chrysostomus, homil 34. in Joannem, circa medium : Quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria : cum accesseris ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas. » Et hinc idem S. Doctor super Joan. VI. lectione 6. in fine, eodem intentu colligit : » Unde manifestum est quod destructio mortis, quam Christus moriendo destruxit, et reparatio vitæ, quam resurgendo effecit, est effectus hujus sacramenti. » Quod optime explicuit P. Salmeron, tom. VIII. tract. XXV. §. Quarto. « Adducunt illud Joannis X. *Panis quem ego dabo,*

caro mea est pro mundi vita. Ubi videtur loqui de carne Christi in cruce danda : nam in illa, et non in Eucharistia caro Christi danda est pro mundi vita. Sed, ut ex Theophylacto et Cyrillo constat, bis dixit Dominus : Dabo semel de pane, scilicet Eucharistia, et iterum de pane dando in cruce : et præcessit illa istam, ut consonet res ipsa pollicitationi. Eucharistia etiam est pro mundi vita, non minus quam ipsa Passio Christi : quia ut Passio vitam divinam gratiæ confert, ita pro omnibus illis, qui per fidem vivunt, instituta est Eucharistia ad eam vitam alendam et tuendam. »

Christo, Virgini et Josepho debent fideles beneficium Eucharistiæ.

Quod incomparabile et inæstimabile beneficium, utpote memoriam mirabilium Christo Domino amoris incendio illud pridie quam pateretur, instituenti fideles debemus, ut patet; deinde sanctissimæ Deiparæ Virgini et sanctissimo Josepho. Quibus, ut ingrati non simus, perpetuas quotidie tenemur persolvere grates. Nam cum Deus omnipotens abundantis panis deposito Ecclesiæ catholicæ regnum stabilire decrevisset, juxta benedictionem patriarchæ Isaac filio suo Jacob, Genes. XXVII. v. 27. præstitam, *Frumento et vino stabilivi eum*; ut jam fames nulla, sed satietas perpetua, et ubique saturitas superflueret et abundaret. *Cibavit eos*, regius cecinit Propheta, Psalm. LXXXI. in fine, *ex adipe frumenti.* Ubi Glossa et S. Augustinus : « Adeps enim frumenti est corpus Christi. Quid enim adeps in frumento signat, nisi divinitatem in carne? » ut homo hoc suo vero pane vescens satiaretur, Psalm. CXLVII. *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.* Ad quem, supra quam dici et excogitari potest, mirabilem effectum, omnia suaviter disponens, consequendum, se pro nostra omnium utilitate agricolam esse glorians, pariter decrevit copiosam, permanentem, et nunquam defecturam sementem in Ecclesia, quam unigeniti Filii sanguine erat redempturus, constituere, ad quam etiam uteri virginalis agrum ab æterno præelegit. Uterus Virginis omnium gratiarum et divini Spiritus donis et charismatibus odore plenus. « Benedictus ager uterus Mariæ, exclamat D. Bonaventura, in Speculo Virginis, cap. XII. et XVI. post principium, de quo dicitur Genes. XXVII. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* O vere ager super omnes agros propter fructum! Bene ager plenus uterus Mariæ, quia ipsa plena gratia pronuntiatur, de cujus utero credentibus fructus vitæ processit. » Terra bona, terra optima, terra fertilis, et denique terra indicibili humilitate profunda, cujus agricola Deus, cujus sator Spiritus sanctus, et sementale granum Filius Dei. Dabit absque dubio fructum centesimum, immo et copiosæ redemptionis et salutis infinitum. *Etenim Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum*, Psalm. LXXXIV. v. 13. « Quis crederet, quis credere potuisset quod talem fructum Propheta Dei dono promitteret? » Ut ex Ricardo de sancto Victore, libro II. de Emmanuele, tradit P. Canisius lib. III. de Virgine, cap. XIII. post principium; et ex S. Ambrosio, et S. Isidoro, lib. I. de Virgine cap. VI ad finem, §. Cæterum. O benedicta terra inculta, quæ sine viri cultura facta est velut hortus voluptatis, et protulit filium, qui pastus est omnium justorum! O benedicta terra, de qua *ascendit sicut virgultum, et sicut radix de terra sitienti!* Isaiæ LIII. Ubi Aquila et Origenes homil. 17. in Genes. et P. Canisius, lib. II. de Virgine, cap. VI. §. sed enim, sic interpretantur : « Nascetur Christus ut virgultum elegantissimum, sed mirabiliter nascetur e solo arido, hoc est, Virgine Maria virili semine non irrigata. » Virgultum ergo ejus Jesus. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Et quid Jesus, nisi Salvator? *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Unum frumenti granum, quod cadens in terram, et moriens multum fructum attulit. Et quem, obsecro, fructum multum, nisi *ut ipse sit primogenitus in multis fratribus*? ad Rom. VIII. v. 29. Unum granum Christus in utero Mariæ, et in eodem utero multa grana Christus. Unde merito dicitur de ea Cant. VII. v. 2. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis,* ut in lib. III. tract. IX. explicuimus.

Eucharis fructus e uteri virgi lis, et e beneficiu hoc regra ri tenem

Quod si mens sancta in hoc præsentis vitæ transitu a rerum temporalium perturbatione semota in contemplatione dormiret, divina luce perfusa intelligeret divinum hoc sacramentum, hanc mundam oblationem, quæ offertur in omni fidelium loco, esse virginalis uteri fructum, juxta illud Psalm. CXXVI. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii merces, fructus ventris.* Intelliget plane Virginis uterum esse clibanum, in quo panes absque fermento, hujus sacramenti typus, atque figura, in sacrificium offerendi coquebantur, Levit. II. ut explicant S. Epiphanius, serm. de Virgine, et Isychius super caput. II. Levit. et S. Thomas, 1. 2.

q. CII. art. III. ad 12. « Erat iste panis sicut in spica pro statu legis naturæ in fide parentum : erat autem sicut simila in doctrina legis Prophetarum : erat autem sicut panis formatus post humanitatem assumptam, coctus igne, id est, formatus Spiritu sancto in clibano uteri virginalis. »Intelliget plane parabolam illam Matth. XIII. *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum*, ut explicat S. Bernardus, ser. 2. de tribus mixturis, et lib. V. de consideratione post medium, dicens : « Felix mulier benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne Spiritus sancti, coctus est panis iste, ut sit panis Angelorum, quem manducet homo : felix, inquam, mulier, quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum, siquidem fide concepit, et fide peperit. » Sed quam pro hac re mercedem B. Virgo recepit? non minorem profecto, quam esse matrem Dei, qua majorem matrem implicat dari posse : non minorem profecto, quam habere dignitatem infinitam quodammodo ; et tandem hæc divina maternitas origo fuit et principium omnium donorum, omnium gratiarum, et super Angelorum choros exaltationis, quæ Deus operatus est in Virgine, ut in lib. III. tractatu VII. fusius resolvimus. Debemus ergo hujus altissimi sacramenti beneficium Virgini gloriosæ, cujus ventris fructus est, eique semper regratiari tenemur.

aristiæ eficium Chri- et Ma- Joseph nus, cui s innu- conces- eneficia.

Sed quia ager iste, terra ista uteri virginalis ratione veri et essentialis matrimonii Josephi erat, et ad eum jure pertinebat, juxta illud I. Cor. VII. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet* ; et ideo Angelus dixit ei : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, et sæpius probavimus. Et sic a Josepho tanquam a domino et capite agrum et terram uteri virginalis ad divinam hanc sementem faciendam etiam accepit, et consequenter ei ratione locati et conducti merces referenda est, ut cum Pharaone Ægyptii, medio patriarcha Josepho, Gen. XLVII. v. 25. et 26. fecerunt, et habetur in toto tit. C. et ff. locati, et conducti. Quam quidem bonam, confertam, coagitatam, et superefluentem nostro sanctissimo Josepho Deus liberalissime concessit, atque constituit. Et in primis Josephum hujus agri et terræ dominum esse, per suum Angelum declaravit, dicens : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Deinde quasi grates persolvens, regratiatur ei, ut ipsemet sementi, segeti, et fructui ex agro suo collectis nomen declarando imponat, et in nomine fructus valorem exprimat. *Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Tum præterea quod ipse sit hujus divini paradisi et sementis vigilantissimus et fidelissimus custos. *Qui custos est Domini sui, glorificabitur*, Proverb. XXVII. Cui illud Gen. III. in fin. *Collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ*, optime convenit. De quo Isolanus III. p. cap. XXII. ad finem, sic ait : « Memento sacræ seriem Genesos asserentem Deum posuisse Cherubim, qui paradisi terrestris custos foret, atque servator. Reminiscere quoque Virginem matrem paradisi typo signatam : et Christum lignum esse vitæ, quod plantatum est secus decursus aquarum. Porro si isthæc exploratæ creduntur veritatis, cur non Joseph Cherubim asseverandus est, qui et Virginis sanctissimæ et Christi custos a Deo immortali positus fuit? » Nec ab inæstimabili mercede alienum fuit, quod ipse Joseph quasi divina nubes hujus terræ sublimis fructus sudore vultus sui, et labore manuum suarum irriget, atque fœcundet. Nubecula parva humillimus Joseph, sed quæ irrigat domum Dei, sed quæ fœcundat paradisum voluptatis Dei. Ei proculdubio illud III. Reg. XVIII. v. 44. et 45. unice competit. *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari, et facta est pluvia grandis.* Effectus matris Virginis sponsæ suæ solatium, et Christi Domini verus nutritius, ut S. Bernardus, homil. 2. super *Missus est*, advertit, et quod peculiari ratione de nostro dicatur Josepho in persona Christi, et ipsemet possit pariter dicere cum B. Paulo, I. Corint. III. v. 9. *Dei enim adjutores sumus.* Divina etiam fuit remuneratio, quod ipse Joseph messis hujus cœlestis collectioni assisteret, et præsepis aream, ubi decenter poneretur, præpararet. *Factum est autem cum esset ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum, et reclinavit eum in præsepio*, Luc. II. v. 7. Et quod in area præsepis positum panem illum cœlestem, ne frigoris tam graviter afficeretur injuria, Virgo sanctissima ad caput in velo capitis sui involvit, fovit et calefecit, ut docet S. Bonaventura, opusculo meditationum vitæ Christi, cap. 7. ad principium. Et

sanctissimus Joseph ad pedes toga et veste sua similiter cooperuit, et fomentum libentissime præstitit, ut tractatu de Christi Nativitate, lib. V. dicemus, ad modum, quo seduli pistores panem e fornace recenter eductum solent, ne frigore induretur, et quasi spasmo contrahatur, statim pannis lini et lanæ contegere et fovere. Et quod cœlestes Spiritus et reges terræ laudantes fructum ventris adorare veniant; alii divinis canticis: *Facta est multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo ; et in terra pax hominibus bonæ voluntatis ;* Luc. II. v. 13. et 14. alii vero proni dona humiliter offerentes, *et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham*, Matth. II. v. 11. et 12. Et omnes glorificantes et laudantes Deum ; in quibus, et præsertim in sanctissima Deipara et in sanctissimo Josepho, adimpleatur illud Isaiæ IX. v. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando dividunt spolia.* Mercedis remuneratio etiam fuit quod ipsemet Joseph custos et dominus messis sit currus et auriga servans fructum ab Herodis persecutione et tempestate, ne in area præsepii manens, ab iniquo sanguinis profluvio inter pueros alios innocentes pateretur. *Joseph, surge et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum: qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum ;* Matt. II. v. 13. et 14. Et verificetur in nostro Josepho illud ejusdem Isaiæ IX. v. 6. *Factus est principatus ejus super humerum ejus.* Maxima etiam illa Dei fuit regratiatio, quod sanctissimus Joseph non solum agri dominus remanserit, ut vidimus, *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, sed fructus ipsius dominus sit et superior, Psalm. CIV. *Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ*, ita ut ager ipse, terra ipsa, beatissima inquam Virgo Josepho tanquam capiti obediat, et appellet eum dominum, ut jam probavimus; et ipse etiam fructus Christus Jesus rex regum, et dominus dominantium Josepho tanquam domino, tanquam tutori, tanquam patri, et vero patri in omnibus, naturali tantum generatione excepta, obediat, et sit subditus. In quo uno Joseph super omnia creata supremam habuit potestatem, et omnes cœlestes spiritus, et beatos etiam homines facile superavit; et tandem voluit, et vult Deus Josephum ab omnibus honorari, et coram eo genuflecti, ut latissime in libr. III. tractatu VIII. per totum digessimus.

Joseph dux est omnibus sacramentum Eucharistiæ frequentantibus.

Et quamvis sanctissimus Joseph post B. Virginem sponsam suam omnibus hominum statibus sit in exemplum imitationis propositus, ut in lib. III. tract. XI. resolvimus; in particulari tamen dux et magister eorum est, qui Eucharistiæ mirabile frequentant sacramentum, ut docuit P. Canisius, lib. II. de Virgine, cap. XIII. post medium. « Mariæ, inquit, sponsus Joseph, quoniam excellentissimis virtutibus abundavit, omnibus ordinibus ad bene beateque vivendum jure proponatur. Illum si ducem sequimur, ob summam et multiplicem Dei gratiam illi collatam, singulari semper honore prosequemur; suo præterea exemplo nos admonet, ubique Christum in oculis ferre, circa illum præsertim in sacra Eucharistia præsentem tum reverenter, tum accurate versari ; et sacras functiones officiosa sedulitate cohonestare. » Et in idem S. Bernardus, hom. 2. super *Missus est*, ad finem : « Ille patriarcha Joseph frumenta servavit, non sibi, sed omni populo ; iste noster Joseph panem vivum e cœlo servandum accepit, tam sibi, quam toti mundo. » Et Isidorus de Isolanis in pagina ultima libri de S. Josepho, in oratione deprecativa sic ait : « Hostias tibi, Domine, in honorem S. Josephi dicatas benignus suscipe, qui totius mundi hostiam veram enutrivit Dominum nostrum Jesum Christum. » et III. p. cap. XVIII. « Sategit Joseph ut ipsum mysterium opportuno tempore toti manifestaretur orbi, eumdem Filium Dei educando. Quamobrem Evangelistis scribendi materiam disposuit, eis quoque subjectum fuit, unde comparatur Joseph ad Evangelistas, sicut subjectum scientiæ ad ipsas scientias. »

Maria et Joseph sunt duæ januæ per quas Christus ad nos venit, ut per eas dem nos Christum tendamus præcipue Eucharistiæ sumptionem ad quam nos invitat et præparationem decent.

Si ergo Christus Dominus per Virginem matrem Mariam, et per Josephum putativum patrem ad nos venit, et in sanctissimo Eucharistiæ sacramento voluit remanere; et dilectus Dei Filius, in quo Pater sibi bene complacuit, inter hæc duo candida lilia dignatus fuit pasci et nutriri, ut modo diximus, et latius in lib. III. tract. XII. probavimus; et si Maria et Joseph duæ januæ, duæ portæ, et duo ostia felicissima, et duo janitores conjunctissimi et acceptissimi ad Christum Dominum feliciter, et sine repulsa convenien-

dum, ut in lib. III. tractat. XI. resolvimus; quid jam restat, obsecro, nisi ut per portas istas ad hoc sacramentorum omnium sacramentum adorandum et suscipiendum ingrediamur? Invitant enim nos Maria et Joseph, ipsimet janitores nos amanter provocant dicentes: *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, et non ipsi nos. Populus ejus, et oves pascuæ ejus : introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi;* Psalm. XCIX. v. 3. et 4. Et cum invitatione debitam etiam doctrinam et præparationem docent. Nam in hac sacra synaxi ipse Deus Christus Dominus vere, realiter et præsentialiter continetur. *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, etc.* Et peccatorum confessionem, copia confessoris inventa, præcedere necesse est, ut sanctum concilium decrevit Tridentinum; *et sic introite portas ejus in confessione*, etc. Per Virginem et Josephum Christus in hoc sacramento datus est nobis, ut vidimus. Per ipsosmet Christus nos recipiet, et copiosum sacramenti fructum nobis communicabit, ut eisdem mediis ad largitorem gratiæ gratia redeat, quibus influxit, ut hortatur S. Bernardus, serm. de Nativitate Mariæ. « O homo, quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Nec enim impotens erat Deus, et sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet, sed tibi vehiculum providere voluit: forte enim manus tuæ sanguine plenæ sunt; et ideo modicum istud, quod offerre paras et desideras, gratissimis illius Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. » Et in idem S. Augustinus super Joannem, Virginem alloquens sic ait: « Domina nostra, auxiliatrix nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo nato nos recommenda, tuo Filio nos repræsenta; fac benedicta per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut sicut te mediante, Filius tuus dignatus est particeps fieri infirmitatis et miseriæ nostræ; sic quoque, te intercedente, participes nos faciat gloriæ et beatitudinis suæ; ut per te nos recipiat, qui per te datus est nobis. » Et iterum S. Bernardus, serm. 2. de Adventu ait: « Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum per eam accedere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. »

Christus invitat nos ad Eucharistiæ sumptionem, et ejus imitationem.

Invitat nos Christus universaliter, ut ad eum venire velimus. *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*, Matth. XI. v. 28. S. Thomas, 3. par. quæst. LXXIX. art. I. in corp. de hujus sanctissimi sacramenti refectione et fructu sic ait: « Omnem effectum, quem cibus et potus materialis facit, quantum ad vitam corporalem, quod scilicet sustentat, auget, reparat et delectat, hoc totum facit hoc sacramentum, quantum ad vitam spiritualem. » Invitat nos in particulari ad hanc suæ carnis et sanguinis sacram communionem sumendam. *Amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam;* Joann. VI. v. 54. et 55. et prosequitur v. 56. usque 60. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Caro mea*, Christus ait, *vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* » Ubi ex Augustino S. Thomas sic explicat: « Illud vere dicitur esse aliquid, quod facit effectum ejus. Effectus autem cibi est ut satiet. Quod ergo vere facit satietatem, vere est cibus et potus. Hoc autem facit caro et sanguis Christi, qui ducit ad statum gloriæ. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum, ubi *non esurient, nec sitient amplius*, Apocal. VII. et ideo recte dicit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* » Quanam vero ratione hanc veram satietatem istud sacramentum operetur, declarat statim dicens: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* Quia cibus iste cœlestis non transmutatur, nec convertitur in substantiam aliti, sicut reliqui cibi, sed ipse recipiens mutatur, et spiritualiter in Christum transmutatur per vitæ spiritualis conformitatem. Ut eumdem Deum et Dominum divo Augustino sic dixisse fertur: Augustine, cibus grandium ego sum, cresce, et manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. » Quod optime conci-

lium Viennense relatum in Clementina I. de reliquiis et veneratione Sanctorum, his verbis declaravit : « *Caro mea vere est cibus*, etc. Hic panis sumitur, sed vere non consumitur ; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minime transformatur, sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. » Et in hunc sensum et secundum hanc distinctionem locutus est S. Cyrillus, catechesi 4. cum dixit : « Præbetur corpus in specie panis, præbetur sanguis in specie vini, ut sumpto corpore et sanguine evadas concorporalis et consanguineus : sic enim efficimur Christiferi, id est, Christum in corporibus nostris ferentes, et sic secundum beatum Petrum divinæ consortes naturæ reddimur. » Et concludit S. Augustinus, tract. 26. in Joan. « Corpus meum, inquit, vivit de Spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi ? in corpore esto Christi : Et sic : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* » De quo videndus est S. Thomas, opusc. LVII. cap. XIV. Manet ergo homo, digne hoc sumpto sacramento, in Christo per vitæ conformitatem, ut ex concilio Viennensi modo vidimus. Hanc autem conformitatem Christus Dominus immediatis sequentibus verbis declaravit dicens : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem ; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Joan. VI. Ubi S. Thomas, lectio VII. « Sicut Christus homo accepit spiritualem vitam per unionem Verbi in persona ; ita et nos accipimus spirituatem vitam in communione sacramenti, quo unimur Christo per sacramentum fidei. » Unde quemadmodum Christus totum vitæ suæ curriculum ad majorem æterni Patris sui gloriam et obsequium, a quo eam acceperat, perfecte consecravit, *Sicut misit me vivens Pater et ego vivo propter Patrem* ; et hinc verissime ipsamet Veritas, Joan. XIII. v. 29. dicebat : *Ego quæ placita sunt ei, facio semper ;* similiter etiam vitam spiritualem ab homine in hoc sacramento receptam, *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, Joan. VI. v. 51. Ad majus Dei obsequium et perfectam Christi imitationem dedicandam, et perpetuo exhibendam esse oportet, *Et qui manducat me, et ipse vivet propter me*, ut in eo illud II. Corint. IV. v. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris*, verificetur. Hoc enim verum signum, hoc manifestum, apertum, immo et moraliter loquendo, evidens digne communicantium indicium est, ut Spiritus sanctus, Proverb. XX. docuit : *Cum sederis cœnæ ad mensam potentis, considera et intellige quæ apponuntur tibi ; et sic mitte manum tuam, sciens quod talia oportet te præparare.* Quem locum S. Augustinus, tract. LXXXIX. in Joan. to. 9. sic exponit : « Quæ est mensa potentis ? nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus, qui pro nobis posuit animam suam, ut nos animas nostras pro fratribus ponere debeamus? » Ad hoc tibi proponitur passionis Christi vivum memoriale, ut sicut ille pro peccatis mortuus est, tu peccatis mortuus justitiæ vivas. Hic enim ejus scopus fuit. *Qui peccata nostra ipse pertulit corpore suo super lignum, ut peccatis nostris mortui justitiæ vivamus, ut nos offerret Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu*, I. Petri II. v. 24. et cap. III. v. 18. Ad hoc tibi proponitur non manna, sed Christus Dominus, *panis qui de cœlo descendit*, qui digne sumentibus vitam tribuit sempiternam. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt ; Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Ubi S. Thomas : « Qui manducat hunc panem manet in me, et ego in eo : sed ego sum vita æterna : ergo qui manducat hunc panem, ut debet, vivet in æternum. » Ex quo sufficiens sumitur fundamentum ad asserendum quod corporis resurrectio et immortalitas est effectus specialis hujus sacramenti debite sacramentaliter sumpti. Quod non obscure docuit S. Cyrillus lib. IV. cap. X. explicans illud Joan. VI. *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt ; hic est panis de cœlo descendens ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*, sic ait : « Illud manna nullam perpetuæ vitæ dedisse virtutem : at panis hic Christi æternæ vitæ relinquit in manducante virtutem, ut quamvis moriatur, virtute tamen Christi manducati, et in eo per gratiam et spiritum manentem suscitandus sit in æternam vitam. » Et idem S. Cyrillus, lib. X. in Joan. cap. XIII. et lib. XI. cap. XXVII. « Non poterat aliter corruptibilis hæc natura corporis ad immortalitatem et vitam perpetuam traduci, nisi naturalis vitæ corpus illi conjungeretur. » Quam sententiam, constituens differentiæ rationem inter manna et Eucharistiam, sic explicuit Cardinalis Toletus in commento super illa verba Joan. VI. *Patres vestri manducaverunt manna etc.* Est ergo

differentia quod manna a morte non liberat, quia mortui sunt illi, nec virtute mannæ suscitabuntur; at qui manducant panem Christi, liberabuntur a morte, quia etiamsi moriantur manducantes, virtute ejus panis suscitabuntur ad æternam et beatam vitam. » Et quamvis, ut optime advertit P. Suarez, tom, III. in 3. parte, quæstio. LXXIX. art. VIII. disp. LXIV. sect. 2. §. Tertium ergo modum, quoad hunc effectum ratione hujus sacramenti non conferatur corpori aliquod donum, quod ratione gratiæ vel gloriæ animæ non debeatur: datur tamen ad corporis resurrectionem specialis titulus propter specialem conjunctionem cùm Christo factam per hoc sacramentum. Et hanc eamdem sententiam tuentur S. Irenæus, libro IV. capite XXXIV. et libro V. capite II. et S. Gregorius Nyssenus, in oratione catechetica, capite 37. et S. Cyprianus, de cœna Domini, quos refert et sequitur P. Valentia, tom. IV. disputat. VI. quæstio. VII. de effectibus Eucharistiæ, puncto 1. columna 933. §. sextus effectus. Probatur primo, quia nulla est repugnantia eamdem rem pluribus titulis alicui deberi, et promitti. Quo enim quis plures actiones ad aliquam rem capessendam habuerit, eo jus efficacius obtinet, ut in libro III. tractat. x. resolvimus. Christo enim Domino corporis resurrectio et gloria debebatur, et ratione unionis, et propter gratiam et gloriam animæ, et etiam speciali titulo fecit sibi debitam illam gloriam per sua merita. Secundo probatur ex illa Christi sententia, Joan. VI. v. 55. *Quis manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ubi conjungens debitam hujus sacramenti sumptionem cum carnis resurrectione, non obscure innuit peculiarem hunc effectum ad Eucharistiam pertinere, ut optime advertit P. Valentia, tom, IV. disputat. VI. quæstio. VII. puncto 1. columna 933. §. secundus effectus. Tertio probatur ex illa Joannis visione Apocalyps. VI. v. 9. *Vidi*, ait, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna dicente: Usquequo, Domine sanctus et verus, non judicas, et non vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra?* Ubi Sanctus Thomas: *Vidi sub altare;* id est, Christi societate; et Isychius super cap. I. IV. et VIII. Levitici magis ad præsens propositum sic inquit: « Ipse Christus, seu corpus ejus, aut Eucharistia est altare. » Clamant ergo animæ beatæ subtus altare, peculiarem titulum suorum corporum resurrectionis proponentes, quia sacramentum altaris, id est, Eucharistiæ communicarunt. Quarto probatur, quia hic præstantissimus effectus maxime conducit ad augendam nostram spem et devotionem, ac reverentiam ad hoc sacramentum. Decuit enim Christum specialiter promittere immortalitatem corporibus, quæ corpori Christi per illud conjunguntur, ut sic significaretur efficacia vivificæ carnis Christi, quæ futura est proxima causa nostræ resurrectionis, et vitæ immortalis. Ideoque etiam decuit ut corpora nostra carni Christi conjungerentur per Eucharistiæ sacramentum, tanquam principio et origini suæ immortalitatis. Et consequenter etiam decuit ut hoc speciali titulo debeatur immortalitas hujusmodi corporibus: et fortasse hac de causa dicitur a concilio Tridentino, sess. XIII. cap. II. hoc sacramementum datum, « ut pignus felicitatis et gloriæ. » Ex quo plane colligitur primo, quod modus hic pius et probabilis explicandi hunc effectum non continet novum aliquem effectum, sed solum novum modum promittendi, seu novum titulum et rationem conferendi eumdem effectum. Unde satis constat eos, qui non suscipiunt hoc sacramentum vel qui ante ejus institutionem vixerunt, non privari aliqua perfectione animæ vel corporis, si alias perfectione gratiæ et charitatis non sint inferiores: sed solum privari illo speciali titulo, quia scilicet non dabitur eis gloria propter specialem promissionem factam huic sacramento. Quod parum vel nihil refert ad perfectionem gloriæ, quanquam fortasse aliquod accidentale gaudium possit inde accrescere his qui hujus sacramenti participes fuerunt. Secundo, colligitur ex dictis quod iste particularis modus et effectus solum habebit locum in his qui re ipsa hoc sacramentum susceperunt, non vero in aliis, etiamsi voto et desiderio illud suscipiant, quia ille specialis titulus fundatur in sacramentali et reali conjunctione inter Christum et eum qui digne communicat. Unde hic effectus sub hac ratione est proprie sacramentalis, qui non solet conferri per solum votum vel desiderium sacramenti, sicut etiam alii effectus gratiæ, qui per hoc sacramentum conferuntur ex opere operato, non dantur eis qui tantum spiritualiter et in voto hoc sacramentum suspiciunt, nisi etiam sacramentaliter communicent. Sic ergo in præsenti dicendum est de hoc effectu gloriæ

sub hoc titulo dato ; nam sub ea ratione est veluti effectus ex opere operato hujus sacramenti. De quo videndus est P. Suarez, loco citato, §. Tertium ergo modum, ubi optime, pie et diserte agit. Alium autem hujus sacramenti effectum præstantissimum assignavit S. Chrysostomus, lib. VI. de Sacerdotio, longe post medium, in hæc verba : « Qui de vita hac migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura et munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cœlum abducuntur. » Quod huic nostro Evangelio conforme est. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Profunda quippe, et assidua hujus Evangelii meditatio cuique sacerdoti familiaris ad hoc sacramentum conficiendum et sumendum esse deberet, ut conversus ad cor mereretur ab ipsomet Domino spiritualiter audire : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere potus ; qui manducat, etc.*

Deipara et Joseph invitant nos sui exemplo ad Eucharistiæ sumptionem, et fructum percipiendum.

Eodem fere modo ad debitam hujus sacramenti communionem nos Virgo invitat sanctissima, dicens : *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini ;* Eccles. XXIV. v. 26. Quod enim Christus filius meus vobis dixit : *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus,* hoc ego vobis filiis meis charissimis repeto, ut transeatis ad me, et a generationibus meis adimpleamini. Caro enim filii mei, qui est verus animarum cibus, et sanguis Filii mei, qui est verus potus, caro mea est et sanguis meus, et naturæ identitate, et etiam quia pars illa ex puris meis sanguinibus tempore Incarnationis accepta semper in Filio permansit, et adhuc in cœlo perseverat integra. Et quod Christus filius meus vos alliciens dixit : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo,* hoc ipsum vobis ego etiam promitto. Quod si digne carnem filii mei manducaveritis, et ejus biberitis sanguinem, quæ mea sunt, ut modo vobis dixi, manebitis in me, manebitis in mea vera devotione, et sub tutissima mea protectione. Manebitis tandem in me tanquam filii in matre sua, gratitudine agnoscentes, incomparabile bonum hoc vobis a Deo per me fuisse liberaliter impertitum ; Et ego in vobis, sicut mater filios protegens, et sicut aquila grandis magnarum alarum, plena plumis et varietate pullos suos defendens, facta dæmonibus terribilis, quasi castrorum acies ordinata. Quod si filius meus communionis corporis et sanguinis ejus fructum vobis ostendit dicens : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem ; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* ; idem quoque in exemplum vobis propono, et in memoriam redigo, quod sicut omnipotens Deus me ab æterno in matrem Filii sui in plenitudinem gratiæ et gloriæ sublimitatem elegit, sic etiam ego, quæ placita fuerunt ei, feci, semper omnibus ejus gratiis, auxiliis et favoribus integre correspondens, et sic propter eum vivens : propter quod sicut hujus sacræ communionis consummatum præmium excellenter super omnem creaturam, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum,* ego sum adepta; ita et vos, me auxiliante, et vestræ piæ devotioni annuente, et gratitudinem exhibente, secundum mensuram gratiæ consequemini : est enim cibus hic *frumentum electorum, et vinum germinans virgines ;* eorum inquam, quos Deus vocavit, justificavit et glorificavit, ut in æterna beatitudine vivant in æternum.

Sanctissimus etiam Joseph invitat nos dicens : *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi ;* Cant. v. v. 1. *Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Caro enim Christi caro mea est ; et sanguis Christi sanguis meus est, quia ex eadem regia tribu ambo procedimus, et intra quartum consanguinitatis gradum sumus conjuncti, et hac ratione caro ejus mea est, et sanguis ejus meus dici potest. Tum etiam caro ejus manuum mearum labore nutrita et sustenta fuit, et vultus mei sudore sanguis ejus auctus. Et tandem quia caro et sanguis sponsæ meæ est, quæ ratione matrimonii ad me pertinet. Caro ergo mea, quia filius meus ex genere meo, quia filius meus legalis, quia filius naturalis sponsæ meæ, natus durante matrimonio, in fundo meo, et sic in lucrum meum. Qui manducat hanc carnem meam, et bibit hunc meum sanguinem, in me manet, in devotione mea, mihi regratians labores, officia et ministeria, quæ pro Christo libenter pertuli. Et ego in eo tanquam adjutor, protector et fidelis intercessor. Et sicut misit me vivens Pater, me ab æterno eligens, ut in justitia et sanctitate filio ejus et Virgini matri ministrarem, et ego semper vixi propter Patrem, ministerium meum perfecte implens, puritatem mentis post Virginem servans, et eis ministeria Angelorum præstans, et in omni justitiæ virtute omnes su-

perans; sic etiam qui debite hunc panem meum manducat, vivet propter me, quia propter Christum ad ejus obsequium et devotionem meam, et vitam sic consequetur æternam : *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

Jo-Ga-lent com-tibus

Novi ego ipse hominem vere religiosum, eumdemque sacerdotem, Virgini et Josepho obsequentissimum, qui pro prævia Missæ dispositione celebrandæ, solitus quotidie erat Evangelium in hujus Eucharistiæ festo decantari consuetum pie meditari, et quod tempore consecrationis maxime ac consumptionis adesse sibi videbantur B. Virgo et B. Joseph hilari fronte alacres, modo Christum in sacramento, modo ipsum celebrantem contuentes, vicissimque recitantes ambo idem Evangelium, incipiens Virgo prior : *Caro mea vere est cibus*, deinde Joseph : *et sanguis meus vere est potus*, et sic demum alternatim usquedum Evangelium finiretur in sensu a nobis superius explicato. Unde maxima devotionis ac divini favoris dulcedine recreatum se sentire dicebat. Quæ dum ita fieri sibi viderentur, angelus Gabriel sollicitus medius inter Virginem et Joseph millies genuflexus sacramentum adorans videbatur dicere : *Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum.* Nam sicut annuntiante hoc Angelo Incarnationis mysterium fuit operatum : sic etiam lætus sacerdoti consecranti assistit, in cujus manibus Dei Filius veluti in utero Virginis incarnatur, ut docet S. Augustinus, de dignitate sacerdotali.

a et mun-mplo-aliter lari nt.

Ex quibus facile colligi potest B. Virginem et B. Josephum posse quodammodo mundi redemptores appellari, cooperatione scilicet, intercessione et devotione ; quin sanctissimus Josephus ipsiusmet Christi Salvatoris salvator, ut late in lib. II. tract. IX. et in lib. III. tract. XV. probatum invenies. Nam si rex Pharao appellavit et appellari præcepit alterum Josephum Zaphanat phaaneca, quod idem est in ægyptiaca lingua, quod in latina nostra Salvator mundi, eo quod terram illam ab imminente famis excidio liberarit, ut explicat S. Isidorus, libro VII. Etymologiarum, cap. VII. ad finem ; quanta, rogo, ratione præstantiori nostrum Josephum poterimus nos mundi nuncupare Salvatorem, qui non Ægypto solum triticum corruptibile, et temporaneum, ut ille fecit, sed cœleste triticum, et panem vivum et vivificativum universo orbi usque ad consummationem sæculi servavit? sine quo omnes fame consumpti proculdubio periissemus, ipso Domino testante, Joann. VI. v. 53. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et S. Bonaventura, opusc. de præparatione ad Missam, cap. 2. ad finem, sic ait : « Tolle hoc sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? et populus christianus erit quasi grex porcorum dispersus, et idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæteris infidelibus. Sed per hoc sacramentum stat Ecclesia, roboratur fides, viret christiana religio, et divinus cultus. Unde inquit Christus : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Tam hominibus quam Angelis gratia per Christum data est.

Ipse enim salvum faciet populum suum, etc. Diximus populum suum intelligi Judaicum et gentilicum in unitatem fidei. Utrum autem populi sui nomine quoad redemptionem comprehendantur et Angeli, quæstionis est in theologorum schola ; et ideo secundum nostri instituti rationem breviter et resolutive procedendo, sit prima propositio : Christus Dominus meruit Angelis gratiam et gloriam, quæ illis data fuit propter merita prævisa. Ita expresse docuit S. Thomas, super illud Joann. I. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, his verbis : « Omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, justi, qui fuerunt, sunt et erunt : et etiam omnes Angeli, quia plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis. » Idemque videtur aperte sentire, 3. p. quæst. VIII. art. I. in corpore, asserens, « Christus virtutem habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ, secundum illud Joann. I. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, et sic patet quod Christus convenienter dicitur Ecclesiæ caput. » Et statim art. IV. in corp. docet Ecclesiam istam, cujus Christus est caput, et in quam influit, constare ex hominibus et Angelis, his verbis : « Corpus Ecclesiæ mysticum non solum consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis. Totius autem hujus multitudinis Christus est caput, quia propinquius se habet ad Deum, et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam Angeli : et de ejus influentia non solum homines recipiunt, sed etiam Angeli. » Loquitur ergo S. Thomas in utroque articulo de influxu gratiæ. Tum etiam quia Christo Domino data fuit gratiæ plenitudo,

ut universali principio in genere habentium gratiam, ut docet idem S. Doctor III. parte, quæst. VII. artic. IX. in corp. ibi. « Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ, plene habuit Christus gratiam : quia habuit eam ad omnes operationes, vel effectus gratiæ ; et hoc ideo quia conferebatur ei gratia tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem primi principii alicujus generis universaliter se extendit ad omnes effectus illius generis. » In quo genere Angelos etiam comprehendi non est æquum dubitare ; et hanc sententiam tuentur S. Cyrillus Alexandrinus, lib. V. in Isaiam, et S. Gregorius super lib. I. Reg. c. II. in illa verba : « Non est alius extra te, inquit, subauditur sanctus, quia nullus hominum nec Angelorum sanctus est, nisi per Christum. » Et Albertus Magnus, III. distinct. XXIII. art. I. et Catherinus, de Christi prædestinatione, et opusc. de gloria et peccato Angelorum, Viguerius, Naclantus, et alii gravissimi doctores, quos referunt et sequuntur P. Suarez, tom. I. in 3. parte, q. XIX. artic. IV. disp. XLII. sect. I. et P. Viegas super cap. I. Apocal. commento I. sect. IX. num. 1. et probatur primo, ex illo Pauli ad Ephes. II. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : donum enim est Dei, ne quis glorietur, etc.* Quod sine dubio de Angelis verum est, quia nec ipsi gloriari possunt : dono enim Dei per gratiam et fidem salvi facti sunt. In quo sensu Fulgentius, lib. II. ad Trasymund. c. III. sic dixit : « Una est in utroque, scilicet in Angelo, et homine, gratia operata. In hoc ut surgeret ; in illo ne caderet. In illo ne vulneraretur ; in isto ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmare non sinit. Illius esca, istius medicina. » Secundo probatur ex illo ad Ephes. I. ubi omnia per Christum in Christo instaurari dicuntur : *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis et quæ in terra sunt.* Ubi S. Hieronymus et alii juxta græcam lectionem loco *Instaurari*, vertunt, *Recapitulari* : quia omnia gratiæ mysteria, quæ tam in cœlo quam in terra facta sunt, in Christo et per Christum complentur. Unde Christus de se absolute et simpliciter dixit, Joan. XIV. *Ego sum via, veritas et vita ; nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Quæ sententia tam competit Angelis quam hominibus. Et postmodum Joan. XVII. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* At eadem certe gloria est, eadem vita æterna est hominum et Angelorum.

Christ quali redem Angelo dici po

Secunda propositio. Christus Dominus non solum potest vere dici sanctificator, justificator et glorificator Angelorum ; quod P. Suarez, ubi supra sect. 2. ad finem, libenter concedit ; sed etiam proprie eorum redemptor. Quod P. Viegas in d. sectione IX. numer. 2. admittit his verbis : « Ex quo etiam colligimus posse Christum dici proprie redemptorem Angelorum, quod quidam concedere formidant ; sic enim loqui audet S. Bernardus, serm. 17. et 22. in Cantica, et Theodoretus, ad Hebræos II. dicit, Christum pro omnibus creaturis mortuum fuisse, ex illis verbis Pauli ad Hebræos II. v. 9. *Ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.* Ubi græce loco : *pro omnibus*, legitur, *pro universo.* Et id colligitur ex Psalm. CXLIII. v. 10. ubi rex David dicit, se redemptum de gladio gigantis Goliath, sub quo nunquam fuit ; et quia fuit præservatus divino beneficio, redemptum se appellat, cum ait : *Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, eripe me* : sic enim hunc locum nonnulli disputgunt, et interpretantur. » In quo pulchra S. Bernardi verba, serm. 2. de Circumcisione libuit referre. « Jesus, ait, vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, idem quippe et Angeli Salvator et hominis ; sed hominis ab Incarnatione, Angeli vero ab initio creaturæ. »

Reden Angel a Chr facta a ration ab hom redemp

Tertia propositio. Quamvis Christus Dominus meruerit Angelis gratiam et gloriam et eorum dici possit sanctificator, justificator et glorificator ; immo et redemptor, ut modo vidimus : proprie tamen et in rigore terminorum loquendo, redemptio Angelorum alterius rationis est quam hominum : quia illa per præservationem, ut ait P. Viegas, ubi supra. Licet enim Angeli potuerint peccare, et propter merita Christi præservati sint, et hac ratione dici possint præventi ne peccarent, seu a peccato propter merita Christi defensi : non tamen hoc sufficit ad propriam redemptionem, quia redemptio secundum S. Isidorum, lib. I. de differentia, litera E, numero 189. dicit iteratam emptionem. « Inter emere, ait, et redimere id differt, quia qui emit, alienum emit : qui autem redimit, id emit proprie quod suum fuit, et suum esse desiit. » Redemptio ergo supponit eum, qui redimitur, esse aliquo modo captivum et venumdatum sub peccato,

vel in se, vel in radice sua, ex qua necessario contrahenda esset servitus et captivitas peccati, qua ratione B. Virgo fuit a Christo per præservationem ab originali peccato, quod relicta suæ naturæ contraxisset, præstantiori modo redempta, ut in l. XXX. tr. 1. probavimus. Angeli vero sancti neutro modo fuerunt captivi, et ideo non fuerunt redempti, eo quod illis data esset sufficiens gratia, qua possent vitare peccatum. Et licet quæstio hæc inter catholicos magis ad modum loquendi, quam ad rem spectare videatur, tamen ut intelligamus locutiones illas sancti Bernardi et aliorum de Angelorum redemptione non esse omnino proprias et rigorosas, satis conducit : non enim omnis liberatio a peccato redemptio proprie et in rigore vocari potest, ut optime docuit P. Suarez, ubi supra, sect. II. §. de posteriori, et §. dico secundo.

alva- est n, et cum- cato- uoad ntiam

Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Absolute et generaliter dicit, *a peccatis eorum.* Nihil excludit. Ac si dicat, ab omnibus peccatis, non solum ab originali, sed ab actualibus, et personalibus etiam, quæ quidem nostra, et non Dei sunt. Nec tantum a perpetratis, immo et a perpetrandis, quoad ipsum attinet, quia pretium justum pro omnibus pendit, ut docet S. Thomas, 3. parte, quæst. I. art. IV. in corpore, his verbis : « Certum est Christum venisse in hunc mundum, non solum ad delendum illud peccatum, quod traductum est originaliter in posteros; sed etiam ad deletionem omnium peccatorum, quæ postmodum superaddita sunt. Non quod omnia deleantur, quod est propter defectum hominum qui Christo non inhærent, secundum illud Joan. III. *Venit lux in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*; sed quia ipse exhibuit quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem. Unde dicitur Rom. V. *Non sicut delictum, ita et donum : nam judicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Per homines ergo stat, et illis imputari debet, qui perdite viventes, quæ suæ salutis sunt negligunt, ut supra in hoc eodem tractatu resolvimus.

stus se torem gloria- t homi- salvari emnunt, r Jose- docen- Judæi liter.

Ex quo P. Salmeron, tom. III. tract. XXX. ad fin. super hæc verba, *a peccatis eorum*, sic optime colligit : « Magnum præterea lumen per S. Joseph aperitur Judæis, nimirum nec secundum carnem Christum agnoscant, expectantes ab eo temporalia, non spiritualia beneficia. Arguitur et mira cæcitas nostra, qui crimina, ac Dei offensas nihili pendimus, cum tamen solum hoc nomine Christus glorietur, atque hunc ut honorificum titulum Salvatoris a peccatis servantis, ac gloriosum sibi asciverit. Nam a captivitate, paupertate et infirmitate, cæterisque corporis calamitatibus et laboribus per homines, quos Salvatores voluit nominari, sæpius liberavit, cum a peccatis præterquam per se ipsum in sanguine suo servare decreverit : a quibus dum liberavit, simul a misera servitute dæmonis, et a damnatione mortis æternæ servavit, ex Apostoli sententia dicentis ad Rom. VIII. *Nihil nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Ita ut merito huic puero canat Ecclesia illud Psalm. XLVII. *secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ* : nomen enim ejus Salvator est. »

Spiritualia a Deo petenda sunt absolute, non sic temporalia.

Ex quo id etiam docemur quod a Christo Domino possumus et debemus in oratione absolute petere remissionem peccatorum, virtutes, gratiam et gloriam, quia in his conformamur Dei voluntati. De qua dicitur I. ad Timoth. II. *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et sic David, Psalm. CXVIII. petebat absolute, *Deduc me in semitam mandatorum tuorum;* et Psa. LXXIX. *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* His enim male uti non possumus. Et hæc a Deo debite petita absque dubio obtinentur et impetrantur. *Amen, amen dico vobis*, inquit Christus, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joann. XVI. Temporalia autem bona, quæ indifferentia ad bonum et malum sunt, non absolute petenda, quasi in illis ultimum finem constituendo, sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum in beatitudinem. De quibus dixit S. Augustinus, lib. sententiarum Prosperi : « Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile magis novit medicus, quam ægrotus. » De quo S. Thomas, 2. 2. q. LXXXIII. art. V. et VI.

Magis debemus Christo ut salvatori, quam ut Creatori.

Ex quibus omnibus facile colligemus nomen Salvatoris majus esse quam nomen Creatoris, magisque ei ut salvatori quam ut creatori debemus. Quod pulcherrime P. Salmeron, tom. III. tract. XXXVII. in medio, §. insuper, his verbis disseruit, atque probavit. « Itaque plus est Salvator quam creator, siquidem majus est suscitare mortuum ad vi-

tam, quam generare vivum : præstat etiam reficere perfecte annulum ruptum gemma pretiosissima addita, quam de integro efficere : *ubi enim abundavit delictum, superabundavit et gratia*, ad Rom. v. et Ecclesia canit Deum alloquens : Hominem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti. Et quemadmodum filii a parente in lætitia generati, mortui si essent, et ab eo pro ipsis gemente, atque moriente suscitati, plus deberent patri, quatenus medicus est, quam quatenus pater : ita nos plus debemus Christo quatenus Jesus est, quam quatenus creator fuit. Et licet homo per creationem substantiam humanam vel esse reale, quod appellant, acceperit per redemptionem esse gratuitum et divinum, amplius tamen est esse gratiæ, etsi extrinsecum, quo pacto sane pretiosor est pictura, vel sculptura, quam charta, vel tabella, in qua est : velut ornamenta equi plus ipso equo valent interdum. Ergo magna ratione Christo est impositum nomen Jesu. Nam hic solus potest, novit et vult salvare. » Quod quidem S. Bernardus, de diligendo Deo, uberrime his verbis disseruit : « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro refecto, et refecto hoc modo? Nec enim tam facile refectus, quam factus. Nam qui me semel et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto, et dixit multa, et gessit multa, et pertulit dura, nec tantum dura, sed et indigna ; in primo opere me mihi dedit, in secundo se, et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, et redditus me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Et hinc S. Augustinus, tractat. LXXII. in Joan. post medium, tom. 9. explicans illa verba : *Majora horum faciet*, Joann. XIV. dixit : « Quod majus opus est, ut ex impio justus fiat, quam creare cœlum et terram : cœlum enim et terra transibit, prædestinatorum autem salus et justificatio permanebit. Judicet qui potest, utrum majus sit justos Angelos creare, quam impios justificare : certe si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. » Idemque rationem reddens docet S. Thomas, 1. 2. q. CXIII. art. IX. in corpore. « Ex parte, inquit, modi agendi maximum opus est creationis, in quo ex nihilo fit aliquid : secundum autem magnitudinem ejus quod fit, majus opus est justificatio impii, quæ terminatur ad bonum æternum divinæ participationis, quam creatio cœli et terræ, quæ terminatur ad bonum naturæ mutabilis. Et ideo Augustinus cum dixisset : Quod majus est, quod ex impio fiat justus, quam creare cœlum et terram, subjungit : Cœlum et terra transibunt ; prædestinatorum autem salus et justificatio permanebit, etc. »

Ex eodem hujus tractatus fundamento, *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, et ex proxime dictis unum omnibus fidelibus consilium saluberrimum et maxime pernecessarium, ut de manu inimicorum nostrorum liberati integre et perfecte divinis obsequis mancipati, Christo Domino inservire possimus, libuit colligere, et ante omnium oculos perpetuo meditandum, ac servandum proponere, supposito irrefragabili fundamento. Nos scilicet Christi sanguine a potestate, et diaboli tyrannide emptos fuisse et redemptos, ut docet Apostolus, I. Cor. VI. in fine : *Empti enim estis pretio magno ; glorificate et portate eum in corpore vestro*. Et extensius S. Petrus, I. epist. c. I. v. 18. et 19. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis : sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati*, etc. Jam ergo non tantum jure creationis, sed emptionis titulo Christi sumus, omniaque nostra sua sunt : jam non carni, sed spiritui debitores sumus : jam Deo quasi servi emptitii obnoxii sumus. *Ut et qui vivunt*, ait Paulus, *jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit*. De quo S. Bernardus, epist. 148. et alibi sæpe ait : « Etsi cætera taceam, hoc solo certe non immerito sibi vendicat vitam nostram, quia pro ea exposuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est : Cui enim justius vivam, quam ei qui si non moreretur, ego non viverem? Cui commodius, quam promittenti vitam œternam? Cui magis ex necessitate, quam flammas æternas minitanti? » Unde quoties aliquis, aut mundus, diabolus, aut caro aliquid vocationi et obligationi nostræ repugnans, aut minus consonum proposuerit, vere et proprie tenemur statim respondere id ad Christum pertinere, jam ab eo sanguinis sui pretio diu emptum. Hac enim prudenti et solerti responsione uti solent, qui cum ultroneis mercibus ad ferias nundinales, ne ab occurrentibus negotiatoribus retardentur, aut molestia afficiantur, dictitare consueverunt : Jam vendita est hæc merx. Jam non mea, sed aliena est. Quod vulgari hispanico sermone dici solet, ven-

Nos et omnia nostra Christo debemus, cujus sanguine empti et redempti sumus.

dido va. Qua etiam, ad nostrum conducens propositum, Seraphicus Pater Franciscus usus fuit. Qui cum apud Assisium in hyeme et tempore nivis pannosus, et fere nudus incederet, et a quodam fratre suo mollibus vestito et optimo unguento delibuto irrisorie rogaretur ut illi parum caloris et sudoris saltem guttulam vellet vendere, graviter respondit : Nihil meum ego habeo, omnia mea Christi sunt; jam ille emit, jam ego omnia vendidi. Et sic frater ille confusus recessit. Idque læto ac libenti animo faciamus, quemadmodum Christus Dominus, qui nos ut sanguinis sui effusione emeret, amoris ostendit excessum, dicens : *Veni in hortum meum, soror mea sponsa : messui myrrham meam cum aromatibus meis*, Cant. v. v. 1. Ubi se in passione Christus messori comparat, tum ad significandam animi lætitiam, qua patiebatur : solent enim agricolæ messis tempore plurimum lætari, juxta illud Isaiæ IX. v. 3. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe;* tum etiam ad significandum copiosum Passionis suæ fructum quem patiendo tunc quasi metere, et colligere videbatur.

Et hæc de hoc tractatu sufficiant. Cujus autem sint verba sequentia : *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur*, etc. utrum Angeli an Evangelistæ, et de eorum significatione et doctrina, sequens tractatus decimusquartus ostendet.

HOC AUTEM TOTUM FACTUM EST, UT ADIMPLERETUR QUOD DICTUM EST A DOMINO PER PROPHETAM DICENTEM : ECCE VIRGO IN UTERO HABEBIT, ET PARIET FILIUM, ET VOCABUNT NOMEN EJUS EMMANUEL, QUOD EST INTERPRETATUM NOBISCUM DEUS. Matth. I. v. 22. et 23.

TRACTATUS XIV.

In quo prophetia Isaiæ de Christo Domino Mariæ et Joseph declaratur.

Verba hæc Angeli sint, an vero Evangelistæ declaratur.

Utrum verba proposita, quemadmodum præcedentia, ejusdem Angeli, an vero Evangelistæ fuerint, inter sanctos et doctores non convenit. S. Thomas super hunc locum Evangelistæ esse existimat dicens : « Ibi terminantur verba Angeli : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ; et inducit ea Evangelista propter tria. Primo, ut ostendat quod vetus Testamentum est de Christo, Actor. X. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. Secundo, ut facilius Christo credant, Joa. I. *Si crederetis Moysi, forsitan et crederetis mihi, de me enim ille scripsit.* Tertio, ad ostendendum conformitatem veteris et novi Testamenti, ad Coloss. II. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* » Et hunc D. Thomæ sensum complectuntur P. Barradas, lib. VIII. ca. III. in illa verba : *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Et Pater Maldonado hic, et hujus sententiæ fautores asserunt, verba hæc : *Hoc autem totum factum est*, etc. per parenthesin esse legenda, quo indicaret Evangelista vaticinium Isaiæ in hoc mysterio Virginis de Spiritu sancto in utero habere inventæ fuisse adimpletum, et quod finita parenthesi sequatur : *Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei Angelus*, etc. Contrarium tamen, immo quod verba hæc non Evangelistæ, sed ipsiusmet Angeli adhuc loquentis cum Josepho, defendunt S. Chrysostomus, hom. 5. Theophy-

lactus, et Euthymius super hunc Matthæi locum, et S. Augustinus, serm. 14. de Natali Domini. et S. Irenæus, lib. IV. cap. XL. adversus Valentinianos, qui cum verba Angeli allegasset : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* ; adjecit et subdidit suadens Josepho : *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero accipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Per sermones Propheta suadens ei, et excusans Mariam, hanc eamdem esse ostendens, quæ ab Isaia esset prænuntiata Virgo, quæ generat Emmanuel. Quapropter sine dubitatione suasus Joseph, et Mariam accepit, et in reliqua universa educatione Christi gaudens obsequium præstitit. » Huic secundæ sententiæ non parum favet commune illud Aristotelis, et juris prudendum axioma : « Frustra fieri per plura, quod fieri potest per pauciora. » De quo videndus est Tiraquellus, de retract. conventionali, §. 2. gl. unica, n. 24. semper enim pluralitas personarum obscuritatem inducit, ut habetur in l. duo sunt Titii. 30. ff. de testam. tutela. et in l. si ita fuerit. ff. de rebus dub. Unde pluralitas in personis nunquam præsumitur, ut videre est apud Bal. in l. nec natales. column. 2. vers. circa hæc C. de probationibus. et apud Paulum Castrensem consi. 35. Et confirmatur hic sensus, quia finitis his verbis sequitur in textu : *Exurgens autem Joseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam.*

Isaiæ prophetia in Maria simul cum Josepho fuit adimplenda.

Præmiserat enim Angelus divini Verbi in Virginis utero Spiritus sancti ope incarnationem factam. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc. ut Joseph tanti mysterii certior indubitabiliter factus, nulla ratione Virginem conjugem et sponsam suam dimitteret. Modo autem, ne quod pronuntiabat videretur novum, subito voluit ostendere quod id ipsum ab antiquo prænuntiatum fuerat, Isaiæ VII. v. 4. jamque adimpletum esse quod futurum Isaias fuerat vaticinatus; et non absre quidem tum ad nostram doctrinam et utilitatem, ut statim dicemus, tum ad ingentem sanctissimi nostri Josephi honorem et excellentiam. Nam si attendamus acute, facile inveniemus illam Isaiæ prophetiam impleri non potuisse absque hoc facto; et quod factum? *Hoc* scilicet *totum factum est.* « Quod Virgo, ait Rabanus hic, desponsaretur, quod casta servaretur, quod gravida inveniretur, quod per Angelum revelaretur : *ut adimpleatur quod dictum est.* Non enim hoc impleretur quod Virgo conciperet et pareret, nisi desponsata esset, ne lapidaretur, et nisi ab Angelo secretum detegeretur : et ita eam Joseph acciperet, dimissa per infamiam effluret, et lapidatione periret. Si ergo ante partum periret, cassaretur prophetia, quæ ait : *Pariet filium.* » Et P. Salmeron, to. III. tract. XXXI. ad principium, §. sed occurrit dubium, eodem sensu et intentu sic explicuit : « Ibi enim, de prophetia Isaiæ agens, non solum conceptus et partus pueri exprimitur, sed et quæ circumstant. Additur enim, juxta græcam veritatem : *Vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Quod certe de Maria et Joseph, juxta prophetiæ complementum intelligitur; illi enim, quibus tantopere conversatus est una domo, mensa, contubernio, in summo gradu potuerunt dicere : *Nobiscum Deus.* Juxta ergo græcam translationem plures dicere possunt : *Nobiscum Deus.* Et prius in Joseph cum Virgine complebatur : Deinde vero secundum præsentiam corporis in his qui tunc digni habiti sunt conspicere eum, et nosse : secundum spiritum vero in omnibus fidelibus, in quibus perficitur verbum Domini : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Matth. ultimo in fine. Ut ergo impleretur in universum prophetia, oportuit Joseph virum Mariæ non deserere uxorem suam, sed illi conciliari. Necessarium quippe fuit ex divino consilio, quo pudori et famæ Virginis consuleretur, et ut Christus haberet, qui paterna munia in eum obiret; ut socius et comes individivus itinerum et ærumnarum Virginis provideretur, et puero putativus pater adesset propter rudes et minus capaces mysterii. »

Novum Testamentum cum veteri consonat, et unus Scripturæ locus per alium est declarandus.

Angelus ergo sive Evangelista Josephum revelatione novi Testamenti, et jam incarnati Verbi sufficienter instructum, veteris Testamenti auctoritate confirmavit; *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur*, et cætera. Ut sic utriusque Testamenti varietas consonet, juxta regulam ac divinarum Scripturarum sanam intelligentiam a Patribus traditam. D. Hieronymus ad Damasum Papam de visione Seraphim, sic eleganter ait :

« Quidquid in veteri legimus Testamento, hoc idem in Evangelio invenimus et quod in Evangelio fuerit lectitatum, hoc ex veteris Testamenti auctoritate deducitur, nihil in eis dissonum, nihil diversum est. » Et D. Chrysostomus, homil. super Psalm. XCV. et XCVII. *Cantate Domino canticum novum*, in idem ait : « Contemplare ut prophetiam verbis adaptans evangelicis, eumdem reddat sententiarum dogmatumque concentum. » Et optime Origenes, libro II. epistolæ ad Rom. capite I. dixit : « Moyses et Elias apparuerunt in gloria cum Jesu colloquentes in monte. In quo ostendit legem et prophetas cum Evangeliis consonare, et in ea gloria spiritualis aspectus, atque intelligentiæ fulgere. » Hoc etiam ostendit modus loquendi Evangelistarum : cum enim afferunt ex veteri Testamento aliquod testimonium, aiunt, ut in hoc nostro Matthæi Evangelio. *Hoc totum factum est ut impleretur quod dictum est per prophetam.* « Ex qua regula facile colligitur, inquit Magister Cantapetrensis, libro X. hypotyposeon, reg. XV. et XVI. studiosos ad intelligendum vetus instrumentum prius oportere in novo laborare, ut a manifestioribus ad obscuriora procedant : et in universum in tota Scriptura oportet locos conferre inter se, et componere, ubi eadem, vel similis res tractatur, ut verum sensum eliciamus. » Quod satis aperte figuratum fuit, Exod. XXV. v. 19. et 20. in illis duobus Cherubinis se mutuo respicientibus, versis vultibus in propitiatorium, secundum S. Gregorii explicationem, homil. 6. in Ezechielem, sic dicentem : « Quid est quod se mutuo respiciunt Cherubim versis vultibus in propitiatorium, nisi quod utraque Testamenta ita sibi in mediatorem Dei et hominum concordant, ut quod unum designat, hoc alterum exhibeat? » Ex quo juris prudentes sufficiens fundamentum acceperunt ad discernendum, quod priores leges per posteriores intelligantur, ut in l. non est novum, ut priores leges ad posteriores trahantur; et posteriores per priores, ut in l. Sed et posteriores leges ad priores pertinent, nisi contrariæ sint, ff. de legibus. De quo videndi sunt doctor Didacus Perez, in qu. 2. proœmiali. §. Item leges ad ordinamentum regale, et doctor Guttierrez, tom. II. pract. quæst. q. XX. nu. 6. lib. III. et q. XV. n. 34. Sive ergo verba hæc dicta sint ab Evangelista sive ab Angelo ad Josephum nobis profecto indicant mysterium Incarnationis ab Isaia prædictum in Virgine matre, et in ejus cum Josepho conjugio fuisse completum, maxime juxta græcam litteram in plurali, Vocabunt, ut superius diximus ex Patre Salmerone.

Superiores ordinationum rationem subditis præstent.

Ex eo autem quod Angelus, aut Evangelista revelationem Josepho factam veteri instrumenti testimonio confirmavit, superiores quicumque illi sint, docentur modum quem cum suis subditis sunt observaturi. Quod scilicet in ordinationibus ac præceptis imponendis rationem reddant, esseque rationi, constitutioni, legi vel statutō conformia. Quod quidem et naturæ rationali, et doctrinæ divinæ consonat, ut late in lib. III. tract. VI. resolvimus.

Quæ a Deo prævidentur et præordinantur sic necessario eveniunt; quæ vero suis causis relinquuntur non ita.

Circa hæc eadem verba : *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam*, etc. non parva insurgit difficultas, utrum particula illa, *ut*, causam dicat? quandoquidem non propterea Christus Dominus ex Virgine conceptus est, quia id futurum Isaias prædixerat; quin imo e converso propterea Isaias futurum esse vaticinatus est, quia Christus ex Virgine erat concipiendus. Quam difficultatem P. Salmeron, tom. III. tract. XXXI. post principium, §. rursus : et §. in his ergo, hac apposita distinctione resolvit : « Diligenter adnotandum est, quæcumque fiunt sub sole, ea ab æterno prævisa a Deo optimo, maximo fuisse : quorum quædam sunt, quæ suis causis dimittuntur, sive necessariis, sive contingentibus pro natura rerum; quædam vero peculiari ratione administrantur, ut certo modo fiant juxta consilium suum; quæ vel non fierent, vel aliter fierent, si a præfixis causis ea permitti disponeret, nec sigillatim curaret movendo, aut prohibendo inferiores causas. In his ergo quæ prænuntiantur ut a Deo statuta et præordinata, ut certo modo fiant, recte dicuntur ideo facta esse, ut impleretur quod prædictum erat, id est, ut dispositio Dei et consilium suum sortiretur effectum. Ac proinde illa conjunctio, *ut*, proprie dicitur per modum causæ, sive efficientis, quandoquidem in his intelligitur non solum Dei prævisio, sed etiam provisio, ut sic eveniat. In aliis vero factis quæ prænuntiantur ut prævisa tantummodo, non etiam ut præordinata, non ita dicendum est, idcirco facta ut impleretur prævisum, sed potius quia ita facta sunt, vel futura erant, ideo fuisse prævisa. Atque ita hujusmodi conjunctio, *ut*, consecutive, non efficienter accipitur. Quia

ergo matrimonium Josephi, ut sic adjungeretur B. Virgini atque puero, non solum præstitum uit, sed etiam ante definitum : nec suis inferioribus causis derelictum, sed peculiari Dei instinctu ac signis, atque Angelorum suffragiis conciliatum, ideo recte dicitur totum hoc factum, ut adimpleretur quod dictum est a Domino, id est, voluntas et consilium Dei. Vocat ergo totum, id est, desponsationem, castitatem Mariæ, inventionem ejus gravidæ, timorem Josephi, Angeli missionem, etc. De quo latius in lib. II. tract. I. egimus.

Revelatione Josepho ab Angelo facta, et Isaiæ vaticinio ab eodem Angelo, vel ab Evangelista explicito, restat modo de promptissima Josephi obedientia Virginem recipiendo et infanti nomen Jesus imponendo, dicere. De quo in tractatu sequenti videbimus.

EXURGENS AUTEM JOSEPH A SOMNO, FECIT SICUT PRÆCEPIT EI ANGELUS DOMINI, ET ACCEPIT CONJUGEM SUAM; ET NON COGNOSCEBAT EAM DONEC PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, ET VOCAVIT NOMEN EJUS JESUM. (Matth. I. v. 24. et 25.)

TRACTATUS XV.

De perfectissima obedientia a Josepho in omnibus Angelo Dei revelanti præstita.

Angelus Josepho cordis secretum revelavit, quod solius Dei est, ideo credidit et obedivit.

Ex duobus capitibus hactenus Evangelista Matthæus probavit B. Virginem de Spiritu sancto concepisse, scilicet ex angelica revelatione : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*, etc. Et ex Isaiæ prophetæ vaticinio : *Hoc autem totum factum est ut adimpleatur quod dictum est a Domino per Prophetam*, etc. Modo autem idem conatur ostendere ex obedientia Joseph, qui verbis Angeli non acquievisset ad Mariam sponsam suam suscipiendam, nisi cognovisset eam de Spiritu sancto prægnantem ; et sic ait : *Exurgens autem Joseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum, et vocavit nomen ejus Jesum.* Joseph ergo Angelum a Deo esse missum judicavit, qui ei cordis sui secretum revelavit, quod solius Dei est, *Scrutans corda et renes Deus ;* Psal. VII. et II. Paralip. VI. *Solus enim tu nosti corda filiorum hominum.* De quo agit S. Thomas, 1. p. q. LVII. art. IV. Quapropter S. Chrysostomus, et eum referens S. Thomas hic in Catena in particulari dixit : « Dum enim audit Joseph ab Angelo quæ intra se cognoverat, indubitabile signum erat quod a Deo mitteretur, cujus solius est scire cordis secreta. »

Obedientia Josephi in omnibus perfecta, cujus conditiones declarantur.

Et quia per primi hominis inobedientiam prolapsi sumus in peccatum, ad Rom. v. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ;* ideo in principio reparationis nostræ proponitur perfecta Josephi obedientia, quæ quidem ordinata esse debet. Primo enim deserenda sunt vitia, et postea obediendum est ad operationem virtutum, Hier. IV. *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.* Quod Joseph noster fecit. Et ideo dicit Evangelista : *Exurgens Joseph a somno ;* ubi S. Thomas : « Pigritiæ scilicet et dubietatis. » De hoc somno dicitur ad Eph. v. *Surge qui dormis, et exurge a mortuis.* Secundo debet esse festina, et hoc est quod dicitur Eccles. v. *Non differas de die in diem.* Et ideo hic dicitur, quod statim *fecit sicut præcepit ei Angelus.* Et glossa ordinaria : « Quisquis a Deo movetur, solvat moras, surgat a somno, faciat quod jubetur. » Tertio vero, quod debet esse perfecta, ut non solum quod jubetur, sed eo modo quo jubetur, et quo eis imperatur. Unde hic dicitur, *Sicut præceperat ;* Gloss. perfecta obedientia, ad Colos. III. *Filii, obedite parentibus per omnia.* Quarto, quod debet esse discreta, ut obediatur cui obediendum est, et in quo, ut non fiat aliquid contra Deum ; unde dicit quod *fecit sicut præcepit ei Angelus ;* non malus, sed Dei, I. Joan. IV. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint : quoniam multi pseudo-prophetæ exierunt in mundum.* De hac perfectissima Josephi cæca obedientia, quæ jure oculatissima potius debet nuncupari, egimus late, et ex professo in lib. III. tract. VI. et in tract. IV. hujus libri quarti.

Fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, et accepit conjugem suam. Græce dicitur, *Exci-*

ei præcepta opere imlenda sunt, non verbo tantum ad exemplum Josephi.

tatus, quia dormiebat. In quo obedientiæ promptitudo opere ipso completa in Josepho maxime commendatur, ut colligit P. Salmeron, tom. III. tractatu XXXI. longe post medium, super hæc eadem Evangelii verba: « Mire quod facta, ait, et non dicta placere docentur in Josepho tacente, et ad litteram obediente. Docetque nos in primis haud satis esse audire verbum Dei, sed oportere factis illud exprimere. Deinde ut excitemur a negligentia, desidiaque nostra, vel a morte peccati. De qua scriptum est ad Ephes. v. *Surge qui dormis et exurge a peccatis, et illuminabit te Christus.* Excitat autem nos Deus per Angelos, homines et omnia, ut afflatibus ejus, atque consiliis salutaribus obediendo crescamus. » Non ergo audire verbum Dei sufficit, sed opere complere, ut fecit noster Joseph, ut D. Jacobus, cap. I. dixit: *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmet ipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo: consideravit enim se, et abiens oblitus est qualis fuerit.* Ubi S. Thomas scite explicat. « Pro tanto ponitur similitudo, quia sicut nihil prodest homini vidisse in speculo maculam vultus sui, si illam non abstergit; sic nihil prodest homini audire verbum scripturæ, vel prædicationis, nisi illud quod audit aure, impleat opere. » Et ideo Sanctus David Psal. CII. ait: *Memores mandatorum tuorum ad faciendum ea;* Et Christus Dominus Joannis XIV. *Si diligitis me, mandata mea servate;* Et S. Augustinus super Joan. « Alia enim discimus ut sciamus, alia ut faciamus: legem autem Domini audire, nec implere, adeo nihil juvat, ut in majorem damnationis cumulum cedat, dicente Domino: *Servus qui scit voluntatem domini sui, et non facit, plagis vapulabit multis.* » De quo latius in tract. VII. hujus libri quarti.

oseph Angeo obedivit, et Mariæ et nfanti alaiter inservivit.

Accepit conjugem suam. In omnibus perfectissime obedivit Joseph citissime, prompte et alacriter. S. Thomas hic. Primo, exhibuit obedientiam Angelo. *Fecit sicut præcepit ei Angelus;* Secundo, reverentiam exhibuit matri Virgini. Tertio, obsequium præstitit Christo nato. Quibus gaudiis, quibus exultationibus, quibus mentis excessibus post Angeli revelationem, et mysterii altissimi cognitionom noster Joseph fuerit perfusus, quis valebit cogitare? In lectione 2. antiqui Hispalensis breviarii breviter dicitur: « Dominus erat in loco isto, dicebat Joseph. Sicut audivimus, et legimus in Isaia propheta: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium,* ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. » Nec se præ ingenti gaudio et spiritus magnitudine continere valens, prorumpebat dicens illud Psal. LXXVI. *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, et intendit mihi; in die tribulationis meæ Deum exquisivi: manibus meis nocte contra eum, et non sum deceptus.* Amboque, Virgo et Joseph, maximas pro hoc recepto beneficio laudes Domino decantarunt, ut in tract. v. hujus libri quarti disseruinus.

Joseph cognita veritate amplexatus est eam, quam recta intentione quærebat.

Accepit conjugem suam. Cum sanctus Joseph rectam haberet intentionem, non aliud quam majorem Dei gloriam, et rei veritatem cognoscere intendebat, qua per Angeli revelationem cognita, statim absque ulla mora amplexatus est eam: *Exurgens Joseph a somno fecit sicut præcepit ei Angelus, et accepit conjugem suam.* Nec enim interrogavit an esset Aagelus Dei, ut Gedeon, Judicum VI. Nec aliquo modo dubius extitit, ut Zacharias, Luc I. Sed illico tunc, immediate. De quo fusius in tract. IV. et v. hujus libri quarti egimus.

Perpetua Mariæ et Josephi virginitatis contra Helvidium.

Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum. Qualiter verba hæc de perpetua, et plusquam angelica Mariæ et Josephi virginitate contra Helvidianam hæresim sint intelligenda et interpretanda in rigore, latissime ex professo per duos integros tractatus secundum et tertium hujus libri quarti explicantes illa verba: *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu sancto,* probavimus.

Magna dignitas Josepho accessit ex impositione nominis Jesu.

Et vocavit nomen ejus Jesum. Non parum profecto attulit dignitatis Josepho Angeli legatio, qua ei demandavit: *Vocabis nomen ejus Jesum.* In quo Joseph Patris cœlestis vices gessit. Deus, Angelus, Maria et Joseph, diversimode tamen, hoc nomen imposuerunt, sed Joseph publice in die circumcisionis, ut pater et familiæ caput declaravit. De quo maximis encomiis plura de hoc nomine, et de incomparabili excellentia Josephi in ejus impositione, et patris nomen acquisitione, diximus in lib. III. tract. VIII. et in tract. XII. hujus libri quarti et aliqua in festivitate Circumcisionis dicemus.

IN

CAPUT PRIMUM MATTHÆI

DE CHRISTO DOMINO, ETC.

LIBER QUINTUS

IN QUO A CÆSARIS EDICTO ET CHRISTI NATIVITATE USQUE AD B. JOSEPHI GLORIFICATIONEM AGITUR.

EXIIT EDICTUM A CÆSARE AUGUSTO, UT DESCRIBERETUR UNIVERSUS ORBIS, ETC. ASCENDIT AUTEM ET JOSEPH UT PROFITERETUR CUM MARIA DESPONSATA SIBI UXORE PRÆGNANTE. Lucæ II. a principio.

TRACTATUS I.

De divina intentione in Cæsarei edicti publicatione, et de obedientia a Maria et Josepho edicto præstita.

Maria et Joseph legitimi successores regni David.

Cum jam fere menses novem ab æterni Verbi conceptu in beata Virgine complerentur, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis, ut profiterentur singuli in suam civitatem, ut Lucas narrat Evangelista, c. II. Per propriam uniuscujusque civitatem, non illam in qua quisque natus erat, aut in qua habitabat, sed eam unde oriundus erat, Patres et doctores intelligunt. Urgente etiam jam Cæsaris edicto ascendit Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam, in civitatem David, quæ vocabatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Virgo namque et Joseph non tantum de familia David sed de domo et ejus tribu regia per lineam rectam descendebant, ut in lib. I. tractatu v. per totum vidimus. Adeo quod regni David et successores et reges futuri erant legitimi, ut in lib. II. tractatu IX. per totum luculenter probavimus.

Maria et Joseph obedientes et placabiles, quod est nobilitatis proprium.

Cui Cæsaris edicto Virgo partui jam proxima, et Joseph promptam et humilem obedientiam præstiterunt, omni prorsus mora, vel excusatione semota, in quo regium suum sanguinem et incomparabilem nobilitatem satis demonstrarunt: humilitas enim, placabilitas et obedientia veræ nobilitatis indicia et proprietates sunt, ut in lib. II. tract. IX. probatum invenies. Ostenderuntque simul se dona Spiritus sancti in gradu heroico habere; secundum quæ homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina : dicitur Isaiæ L. *Dominus aperuit mihi*

aurem; *ego autem non contradico, retrorsum non abii*, ut docet S. Thomas, 1. 2. q. LXVIII. art. I. in corp. ad finem; quod in sanctis illis animalibus Ezechieli ostensis satis declaratur. *Ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent; ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Ezechiel I.

Etsi Virgo gravida, gravitatis onere non afficiebatur.

Ambo itaque simul Maria et Joseph profecti sunt, iterque leucarum triginta, et amplius, ut terræ sanctæ descriptores affirmant, feliciter perfecere: nec enimtenellæ Virgini fœtus, onus, quin potius robur et virium fortitudinem præstabat, ut docuit S. Bernardus, sermone Signum magnum apparuit in cœlo, dicens: « Sola Virgo sine corruptione concepit; sine gravamine tulit; sine dolore filium parturivit, etc. » Fulgentius, sermone de laudibus Deiparæ: «Nulla, ait, fieri gravedo potuit concipienti; nulla tristitia parturienti; cum esset gravida salubri levitate plaudebat: lumen enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.» Unde B. Virgo sive pedestris, sive jumento viam ageret, nullum onus inter ambulandum sentiebat, quasi agilitatis dote, gravitatis pondus ademptum, vel saltem esset diminutum. Quod S. Augustinus, ser. 11. de Nativitate, his verbis expressit: « Virgo cum esset gravida, salubri levitate plaudebat. » De quo agit optime P. Barradas, tom. I. lib. VIII. cap. 14. a principio.

Consolationes Mariæ et Josephi in hac itineris profectione.

Quod si aliquam illius itineris longitudo, asperitas, et pauperum iter agentium inopia difficultatem et incommoditatem inducebant, eam quidem devotionis fervor, illustrationum cœlestium affluentia, Josephi comitatus, officiosa sedulitas, piissima et humilitate ejus condita ministeria facile sublevabant. Sed præcipue eos divinarum laudum alterna vice concentus summa delectatione recreabant. Quæ obsecro, vel angelica lingua, divinorum mysteriorum colloquia inter Mariam et Josephum, inter hos duos charitate incensos et ardentes Seraphinos, investigare, aut excogitare poterit? Secum enim Agnum, qui ignem ardentem mittere veniebat in terram, deferebant; deferebant quidem, et singulari prærogativa deferebant, quia cum virginum privilegium sit cantare quasi canticum novum, et sequi Agnum quocumque ierit, hi tamen virgines nostri, virginum ductores et principes; candida duo lilia, inter quos pasci voluit dilectus Dei Filius, non quasi canticum novum, sed novum absolute canticum, virginitatis nempe voto Deo consecratæ cantabant, et incomparabili privilegio, eos ipsemet, quocumque irent, sequebatur Agnus, ut in lib. III. tract. IV. ex S. Bernardo et aliis probavimus.

Desideria Mariæ et Josephi videndi Christum in lucem editum.

Quo enim partus magis appropinquabat, quo enim salus et mundi reparatio magis accedebat, eo magis et efficacius Maria et Joseph charitate ardentes eum foris videre desiderabant. Quo quidem divino flagrans desiderio sanctissimus Joseph Salvatorem in utero Virginis sponsæ suæ existentem, in hæc verba eloquens, erumpebat: *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat?* Cant. VIII. v. 1. et ingentia ab omnipotenti Deo accepta beneficia mente revolvens in has et similes laudes prorumpebat: *Quoniam tu es patientia mea, Domine: Domine, spes mea a juventute mea. In te confirmatus sum ex utero: de ventre matris meæ tu es protector meus. In te cantatio mea semper: tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis. Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Psal. LXX. v. 5. usque 8. Ejusdem prorsus divini Spiritus beata Virgo mota plenitudine ad sponsum dulcissimum Josephum conversa correspondens dicebat: *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Psal. XXXVIII. v. 8. nihil aliud curo, nihil aliud peto, nihil aliud opto et desidero, nisi Deum, ejus majorem gloriam, et totius mundi salutem. *Quid mihi est in cœlo, aut a te quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum: mihi autem adhærere Deo bonum est.* Psal. LXXII. ad finem; et qua adhæsione, hoc præcipue tempore, quo manet in utero meo, ad filium reversa dulciter aiebat: *Et substantia mea apud te est.* Psalm. XXXVIII. v. 8. et ita apud te, ut vix possint distingui termini naturam humanam terminantes in unitate divinæ personæ, a substantia mea. Et ideo partui vicinior et propinquior, in utero habens, clamo parturiens, et crucior ut pariam, non quidem aliarum mulierum parturientium doloribus ego parturio: ab his enim exempta sum et libera: sed crucior ut pariam, non partu, sed propter partum, totius mundi remedium et medicinam, et sic sanctissimis his desideriis, clamo parturiens, et crucior ut pariam, ut desiderium meum compleatur, et delectetur anima

mea : *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus?* Psal. XXXVIII. v. 8.

Joseph filius David psallebat et exultabat coram Maria vera Testamenti arca, et correspondebat Maria.

Agite ergo jam cœlestes choriphæi, Maria et Joseph, cantate infanti, jamjam in lucem tanquam sponso de thalamo virginali, et ad currendam viam ut giganti egressuro, cantate ei canticum novum. Nam qui inter vos, candida duo lilia pascitur, et pasci voluit, vestris canticis, de canticis Sion, dubio procul summe delectabitur. Incipiat Joseph, incipiat sponsus, incipiat caput, incipiat filius David, nobilis genere, mente nobilior, prorsus inquam filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione. Si plane filius David, non degenerans a patre suo David, debet ergo eum imitari, tenetur ejus vestigia sequi. Ast ille *deducens arcam Testamenti Domini percutiebat in organis armigatis, et saltabat totis viribus ante Dominum: porro David erat accinctus ephod lineo; et David, et omnis domus Israël deducebant arcam Testamenti Domini in jubilo et in clangore buccinæ*. II. Reg. VI. v. 13. 14. et 15. Nec cessavit, licet *cum intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul* sponsa sua *eum subsilientem atque saltantem coram Domino despexerit in corde suo*, ibid. v. 16. Tu autem, B. Joseph, Davidis filium te ipsum demonstrans, potiori jure, longe præstantius ante sponsam tuam Mariam, quam sancto movente Spiritu, Angelorum multitudine copiosa stipatam, in Bethlehem, in civitatem ducis Davidis, ut ibidem mundi pariat Salvatorem, cantare, psallere et exultare debes. Est enim vera Testamenti arca : « Siquidem arca illa intrinsecus portabat Testamenti tabulas : Maria autem ipsum Testamenti gestabat hæredem ; illa intra se legem, hæc Evangelium retinebat : illa Dei vocem habebat, hæc verbum : arca illa intus forisque auri nitore radiabat, sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat : illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti. » Nec enim contemneris sicut a Michol filia Saülis pater tuus David, quin potius ab æterni Patris filia, ab æterni Filii matre, ab Spiritus sancti sponsa, ab Angelorum regina, cœli et terræ domina, quæ tua sponsa est, laudaberis, regratiaberis, et supra quantum dici potest, magnifies : ipsaque tympanistria divina cythara, et divinum psalterium, se tibi saltanti, suum canticum repetens : *Magnificat anima mea Dominum*, etc. conjunget, adhærebit, et libentissime adjuvabit.

Vobisque angelicos spiritus amanter conjunctos, imo et prævenientes, in lætitiæ vestræ adjutorium missos experiemini. « Nam, ut ait D. Bernardus, serm. 7. in Cantica, quod psallentibus dignanter admisceri sancti Angeli soleant quid eo manifestius, quod psalmista ait? *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum*. Psal. LXVII. Unde et dicebat : *In conspectu Angelorum psallam tibi*. Psal. CXXXVII. » Nec solum Angeli illi in Virginis ministerium deputati, sed etiam Angeli omnes, qui de proximo ad Dominum suum in præsepio adorandum sunt descensuri, qui jam partus tempore appropinquante, per muros cœlestis Jerusalem, per cancellos, per fenestras et orbium cœlestium spectacula, incipiunt apparere, ut ubi fuerit Christi corpus, ibi congregentur et aquilæ. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei;* ad Hebræos I. v. 6. Eia Angeli, eia, cœlestes spiritus, *canite Deo, psalmum dicite nomini ejus; iter facite ei, qui ascendit super occasum. Dominus nomen illi.* Psalm. LXVII. v. 5. Ascendit Christus super occasum, super locum adorationis humanæ, ad locum adorationis angelicæ. Eia, eia, agite, properate ; iter facite ei, ministerium vestrum Christo in Virginis utero peregrinanti, ad ejus magnificentiam exhibete. Nec moram vobis aliquo modo facessat, Christum nondum esse actualiter natum, cum de proximo sit a Virgine in lucem edendus : scitis enim vos milites cœlestis exercitus, de proximo in militem accingendum, haberi et pro jam accincto, quoad honorabilia reputari, et quod de proximo futurum est, pro facto jam haberi. Descensuri ergo de proximo, descendite modo, iter facite ei, adorationem et reverentiam exhibete. Agite ergo, cœlestes spiritus, agite, et vestris laudibus Christi prævenite nativitatem in confessione, agite, et cum Maria et Josepho exultantibus cito conjungimini, et morem vestrum modo servate. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum*, Psal. LVII.

Angeli exultant cum Maria et Josepho in itinere.

Illud denique in hac Cæsarei edicti publicatione, et totius orbis descriptione, a quolibet in civitatem, a qua originem traheret et oriundus esset, facienda, sine debita consideratione prætereundum non est. Quidam existimant exiisse hoc edictum ea solum ratione, ut Cæsar Augustus nosceret quot subditos haberet Romanum imperium, quan-

Cæsarei edicti publicatio fuit ad imponenda subditis tributa.

tum virium haberet ad casus bellicos. Alii probabilius putant ad tributum, censum et vectigal imponendum fuisse hanc indictam descriptionem, et hæc sententia et est communis, et magis conformis Romanorum superbiæ et avaritiæ, et omnium fere regum consuetudini, qui non nisi duabus de causis recensere populum solent, aut ut sciant quantum ex eo pecuniæ possint emungere, aut quantum colligi virium ad bella gerenda, ut post Bedam, Euthymium et alios, et S. Thomam in Catena, resolvunt optime P. Salmeron, tomo III. tractatu XXXII. a principio, et Cardinalis Toletus, super cap. II. Lucæ, annotatione 1. et P. Maldonado ibidem, numero 1. et P. Barradas, tomo. I. Concordiæ. libro VIII. cap. 8. §. arbitror. Nec hujusmodi principibus usquam deest præses aliquis Cyrino similis, qui postulante principe, ab executione incipiat juxta illud Michææ VII. v. 3. *Princeps postulat et judex in reddendo est.* Ubi Glossa moral. « Princeps postulat exactiones, et judex in præstando est: nam ejus ballivi et præpositi reddunt quod petit de gravamine populi. » Nec etiam illis deest alter Nemrod robustus venator coram Domino: *Nemrod cœpit esse potens in terra, et erat robustus venator coram Domino;* Genes. X. v. 9. ubi Glossa moralis: « Nemrod robustus venator hominum: nam talis rex, princeps, aut dominus per machinationes diversas, et violentias rapit bona subditorum: sed subditur; *coram Domino,* quia Dominus videt talia ad puniendum tempore debito gravissima pœna, secundum quod scribitur Sap. VI. *Potentes potenter tormenta patientur.* » De legitimitate autem causæ, ut tributa juste imponi possint, jura canonica et civilia consulenda sunt, ut c. super quibusdam. §. præterea de verb. significatione et c. in novamus. de censibus. et l. vectigalia. ff. de censibus. et l. 2. et 3. C. nova vectigalia institui non posse. et Bulla Cœnæ Domini. numero 5. et novissime P. Doctor Ludovicus a Molina, to. III. de tributis per totum, præcipue disputatione DCLXVI. cum seq.

Cæsarei edicti publicatio fuit a Deo intenta, ut adimplerentur prophetiæ.

Et quamvis in edicti istius publicatione hæc fuerit Cæsaris intentio, superbia, ambitio et avaritia, ut modo vidimus, Dei tamen ordinatione et providentia gestum est, ut prophetarum vaticinia complerentur. Constituerat enim Deus, et per Michæam prophetam, c. v. v. 2. declaraverat ut in Bethlehem Christus nasceretur; et sic eadem providentia fecit ut per id tempus edictum a Cæsare Augusto de describendo orbe universo prodiret, ut ea occasione Joseph et Maria tunc, cum instabat partus, in eam venirent civitatem. Ita Lyra, super cap. II. Lucæ, v. 8. et ibi Beda, Græcus, et alii relati a S. Thoma in Catena, et P. Maldonado, numero 6. et P. Salmeron, ubi supra; tractatu XXXII. ff. Conveniebat ergo; ab omnibusque interpretibus id notatum est: quapropter P. Salmeron ubi supra, sess. septima fuit. ad finem, censet Cæsarem hunc non fuisse a Deo punitum, quia fortassis in hoc facto non peccavit, quia Deo inspirante hanc censionem instituerit, ut in ea inserviret divinæ voluntati: id enim in primis videtur a Deo prospectum fuisse, ut beata Virgo, quæ ipsum conceperat Salvatorem, rationem et justam causam veniendi in Bethlehem haberet, atque ibi pareret.

Judicia Dei abyssus multa, et ea quæ nobis disparata videntur, serviunt ejus voluntati, et intentioni.

Ex quo scientia, sapientia et Dei omnipotentis providentia nobis mirabilis redditur et commendabilis, cum D. Paulo ad Rom. XI. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* Ipse enim met Dominus dicit: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: nec viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris;* Isaiæ LV. v. 8. et 9. et postmodum in Psal. LXV. v. 5. invitat David; *Venite et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum:* quia omnia ejus voluntati deserviunt. *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi;* Psal. CXVIII. v. 91. Illa etiam, quæ humano sensui videntur esse contraria, et fini consequendo repugnare. Quis suaderi poterat quod ut patriarchæ Joseph somnia complerentur, a parentibus et fratribus adoraretur, ut princeps, pater Pharaonis, et Ægypti fieret Redemptor, expediebat vendi, incarcerari? etc. Genes. XL. XLI. Quis suaderi poterat cæcum luti super oculos impositione esse curandum? Joan. IX. v. 9. Quis suaderi poterat serpentis ænei aspectu sanari a serpentium morsu venenatos? Exod. XXI. Quis suaderi poterat aquas pessimas sale ab Elisæo immisso sanandas et dulcorandas? IV. Reg. II. v. 20. et 21. Quis tandem suaderi, aut excogitare poterat Augustum Cæsarem edicto suo totum orbem commoturum, ut Mariæ in Bethlehem venienti implerentur dies ut pareret Christum Dominum et imple-

rentur prophetiæ, illa præcipue Michææ v. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es ex millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Ideoque humiliari debemus sub potenti manu Dei, et sub ejus inscrutabilibus judiciis, ut David admonet Ps. XVI. *Subditus esto Domino, et ora eum.* Ubi hebraice legitur: *Tace Domino, et expecta eum, et adverte consilium saluberrimum. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris,* Eccl. III. v. 22. quia, *qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloaia,* Prov. XXV. v. 27. Si enim nostrorum intellectuum tenuitate, judicia Dei, quæ abyssus multa sunt, metiri voluerimus, eorum profecto quam plurima nobis principio et fine carere apparebunt; et, ut hispane dici solet: No tienen pies ni cabeca; quod non obscure Isaiæ prophetæ delineatum fuit. *Vidi,* ait, *Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri; duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus,* etc. Isaiæ VI. v. 1. et 2. Non enim oculi Dei carnei sunt, nec sicut homo videt, ille videt. Et ex his quæ nobis contraria, immo et disparata videntur, Deus perficit opus suum, ut omnia ei cooperentur et serviant, juxta illud Prov. II. v. 1. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini; quocum que voluerit inclinabit illud.* Ubi Jansenius: « Cæterum cum omnium hominum corda sint in manu Domini, peculiariter de corde regis id dicitur, quod hoc maxime sit liberum, et alienæ potestati minus subjectum, quodque ab ejus directione et inclinatione salus, aut perditio totius pendeat reipublicæ, ut insinuet prudentiæ, aut sanctitati regis non esse tribuendam salutem populi potissimum, sed Deo, qui etiam bonos et sapientes principes errare sinit exigentibus ita populi peccatis. » Sicut ergo hortulanus sedulus et industrius per suos decursus aquas ad areas, quas vult, ducit et dirigit, nunc unam aperiendo viam, nunc vero alteram claudendo, ut omnia ejus intentioni serviant: ad eumdem modum, conjectari nobis liceat, Dominus Deus scientia et providentia sua infinita, nulla causis secundis, liberis præcipue, imposita necessitate, sed suos effectus agere sinens, disponit et ordinat, quod omnia voluntati et intentioni suæ cooperentur: affert enim Deus hominibus objecta, et præparat negotia, ex quibus homines libere provocentur et excitentur magis ad hoc quam ad illud, ut Adamus super c. I. ad Rom. explicans difficilem S. Augustini sententiam, lib. V. contra Jovinianum c. III. et lib. II. de gratia et libero arbitrio, c. XXXI. scite et acute dixit; Et sic, *attingens a fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suaviter.* Unde et ipse dicit Eccl. XXIV. v. 42. *dixi; Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo pati mei fructum.* Ubi Jansenius: « Indicat sapientia se a magno flumine cœlestis sapientiæ emanasse in hunc mundum, ut Ecclesiam electorum rigaret: nec tantum rigaret, sed etiam inebriaret, ut copiosum fructum Deo proferre valeret. »

Descriptio Cæsaris significabat descriptionem, quam Christus suorum electorum facit ad vitam æternam.

Cæsarei edicti publicatio, et totius orbis indicta descriptio, et tali modo, tempore et loco facienda aperte demonstrabat, quod ille qui apparebat in carne totius orbis Dominus et Deus omnipotens erat, et pro omnium salute veniebat. S. Ambrosius super cap. 2. Lucæ I. « Quid enim professio sæcularium ad generationem Domini pertineret; nisi ut advertamus hoc quoque divinum esse mysterium? quia dum professio sæcularis ostenditur, spiritualiter impletur. Ut scias censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis jubetur profiteri: Quis enim poterat totius orbis professionem exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium? non enim Augusti, sed Domini est terra et plenitudo ejus. Ideo describitur universus orbis quia ille nascebatur, qui pro singulis Judæis et Gentibus passurus veniebat, omnes, quantum in se est, a tributo peccatorum et subjectione diaboli liberaturus. » Et clarius Glossa ordinaria, ibid. « Nascituro Domino, ait, describitur mundus, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitatem, in quo nomen Augusti vere impletur: quis enim posset totius orbis professionem exigere, nisi qui totius orbis haberet imperium? non enim Augusti, sed *Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Gotthis non imperabat Augustus: non imperabat Armeniis; imperabat Christus. »

Christus per prælatos edictum quotidie publicat, ut omnes homines scribantur in libro vitæ.

Exiit ergo edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Præstantius tamen exiit, et quotidie exit edictum a Christo Domino, ut describatur universus orbis, ut describantur electi ejus in libro vitæ in æternitate, cujus descriptionis censores Apostoli, prælati, sacerdotes, et Ecclesiæ ministri sunt, qui tributum ab hominibus, non pecuniam, sed baptismum, fidemque cum

operibus et charitate copulatam exegerunt, et semper exigunt, ut ex Beda Glossa ordinaria his verbis : « Sicut imperante Augusto, et præsidente Cyrino, ibant singuli in suam civitatem ut profiterentur censum, sic modo imperante Christo, per doctores Ecclesiæ præsides profiteri debemus censum justitiæ. Subeamus jugum quod leve est, veniamus ad requiem animarum, quæ est patria nostra ; et sicut Cæsari solvebatur denarius, qui decem nummos habebat, qui etiam nomine Cæsaris titulabatur, sic offeramus regi nostro decalogum legis, in quo vultum nostri regis, id est, agnitionem voluntatis ejus inveniemus. Quem denarium quasi sacculo inclusum portamus in via, cum in occulta conscientiæ meditatione servamus. Proferemus autem, cum regem in decore suo contuebimur. » Non enim sola sufficit descriptio, solum christiani nomen non sufficit, sola nominis militiæ deditio non prodest, ut optime S. Thomas, 1. p. q. XXIV. ar. II. sic docet : « Non enim miles eligitur, aut conscribitur ad hoc ut armetur, sed ad hoc ut pugnet : hoc enim est proprium officium ad quod militia ordinatur. Unde proprie liber vitæ respicit vitam gloriæ. » Et ideo unicuique nostrum loquitur Paulus, et hortatur : *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.* I. ad Timot. VI. v. 11 et 12.

Hactenus de Cæsaris edicto, et de Mariæ et Josephi itinere ad profitendum et obediendum in Bethlehem civitatem suam, ubi impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum unigenitum : de quo in sequenti tractatu erit agendum.

FACTUM EST AUTEM CUM ESSENT IBI, IMPLETI SUNT DIES UT PARERET, ET PEPERIT FILIUM SUUM PRIMOGENITUM, etc. Lucæ II. v. 6. et 7.

TRACTATUS V.

De Christi Domini celeberrima nativitate, et communi lætitia.

Deus et Ecclesia a terroribus ad suavitatem incipit.

Cum nobiliores, proceres, et alicujus civitatis primores suavi, dulci ac sonoro concentu, et vocum et etiam musicorum instrumentorum apparatu chorum parare decrevere, ut alicui reginæ aut principi concinant, aures recreent, ac demulceant, solent noctem obscuram, valde gelidam ac pruinosam consulto eligere ; et id tempus potissime, quo gravior ac prolixior somnus eorum aggravat artus, et ut a somno in primis excitentur, tormenta displodere, strepitus commovere, aliaque fragorum genera quassare, tuncque dulcisonas suas cantilenas intonare inchoant, modulos concitant, chelym, cytharam, ac psalteria agitant, quorum harmonia audientium aures, atque animos reddat intentos. Haud sane aliter Ecclesia sancta in adventu sponsi sui Christi dilectissimi, ut ei et beatæ Virgini matri, in sui partus felicissima, eadem tamen caliginosa ac frigida nocte, Angelorum et hominum choros præparans, ab extremi judicii minis, atque terroribus, ut fideles suos peccatorum pondere, ac gravi somno oppressos excitet, in prima Dominica Adventus sic incepit : *Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium*, etc. Lucæ XXI. Et hanc suam esse intentionem in ejusdem Dominicæ epistola expresse declarat, dicens : *Fratres, scientes, quia hora est jam nos de somno surgere, nunc autem proprior est nostra salus, quam cum credidimus : nox præcessit, dies autem appropinquavit ; abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis ; sicut in die honeste ambulemus*, etc. ad Rom. XIII. Quos jam ita excitatos in hac felicissima nativitatis nocte cœlestium spirituum divinis canticis exhila-

rat, et ad Deum pro tam incomparabili beneficio laudandum in hæc verba provocat : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Lucæ. II. Nec tantum Angelorum, sed hominum etiam, pastorum, inquam, qui *Venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio, et reversi sunt glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant*, Lucæ II. Quæ omnia in honorem, jubilum et beatæ Virginis encomium mire cedebant; quæ quidem *conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo*; Luc. II. nec tantum Mariæ, sed etiam Josephi; de utroque enim idem Evangelista testatur, *Et erant pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo*, Luc. II. v. 33. Misericors enim Deus ut homines alliciat, eosque in funiculis Adam et in vinculis charitatis, ad amoris sui suavitatem et dulcedinem trahat, et ut faciat suum misericordiæ opus, solet alienum et peregrinum opus facere prius, a minis et terroribus incipiens, ut fines suos pacem ponat, et hominibus demonstret. Quod quidem non obscure delineatum in propheta Elia fuit, cui ipse Dominus per Angelum dixit, III. Reg. XIX. v. 11. 12. et 13. *Egredere et sta in monte coram Domino : et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes et conterens petras ante Dominum, non in spiritu Dominus; post spiritum commotio, non in commotione Dominus; et post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncæ.* Quem locum explicans D. Gregorius, lib. V. Moral. cap. XXVI. in hæc verba ait : « Quod vero in magna contemplatione sublevati, subtile quid de æternitatis cognitione pertingamus, sacræ historiæ verbis ostenditur, cum de cognitione Dei propheta nobis Elias edocetur, cui cum transiturum ante eum se Dominus promitteret, dicens : *Ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum*; illico adjunxit : *non in spiritu Dominus ; et post spiritum commotio, non in commotione Dominus ; et post commotionem ignis, non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis*, et ibi Dominus. Spiritus quippe ante Dominum evertit montes et petras conterit; quia pavor, qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit. Sed spiritui commotionis et igni non inesse Dominus dicitur : esse vero in sibilo auræ tenuis non negatur, quia nimirum mens ejus in contemplationis sublimitate suspenditur; quidquid perfecte conspicere prævalet, Deus non est; cum vero subtile aliquid conspicit, hoc est, quod de incomprehensibili substantia æternitatis audit : quasi enim sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus. » Et Lyra super eumdem locum nu. 4. sic ait : « Ista autem transibant ante spiritum suavem designantem Dei præsentiam, ad designandum terrorem potestatis divinæ, sicut Exodi XIX. quando Dominus descendit super montem Sinai, ante eum cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, et nubes densissima operuit montem ; ista autem facta fuerunt ministerio angelico, de quo in lib. IV. tract. X. egimus. Quod si post depositum alicujus oneris fascem, jucundissima est quies, et delectabilissima repausatio : quod si dulcissima est post longæ captivitatis catenas ad charam patriam, recuperata libertate, remeatio : quod si valde pretiosum est post multa navigationis pericula ad optatam terram, ac portum desiderabilem pervenisse : quanto magis, obsecro, jucunda erit post dira et aspera tormenta bellica, et extremi judicii minaces terrores, lætitia et incomparabilis gaadii exultatio, cantus harmoniam et cœlestes Angelorum concentus audire, videre, ac experiri quam hodierna die melliflui facti sunt cœli ! Quod totum sancta catholica Romana Ecclesia divino Spiritu afflata in præmissis aperte nobis ostendit.

Non in commotione, sed in sibilo auræ tenuis Dominus, et explicatur visio Eliæ prophetæ.

In primo hujus festivitatis sacro, statim nocturno tempore, nato Domino, celebrando, catholica Ecclesia gaudium magnum nobis omnibus per Angelum annuntiat : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator qui est Christus Dominus in civitate David*, Lucæ II. v. 10. et 11. et fideles suos ad festivitatem invitat. Omni possibili solemnitatis pompa et apparatu, Ecclesia sancta superno afflata Spiritu, Christi Domini sponsi sui intendens celebrare natalem, fideles suos jam excitatos a somno, ut divinis laudibus, spiritualibusque spectaculis gaudentes inter-

Ecclesiæ festiva gaudia in Christi Domini primo in mundum ingressu.

sint, ac festivitatum cœlestis alacritatis participes fiant, sic amanter provocat et invitat : *Egredimini et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus*, Cant. III. v. 11. Super quo D. Bernardus, serm. 2. de Epiphania Domini, sic omnes hortatur : « Egredimini virtutes angelicæ, incolæ civitatis supernæ, ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modo caruistis. Hanc hactenus dulcedinem non gustastis, habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egredimini igitur, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. Verumtamen non est opus illis nostra exhortatione, quoniam ipsi sunt, qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quanto sublimitas notior, tanto humilitas pretiosior et amabilior est ; ipsi nos prævenient, ipsi nos exhortantur ; probat hoc Angelus, qui gaudium magnum evangelizat pastoribus, et quæ cum eo facta est multitudo cœlestis exercitus. Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi, egredimini, filiæ Sion : egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis ; de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, et videte regem Salomonem. Egredimini igitur, et videte regem Salomonem : nam ubique rex est, licet enim regnum ejus non sit de hoc mundo, Joann. XVIII. tamen rex est etiam in hoc mundo. Egredimini proinde, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua. Coronat eum pater corona gloriæ, sicut Psa. VIII. ait : *Gloria et honore coronasti eum* ; videte eum, filiæ Sion, in diademate quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli propter vos, regis vestri ; agamus gratias Redemptori et Mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. » Cum enim regi primogenitus nascitur, aut cum potentissimus ac supremus rex civitatem aliquam regni sui, prima præsertim vice ac nocturno tempore excipiendus ingreditur, præ ingenti gaudio et eximia lætitia fremit populus ; luminaribus, ludis, conviviis, facibus, aliisque hujusmodi congratulationis argumentis declarat, atque testatur animum suum, ingens illico totius urbis et orbis motus, et frequentia undique concitatur, ac se se omni tristitia deposita, lugubrique omni rejecto vestimento, hilarem, ac festivam bombycina veste et aurea circumornatam, famulisque variegatis stipatam adventanti principi effundit obviam. Muri deinde, fenestræ, tecta, calles, compita, unde possit adveniens inspici, non modo unitis et coadunatis hominibus complentur, sed et frondibus, peristromatis, ac veste stragula decorantur : campanæ læto festoque sono simul una percrepant : ardet tanta funalium, ac luminum copia, tam irrequietus sulphurei pulveris fragor perstrepit, ut animos rapiat, atque accendat. Atque ita confluentibus undique civibus, cantibus undique personantibus, rex supremo throno et sedili locatus, omnium oculis aspectandus urbem invenitur, paucisque diebus interjectis, ut publicum aliquod communis lætitiæ specimen civitas universa præ se ferat, ad publica festa, sive in militaribus congressibus, vel hastiludiis, sive in torneamentis equestribus, vel ludis annularibus principem invitat, recreat et exhilarat.

Natalis Domini nox in meridiem fuit versa præ claritate.

Præstantiori quippe jure sancta catholica Ecclesia, cœli, terræque publica festa, lætitiam communem, gaudium, ac universalem exultationem Christo Domino infanti recenter nato, et ab æterno Patre in orbem terræ iterum introducto, solemniter facta, nobis repræsentat. Unde justissime D. Ambrosius, hom. 3. de Nativitate Domini, ad ea quæ modo diximus, consequenter ait : « Lætitia quanta sit, quantusque concursus, cum Imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nostis : quemadmodum duces et principes omnes etiam militantes accurate sericis vestibus accincti, operosis cingulis, auro fulgente pretiosis, ambiunt solito nitidius in conspectu regis incedere ; credunt enim majus esse imperatoris gaudium, si viderit majorem suæ apparitionis ornatum, tantoque illum lætum futurum, quanto ipsi fuerint in ejus solemnitate devoti. Qua nos ergo accuratione æterni regis nostri Jesu Christi natalem suscipere debemus, qui pro devotione nostra non nobis largietur temporalem gloriam, sed æternam ? Quibus indumentis nos exornari oportet ? hoc est, animas nostras, quia rex noster Christus non tam nitorem vestium quam animarum requirit affectum. Nec inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum ; nec

fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. » Nocte media ingreditur rex iste pacificus, nocte ingreditur rex iste regum, et Dominus dominantium. *Cum enim quietum silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus venit*, Sapient. XVIII. v. 14. et 15. Statimque Angelus gaudium magnum omnibus annuntiat : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David;* statimque etiam, nec mora quidem, accenduntur faces, magnaque spirituum cœlestium apparent luminaria. *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos flammam urentem.* Ps. CIII. v. 4. et ad Heb. I. v. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis;* inter quæ innumerabilium Angelorum laudantium et benedicentium Dominum, et pacem hominibus bonæ voluntatis annuntiantium dulcis suavisque vocum concentus resonabat ; *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. II. Quibus quidem atra, obscura et frigida nox, in meridiem et in deliciarum congeriem fuit repente conversa, adimpletumque est quod regius cecinerat Psaltes, Psal. CXXXVIII. v. 11. et 12. *Nox illuminatio mea in deliciis meis, et nox sicut dies illuminabitur;* ubi Gloss. interlinearis : « Deliciæ nostræ Christus, in quo exultamus. » Et quid rogo, de noctis claritate mirum tot Angelorum luminaribus referta, et cujus tandem lucerna erat Agnus? qui natus in terra nudus et nitidissimus, carnem ab omni sorde et immunditia alienam et separatam habens, omnia in ejus luce clarescebant ; asserit enim D. Vicentius in serm. de Nativitate Christi nascentis corpus splenduisse. « Quando Christus, ait, natus est, corpus ejus splenduit ut sol quando oritur ; et nox facta est sicut meridies, et ita claruit. De isto lumine Propheta Isa. IX. ait : *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, etc. » Quo in loco licet propheta de lumine agat spirituali, nihil tamen inconvenit pie ad lumen corporale, de quo agimus, extendere. Et ex S. Brigitta, lib. VII. cap. XXI. refert P. Salmeron, tom. III. tract. XXXIII. et amplius : « Cumque pro partu edendo in lucem preces ardentes Deo Virgo obtulisset, illico in momento et ictu oculi filium ante se editum vidit, et in illo momento sensit B. Virgo quasi dimidium cordis sui exiisse ; ex quo tantus fulgor prodibat et splendor, ut vix sol posset ei comparari ; lumenque accensæ lucernæ offuscatum lucem minime reddebat. »

Spiritualibus Martyrum torneamentis Natalem Domini Ecclesia solemnizat.

Postmodum vero ait S. Bernardus, sermone in Natali sanctorum Innocentium, in principio : « Triplex S. Stephani, Joannis et puerorum Innocentium solemnitas Natalem Domini comitatur, ut non modo inter contiguas solemnitates devotio continua perseveret, sed et fructus dominicæ nativitatis exinde nobis, velut ex quadam prosecutione evidentius innotescat, siquidem advertere est in his tribus solemnitatibus triplicem quamdam speciem sanctitatis, nec facile præter hæc tria Sanctorum genera, quartum aliud posse arbitror in hominibus reperiri. Habemus in B. Stephano martyrii simul et opus et voluntatem : habemus solam voluntatem in B. Joanne : solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem salutaris, aut corpore simul et spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. » Ecce publicam lætitiam, ecce militares congressus, ecce hastiludia, ecce equestria omnis status torneamenta. Ad Hebr. XI. v. 34. et 35. *Omnes fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, lapidati sunt*, sicut Stephanus; *in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et in cavernis terræ*, sicut B. Joannes in insulam Pathmos relegatus; *secti sunt, in occisione gladii mortui sunt*, quemadmodum Innocentes martyres. De quibus D. Augustinus, serm. 1. de Innocentibus, qui est 8. de Sanctis, post initium, sic pulcherrime ait : « Nascente Domino, luctus cœpit, non cœlo, sed mundo : inducitur matribus lamentatio, Angelis exaltatio, infantibus transmigratio ; Deus est, qui natus est ; Innocentes illi debentur victima, qui venit damnare mundi malitiam, agni debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccati mundi, etc. »

In Christ nativitate fideles etiam corporaliter gaudere debent, quod Ecclesia facit.

Ad hanc etiam celeberrimam festivitatem maxime pertinet quod tempore Honorii III. catholica decrevit Ecclesia : « Quod si festum hoc Nativitatis dominicæ die ipso in sexta feria venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam fideles, nec voto, neque regulari observantia astricti, vesci possunt. » Ubi Panormitanus Abbas, n. 2. et 3. prudentissime docet, « Quod in die festo non

solum spiritualiter homines gaudere debent, sed etiam cum honestate possunt in cibis aliquam delectationem accipere ; et cessante jactantia possunt tunc homines licite uti vestimentis magis pretiosis, in veneratione festivitatis. » Et ad eumdem celebrationis finem Bonifacius VIII. Pontifex in cap. alma mater. statuit et decrevit quod quibuscumque censuris, interdictis et aliis canonicis impedimentis sublatis, « In festivitatibus Natalis Domini campanæ pulsentur, et januis apertis, alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, etc. » cap. alma mater de sent. excom. in 6.

Christus in nativitate sua magnam liberalitatem ostendit.

Et pro festivitatum complemento reges et principes in suo primo ingressu magnificentiam et liberalitatem suam sibi subditis et vassallis ostendere et impertiri consueverunt, ut eorum animos ad benevolentiam alliciant, et ut ipsi divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem potentiæ suæ ostendant. S. Basilius, hom. 3. in Natali Domini, post principium : « Sciunt subditi Dominum in die Natalis sui largum esse futurum, ac donaturum plurima iis qui in domo ejus abjecti putantur et viles. « Quod Christus Dominus in Nativitate sua mirifice patefecit, unde ei sancta canit Ecclesia : « Hodie melliflui facti sunt cœli ; » et in epistola ex Paulo ad Titum III. desumpta, et in 2. Missa decantata, omnes solatur fideles, dicens : *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei*, etc. Quapropter D. Augustinus, serm. 3. Natalis Domini, in principio, intrepide fiduciam peccatoribus præbens, sic ait : « Promitto vobis, filioli, et certus sum quod si quis ex corde in hac Nativitatis Domini die pœnituerit, et ad vomitum peccati reversus non fuerit, quodcumque petierit, dabitur ei. » Cui liberalitati et benignitati imperatores Valentinianus, Theodosius et Arcadius piissime et efficacissime sanxerunt, in l. 3. c. de episcopali audientia, in carceribus detentos in hac festivitate solvendos, in hæc verba : « Nemo deinceps tardiores fortassis afflatus nostræ perennitatis spectet, exequantur judices, quod indulgere consuevimus. Ubi primus dies Paschalis extiterit, nullum teneat carcer inclusum ; omnium vincula dissolvantur, etc. »

In festo natalis Domini omnium supremo omnes gaudere debent.

Magna ergo, immo et maxima est in hoc sacro S. Natalis Domini die causa lætitiæ : *Ecce enim*, clamat Angelus, *evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo : quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Et cum eo facta est multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium : gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Hujus diei festivitas inter reliquas festivitates primas obtinet, ut docuit. D. Chrysost. in oratione de S. Philogonio, in fine to. 3. his verbis : « Christi juxta carnem nativitas est festum omnium festorum maxime venerandum, adorandumque ; quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberrare, quia ab hoc festum Epiphaniorum, Pascha, Ascensio et Pentecostes originem et fundamentum ducunt. » Dies enim Domini est dies quam fecit Dominus, ideoque exultare et lætari debemus, juxta Psalm. CXVII. v. 24. *Hæc est dies quam fecit Dominus ; exultemus et lætemur in ea.* Ubi Cassiodorus et Petrus Chrysologus, serm. de Nativitate, eisdem verbis sic pulcherrime explicat : « Licet cunctos dies Deus creaverit, singulariter tamen hunc diem fecisse dicitur, qui Christi Domini nativitate sacratus est, in quo merito exultari convenit et lætari : quia in eo et diabolus jus perdidit, et salutem mundus accepit. » Et D. Hilarius, homil. 2. de Nativitate Domini, sic exorditur : « Bene nostis, fratres charissimi, et mecum fideliter tenetis B. Prophetam ante multa sæcula de præsenti solemnitate cecinisse : *Hic est dies quem fecit Dominus.* Ego autem dico : Hic est dies in quo factus est Dominus, genuit posterior antiquum, occiduus sempiternum ; hic, inquam, est in quo factus est dominus servus, ut persona servi transiret in dominum. Hic namque dies origini rerum originem dedit in se nascentium. Ortum ergo suum in hac sumpsit luce fons luminis, hodie ex se mundo protulit diem cœli. » Et D. Augustinus, ser. 5. hujus diei, tom. 10. eodem intentu ait : « Quid mirabilius ? de creatura sua Creator omnium procreatur, et de rivulo suo fons magnus exoritur : radix omnium de virgulto suo nascitur, et vitis vera palmitis sui fructus efficitur. » Cum ergo una sit omnibus causa lætitiæ, omnes merito gaudere debemus et exultare, juxta D. Leonem Papam, ser. 1. de Nativitate Domini. » Salvator noster, ait, dilectissimi, hodie natus est : gaudeamus. Nec enim fas est locum esse tristitiæ, ubi natalis est vitæ. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ communis est ratio, exultet sanctus, quia appro-

pinquat ad palmam : gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam : animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.

In natali Domini cœlestia, et terrestria lætari debent, cessante omni tristitia, et litigio.

Cœlo itaque pariter ac terræ hodierna proponitur celebranda festivitas, juxta Psal. XCV. v. 11. et 13. *Lætantur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus; gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt, tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini.* Et tam ingentis lætitiæ causam reddit statim dicens, *Quia venit, quoniam venit.* Quia venit Deus, et quia ipsemet Deus factus homo venit. Et licet bis repetat, *venit*, semper tamen in singulari, ab unitate divinæ personæ, in duabus naturis divina et humana ; ubi Dionysius sic explicat : « *Lætentur cœli*, id est Angeli sancti : nam Christo nato, facta est cum Angelo *multitudo cœlestis exercitus laudantium Deum* ; *et exultet terra*, id est, genus humanum in terra exilium ducens ; *commoveatur mare*, id est, Gentilitas vitiis turbulenta commoveatur ad pœnitentiam et gratiarum actionem ; *et plenitudo ejus*, id est, omnes animæ vires ; *Gaudebunt campi*, id est, homines bonis operibus floridi, gratiaque fœcundi in primo Christi adventu ; *et omnia quæ in eis sunt*, quia interiora eorum in domino lætabuntur ; *tunc exultabunt omnia ligna silvarum*, hoc est, populi nationum ad fidem conversi ; *a facie Domini*, id est, ex consideratione præsentiæ Christi. » Quod etiam Isa. XLIX. v. 13. sic prædixerat : *Laudate cœli, exultet terra, jubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum.* Ubi Dionysius : « *Cœli*, id est Angeli; *terra*, id est homo terram habitans ; *montes*, id est, aliorum prælati ; *quia consolatus est Dominus populum suum*, id est Ecclesiam. » Cœlestia ergo omnia et terrestria gaudium, tripudium et exultationem hodierna luce personant, ut D. ait Ambrosius, serm. 12. hujus diei : « Ecce enim cum nascitur Christus, exultant Angeli, pastores pervigilant, Magi adveniunt, stella præcedit, et cuncta quæ sunt in cœlis, terrisque pulcherrima, ipsi Domino deferuntur : deferuntur plane gloria per Angelos, claritas per stellam, religio per Magos et simplicitas per pastores. » Et consequenter omnis tristitia, omnis turbatio, et omnis seditio hodie præcipue cessare debent, ut D. monet et hortatur Augustinus, serm. 22. de diversis in Natali Domini. « Cesset, ait, hodie, fratres charissimi, omnis sollicitudo, Christus nobis vera securitas advenit ; cesset omnis infirmitas, hodie Salvator apparuit ; cessent bella, desinant lites, hodie pax vera de cœlo descendit ; cesset omnis amaritudo, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli ; fugiat mors, quia vita de cœlo hodie nobis est data, hodie super terram canunt Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ, et invitantur Sancti. »

Deus factus est homo, ut homo fiat Deus cum eo affinitate, et consanguinitate contracta, ideoque gaudendum.

Quod si hujus Christi adventus in carne finem et scopum profunde consideremus, nostræ lætitiæ maximum inveniemus incrementum. « Natus est nobis hodie, inquit D. Augustinus, homil. 21. in Nativitate Domini, et serm. 52. de diversis, Salvator, et ideo hodie omni mundo sol verus exortus est. Deus homo factus est, ut homo Deus fieret ; et ut servus in Dominum verteretur, formam servi Dominus accepit. Habitavit in terris habitator cœlorum, ut homo habitator terræ habitaret in cœlis; natus est ergo nobis Salvator, passus est diem partus, repudiatæ legis conceptus. Natus autem de patre semper, de matre semel. Etenim Domini nostri Jesu Christi duas accepimus nativitates : primo divinam, deinde humanam, sed plane utramque mirabilem ; in illa ut matris, in hac ut patris officia cessarent. Unam æternam, ut crearet temporales : alteram temporalem, ut præstaret æternos. Ille ergo in forma Dei Patri æqualis, ille in forma servi Patri subditus. » Et D. Hieronymus, ser. de Natali Domini, in principio, tom. 9. hanc eamdem profert cum exclamatione sententiam : « O dies omni solemnitate lucidior ! o tempus cunctis sæculis expectatius ! quia hodie verus sol ortus est mundo, hodie in tenebris sæculi lumen ingressum est. Deus factus est homo, ut homo Deus fieret. Formam servi Dominus accepit, ut servus verteretur in dominum. Cœlorum habitator et conditor habitat in terris, ut homo, colonus terræ, migraret ad cœlos. » Super quo D. Laurentius Justinianus, in fasciculo amoris, c. 2. ante medium, admirans sic exclamat : « Inauditum, omniumque novitatum singulare prodigium fuit, ut Deus fieret homo, et quod hominum communicare passionibus vellet ; quid enim admirabilius quam Dei Filium Virginis mammas sugere, Josephi foveri in gremio, discumbere, dormire, comedere, et cætera humanitatis officia tanquam homo verissimus exercere ? » « Agnosce, o christiane, D. hortatur Leo, ser. hujus diei, dignitatem tuam, et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri con-

versatione redire. Memento cujus capitis, et cujus corporis sis membrum. » Et eodem intentu D. Augustinus, lib. de agone christiano, sic utriusque sexus homines commonefacit : « Nolite vos contemnere, viri, Filius Dei virum suscepit : nolite vos ipsas contemnere, feminæ, Filius Dei natus de femina est. » De quo P. Salmeron, tom. III. tract. XXXIV. post medium, §. quorsum venerit; de hac eadem hominis dignitate agens sic pulcherrime dixit : « Verbum homo factum est, ut natus ex Virgine, nostraque carne vestitus, dulcius nos ad se, atque suavius traheret, alliceretque : habet enim infantia mirificam sibi animos hominum conciliandi vim, atque efficaciam. Ad hæc ut humanam naturam cohonestaret, non solum affinitatem cum illa contrahendo, ea ratione qua humana natura cum divina hypostasi Verbi, veluti quodam matrimonii vinculo indissolubili copulata est; verum etiam consanguinitatem nobiscum iniit admirabili modo natus ex Virgine, ut omnibus conjunctionis modis cum Christo uniremur, cum persona quidem Verbi per affinitatem, cum humana vero natura, quam ex Virgine natus assumpsit, per consanguinitatem. » O rem mirabilem, et omni humana et angelica acceptione majorem. *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis*, clamat Isa. IX. v. 6. Quem locum D. Ambrosius, lib. III. de fide, c. IV. sic explicat : « Filius æterni Patris nobis natus non est, sed nos per illum : per illum enim omnia facta sunt. Sed datus est, filius datus est nobis. Hic tamen filius æterni Patris nobis natus est puer, hoc est, qui est Filius Dei, hic ex Maria natus est nobis puer: parvulus enim datus est nobis. »

Factus est ergo Deus homo, ut homo fieret Deus, ut ex D. Augustino modo vidimus. « Magnum profecto hoc, ait P. Barradas, to. I. lib. VIII. c. 17. in medio, §. erat æternum Verbum, et §. factus est Deus; at recte etiam affirmare sic possumus : factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Ut homo, inquam, qui, ut cum Vate dicam, Psal. XLVIII. *cum in honore esset, non intellexit, et comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*; a belluinis deficeret affectibus, rationemque rectam, et fide illuminatam tanquam ducem sequens, fieret homo, homini Deo similis. Itaque factus est Deus homo, ut homo fieret Deus et homo : sine Deo enim homine, neque per participationem Deus, neque per perfectum rationis fide collustratæ usum, homo poterat esse, factus jumentis similis homo : erat enim æternum Verbum in celsissimo sinu Patris, quo humi repens homo ascendere non valebat, quia non valebat homo ascendere, incarnatum Verbum usque ad brutorum animantium præsepium descendit. Jumento similis homo effrænatas animæ appetitiones ratione veluti carens sequebatur; ut igitur rationis restituat usum, in præsepium jumentorum carnis fœno tectum magnum Verbum sese abjicit, et hominum fit pabulum. » Sed certe brevius et præstantius S. Chrysostomus, ho. 2. in Luc. « Quare in præsepio? ut compleretur vaticinium Isaiæ I. *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui*; scriptum est in alio loco, Ps. XXXV. *Homines et jumenta salvos facies, Domine.* Si homo es, panem comede : si animal es, ad præsepe accede. » Et S. Cyrillus, ho. hujus diei : « Invenit et reperit hominem factum bestialem in anima, et ideo in præsepio loco pabuli ponitur, ut vitam bestialem mutantes, ad consonam homini perducamur scientiam, pertingentes non fœnum, sed panem cœlestem, vitæ corpus. » Et Beda : « Qui autem ad dextram Patris sedet, in diversorio loco eget, et duri præsepis angustia continetur, cui cœlum sedes est, ut nos per cœlestis regni gaudia dilatet; qui panis est Angelorum in præsepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat. » Huic persimile testimonium P. Salmeron, tom. III. tract. XXXIII. §. in stabulo; his verbis perhibuit : « Postquam ergo natus est panis Angelorum et cibus factus est hominum et jacet in loco animalium, superest ut animalia favore divinæ gratiæ, hujus infantis nunc primum nascentis merito partæ, ex irrationabilibus fiant rationalia : ex carnalibus, spiritualia : ex immundis, sancta et munda. Cibus quippe jumentorum fœnum est : at, ut propheta dixit Isa. XL. *Omnis caro fœnum* : Verbum autem caro factum est, nasci in stabulo pertulit, ut quemadmodum in priore beatitudine, paupertatem vitam esse docuit regni cœlestis : ita in hoc suo primo in mundum ingressu, illam consecraret, nobisque amplectendam esse monstravit. »

Eximia Mariæ et Josephi in Natali Domini supra omnes lætitia.

Publica itaque et universalis cœlo terræque hodie indicitur lætitia : *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo*, etc. Quod si secundum S. Thomam, 1. p. q. XX. art. II. in corp. « Gaudium et delectatio est de bono præsenti et habito, »

et 2. 2. q. XXVIII. art. I. in corp. clarius docuit, « Gaudium enim ex amore causatur propter præsentiam boni amati, » et B. Virgo et B. Joseph omnes in desiderio Christum Dominum jam natum videndi superaverint, ut in tract. I. hujus libri quinti vidimus : quamvis enim Christus dum est in Virginis utero, ita unus cum ea est, ut fructus cum arbore, jam vero natus est, ut fructus in manu ejus qui decerpsit ex arbore; ante nativitatem puero Angelus custos non assignatur, quia tunc mater et filius unum esse censentur; Virgo tamen sanctissima adhuc desiderat natum videre, et in omnibus voluntati Dei conformis votum suum, Ecclesiæ desiderio optantis : *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, et deosculer te, et jam me nemo despiciat.* Cant. VIII. v. 1. perfectissime subjecit et conformavit : semper enim quæ Deo magis erant placita faciebat, ut in lib. III. tract. IV. probavimus, et amborum desiderium hodie sit perfectissime impletum : *Factum ese autem*, ait Luc. II. *cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum*, etc. Ergo eorum gaudium reliquorum omnium gaudium excelluit. Imprimis Virgo sanctissima altissimæ vacans contemplationi, divinarum rerum perfusa dulcedine, non prænuntiis partus doloribus, sed eximio gaudio excitata, Regem regum et Dominum dominantium peperit : a lege etenim Evæ : *In dolore paries filios tuos*, Gen. III. fuit omnino exempta, de quo agens S. Bernardus, serm. signum magnum dixit. « Sola inter mulieres Virgo fuit a communi maledicto et dolore parturientium aliena. » Et S. Gregorius Nyssenus in oratione de Christi Nativitate, in principio : « ubi voluptas partum non antecessit, nec dolor subsecutus est. » et S. Augustinus, ser. 14. de Nativitate Domini, Virginem ipsam sic introducit loquentem : « Nec in conceptione inventa sum sine pudore; nec in partu inventa sum cum dolore. » Et concludit S. Damascenus, lib. IV. fidei, c. XV. « Virginem dolor non est sequutus in partu. Verum quos in partu dolores effugit, passionis tempore sustinuit. » De quo fusius in lib. III. tract. IX. egimus.

Quis, obsecro, comprehendere, quis intelligere, aut saltem quis cogitare, etiam cœlestes spiritus particulam etiam minimam supernæ lætitiæ, quam in utroque homine impræsentarium B. Virgo Deipara habuit, valebit? Divino prophetiæ spiritu afflatus Isa. XXXV. n. 2. prædixit. *Lætabitur deserta, et in via florebit solitudo, sicut lilium germinans germinabit, exultabit lætabunda et laudans, gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.* Quem locum S. Cyprianus, serm. de Christi Nativitate, de ingenti hac Mariæ lætitia explicat : si enim, ut Joannes XVI. testatur : *Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem peperit, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum*; quale erit nostræ Virginis gaudium, qualis inexplicabilis exultatio, quæ, ut modo vidimus, filium sine dolore peperit, et filium peperit mundi Salvatorem. *Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram;* clamat sanctus David, Psa. XLV. v. 9. et quæ obsecro, opera? et quæ rogo, prodigia? Petrum audiamus Damianum, serm. hujus diei dicentem : « O Bethlehem, civitas Dei summi, et in te, et in suburbiis tuis visa sunt mirabilia hodie. Deus pendet ab uberibus, ponitur in præsepe, ligatur in cunis, pannis involvitur, et laxatis fasciolis felices manus, et sancta brachiola per cunarum parvitatem expandit; alludit Virgini, matri arridet, et blandientes oculos ad Mariam intorquet; stat perterrita tantis miraculis Regina cœlorum, confert in corde suo salutationem Archangeli, conceptionem Dei, nativitatem pueri, et miratur quod ille, qui sic potuit ad nos venire, sic voluit subvenire. Adest multitudo cœlestis exercitus, et vocibus gloriosis : Gloria in excelsis Deo, auditur; pastores veniunt et inveniunt puerum et puellam; procedit stella; Reges accedunt, adorant filium, matrem venerantur, offerunt munera, deferunt majestati. » Certe, certe, fluminis divinæ lætitiæ impetus Mariam, Dei civitatem mire lætificat : aquæ profecto, quæ fluunt impetu de cœlesti Libano, Mariam puteum aquarum viventium implent et replent, qui potest capere, capiat.

De gaudio autem et lætitia SS. Josephi, qui post Virginem, hujus mysterii altissimi fuit particeps, quid nobis sentiendum? quid nobis dicendum? S. Chrysostomus, hom. 8. super Matth. « Videns Joseph, ait, puerum signo natum, maxima exultatione repletus est. » Et Petrus Damianus, ubi proxime, postquam de matre et puero egerat, subinfert : « Adest et Joseph, sed ab utroque remotus, et in excessu mentis miratur; et mirari satis non potest, qualiter sit ad tantæ dignationis admissus arcanum; » et optime

Isolanus, II. p. c. x. fol. 39. pag. 2. et fol. 40. pag. 1. « Quia Joseph summo desiderio præstolabatur Salvatoris ortum dignissimum, credendum est D. Josephum et statim patientem præ nimio gaudio gratias eas Salvatori nostro egisse, quas catholico et ingenioso lectori excogitandas relinquimus; talia nempe sacramenta silentio potius sunt velanda, quam infirmis, raucisque mortalium ineptiis aperienda. »

Joseph post Virginem, Christum natum primus adoravit, Angelis altius et suavius canentibus.

Natumque Christum Dominum B. Deipara et B. Joseph statim genibus ante eum flexis, humillime et ardentissime adoraverunt, Angelis tunc altius cantica præcinentibus. Isolanus ubi supra : « Joseph, ait, post beatam Virginem primum adorasse Christum ratio multiplex suadet, tum quia Joseph summo desiderio præstolabatur Salvatoris ortum dignissimum : tum quia a Virginula gravida parum elongabatur, tum etiam quia B. Virgo, quæ eventus conscia erat, verisimiliter Josephum admonuisse creditur, ut Deum verum qui totius orbis quam magnificentissimo apparatu, gestientique humani generis exultatione ac jucunditate excipiendus erat, cum nudus et in paupere nimis tugurio reciperetur, saltem matris et patris putativi adoratione susciperetur ferventi. Infantulum itaque Deum ubi egressum utero vidit, et adorantem inspexit Virginem pronum in terram cecidisse Josephum non ambigimus : ad id enim cogebatur desiderio interiori vehementissimo, Virginis sanctissimo exemplo exteriori, divini infantis aspectu præclariori, atque noctis illuminatione superiori. » Et paulo inferius : « Hæc adoratio omni proculdubio sacrificio acceptior Deo fuit, omni mundano apparatu, quovis lætitiæ genere, cunctis muneribus excellentior, gravior, ac venerabilior. An non Angelus tunc divina altius cantica præcinuisse credendum est ? D. Josepho auribus audiente corporalibus, gestiente, vel potius extasim nimio præ gaudio patiente ? Porro, si pastoribus simplicibus multitudo Angelorum altius et dulcius intonuit : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis : cur non B. Virgine ac Josepho adorantibus, eadem aut majora potuisse evenire credendum est ? » Et P. Salmeron, tom. III. tract. XXXIII. §. natus ergo ; sic breviter dixit : « Joseph infantem cernens prövolvit se in terram genibus, flexis eum una cum matre simul adoravit. » Fortius ergo, altius et validius Maria et Josepho adorantibus, intonuerunt Angeli : *Et facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* »

Cuncti omnes Angeli Christum natum adoraturi e cœlo descenderunt.

Per multitudinem vero hanc militiæ cœlestis, omnes cœlestes spiritus intellige cum P. Salmeron, tom. III. tract. XXXV. in principio : « Etsi autem, inquit, numerus quantus fuerit minime explicetur, libenter tamen sententiæ istorum subscribo, qui existimant omnes Angelos de cœlo descendisse, et præceptum illud a Deo illis datum de Christo adorando implevisse : *Adorent eum omnes Angeli ejus : audivit, et lætata est Sion,* Psal. XCVI. quæ verba exitum suum tunc habuerunt, Paulo interprete, qui ad Hebr. I. v. 6. inquit : *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : et adorent eum omnes Angeli Dei* : primum enim introduxit per Incarnationem, deinde vero per Nativitatem : et hoc significat illud *iterum* quod amplius ait, et quoniam innumerabiles quodammodo sunt ; certo tamen inter se ordine, et prompti, ac fortes ad exequendum in omnibus ipsius beneplacitum, merito dixit : *Multitudo cœlestis exercitus* : dicuntur enim in Scripturis milites, et exercitus Dei, ut apud Job. XXV. et in Apocalypsi XIX. Nimirum quia Christus dimicaturus mundum ingreditur, et pro domino præliantur in malos, et pro nobis contra nostros omnes hostes et adversarios. »

Super quo S. Hilarius, hom. 2. hujus diei sic Virginem ei congratulando alloquitur : « Agnosce, o vere beata Maria, gloriam tuam : illam inquam gloriam, quam tibi vel Angelus nuntiavit, vel Joannes per os Elizabeth matris adhuc de secreto uteri prophetavit. *Benedicta* itaque *tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui ; et unde hoc mihi ut veniat mater Domini ad me?* Luc. II. Exulta mater salutis humanæ ; ecce Domini mei universo mundo per tanta retro sæcula promissum prima suscipere mereris adventum ; habitaculum immensæ majestatis efficeris ; spem terrarum, decus sæculorum, commune omnium gaudium peculiari munere novem mensibus sola possides. Initiator omnium rerum abs te initiatur ; et profundendum pro mundi vita sanguinem de corpore tuo accepit, ac de te sumpsit, quod etiam per te solvat. » Quod quidem in proportione potest sanctissimo applicari Josepho, Virginis

ejusdem sponso, ejusdem etiam Christi putativo patri, vero nutritio, et coadjutori fidelissimo.

Joseph præsepe ligneum, in quo positus fuit Christus, præparavit.

Qua admirabili et divina adoratione facta B. Joseph, fabrilem suam artem exercens præsepe ligneum, ubi Christus poneretur, confecit, aut præparavit, ut testantur Magister historiarum, et Nicolaus de Lyra, quod quidem Romæ in sacello Sixti V. Pont. Max. apud Ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris, in cujus devotissimo altari ipse multoties sacrum celebravi, et præcipue in sacratissima Nativitatis Domini nocte, accurate servatur.

Maria capitis sui velo et Joseph veste sua Christum natum cooperuerunt.

Sicque Christum Dominum in eo positum præsepio B. Virgo capitis sui velo, et B. Josephus vestis suæ panno cooperuerunt, involutumque foverunt. Perfectissime sane B. Virgo sic puerum involvens illud Isaiæ LVIII. v. 7. *Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris*, adimplesti; perfectissime etiam B. Joseph sic veste tua Christum fovens, illud ad Ephesios v.v. 29. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, et fovet eam*, servasti, ut ex traditione D. Hieronymi est celebre testimonium in Ecclesia S. Anastasiæ (cujus tituli olim sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ipse fuit) ubi in altari privilegiato, quod est ad cornu dextrum Evangelii altaris majoris dictæ Ecclesiæ, prædictum velum, ac simul vestem, utpote pretiosissimas reliquias illius Ecclesiæ collegiatæ canonici summa veneratione custodiunt, ac servant; ex quibus velo pretiosissimo, sanctissimaque veste, ordinatione et mandato Clementis Papæ VIII. per manus Illustrissimi et Reverendissimi Domini D. Simeonis a Terra nova, tunc ejusdem Ecclesiæ Cardinalis, partes non parvas illius Ecclesiæ capitulares mihi tradidere, anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi 1594. indictione 7. die vero 10. mensis Februarii, anno sui pontificatus tertio, ut ex brevi Apostolico sub annulo Piscatoris, et ex publico Romanæ curiæ instrumento, quod apud me est, aperte constat, cujus formalia verba sunt: « Illustrissimus ac Reverendissimus Cardinalis a Terra nova jussit aperiri portas ferreas altaris privilegiati, et reliquarii, et extrahi quoddam reliquiarium deauratum, in quo continebatur velum B. Virginis Mariæ, in quo involutus fuit Dominus noster Jesus Christus in die Nativitatis suæ; et extractum fuit aliud simile reliquiarium cum titulo, pannum vestis B. Josephi sponsi Virginis, in quo involutus fuit Dominus noster Jesus Christus in nativitate sua. Ex quibus prædictus Illustrissimus ac Reverendissimus Cardinalis propriis manibus cum forcipibus quasdam scidit partes, et tradidit D. D. domino Doctori Petro Morales, etc. » quas quidem sanctissimarum reliquiarum partes decenter divisas, auctoritate Apostolica mihi peculiariter concessas, in nostræ Societatis Jesu Novæ Hispaniæ ecclesiis ego ipse, qua potui solemnitate, collocavi.

Spiritualiter fideles præparari debent ad Christi nativitatem debite celebrandam, ut in eis Christus spiritualiter nascatur.

Et quamvis in hujusmodi festivitatibus licitum sit pretiosioribus indui vestibus, delicatioribus cibis uti, corporaliterque gaudere et exultare, ut supra probavimus, totum tamen hoc tanquam a fonte et radice, ab interna veri Spiritus exultatione promanare debet, in sanctitate et justitia coram ipso semper fideliter ambulantes. Quia secundum D. Ambrosium, hom. III. hujus diei, « Rex noster Christus, non tam nitorem vestium, quam animarum requirit affectum: neque inspicit ornamenta corporum, sed considerat corda meritorum, nec fragilis cinguli præcingentis lumbos operositatem miratur, sed fortis castimoniæ restringentis libidinem ad pudicitiam plus miratur. Ambiamus ergo inveniri ante ipsum probati fide, compti misericordia, moribus accurati, et qui fidelius Christum diligit, nitidius se mandatorum ejus observatione componat: ut vere nos in se credere videat: cum ita in ejus solemnitate fulgemus, atque ideo mundemus conscientiam, purificemus spiritum, ac nitidi et sine macula Domini suscipiamus adventum; quisquis enim in illa die sordidus fuerit ac pollutus, natalem Christi ortumque non curat; intersit licet Dominicæ festivitati corpore, mente tamen longius a Salvatore separatur. Igitur, fratres, suscepturi Natalem Domini, ab omni nos delictorum fæce purgemus, repleamus thesauros ejus diversorum munerum donis, ut in die sancta sit unde peregrini accipiant, reficiantur viduæ, pauperes vestiantur. » Hac enim debitæ solemnitatis præparatione dubio procul Christus Dominus in mentibus nostris spiritualiter nascetur, juxta D. Bonaventuram in opusculo de quinque festivitatibus pueri Jesu, in hæc verba dicentem: « Nascitur enim spiritualiter Dei filius in mente, cum sanctum propositum perducitur ad effectum, cum jam incipit viriliter agere, quod jamdudum proponebat perficere; sed formidabat inchoare, quia timebat deficere. » « Non enim, inquit

D. Bernardus, serm. 5. hujus diei, consolatur Christi infantia parvulos, non consolantur Christi lacrymæ lacrymantes, non consolantur panni ejus ambulantes in stolis, non consolantur stabulum et præsepe, amantes primas cathedras in synagogis. » Adeamus ergo Bethlehem, et inveniemus Christum Dominum positum in præsepio, prius tamen Mariam et Josephum cum pastoribus inveniemus : sunt enim duæ cœlestes portæ ad ingrediendum, et Christum certissime inveniendum, ut in lib. III. tract. XI. diximus. Et hæc de hoc tractatu sunto satis. Gradum faciamus jam ad Circumcisionis et impositionis nominis Jesu mysterium, de quo in tertio sequenti tractatu.

ET POSTQUAM CONSUMMATI SUNT DIES OCTO, UT CIRCUMCIDERETUR PUER, VOCATUM EST NOMEN EJUS JESUS, QUOD VOCATUM EST AB ANGELO, PRIUSQUAM IN UTERO CONCIPERETUR. Luc. II. v. 21.

TRACTATUS III.

De circumcisione Domini, et de impositione nominis Jesu.

Circumcisionis lex cœpit ab Abraham, et rationes imponendi circumcisionem.

Pro dicendorum in hoc tractatu fundamento, et faciliori intelligentia, supponendum est primo, legem circumcisionis ante legem Moysis, primum Abrahæ datam fuisse. *Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te : Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris.* Et paulo inferius : *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo : quia pactum meum irritum fecit*, Gen. XVII. v. 10. usque 15. Et habetur Levit. XII. v. 3. *Die octavo circumcidetur infantulus.* In Abraham ergo initium habuit circumcisio, quia ei data est primo, ante quem multi erant fideles; sed ab eo tempore idololatria, infidelitas et vitium infandum abundare cœperunt : ideo merito ea ætate data est circumcisio, et promissio Messiæ venturi, qui a peccatis redimeret, et naturam sanctificaret, in fidei et castitatis symbolum contra omnem infidelitatem et immunditiam. Circumcidebatur autem vir et non mulier, quia vir peccati originalis principalis auctor extiterat; nam ex viro potissimum nostra salus, exitiumve, juxta Dei pactum cum quo præsertim erat initum, pendebat; et ideo Genes. XVII. dictum fuit : *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, et Levit. XII. *Circumcidetur infantulus.*

Multiplici vero ratione data et imposita fuit circumcisio. Primo, ut populus Dei, quem Deus ipse beneficiis ac privilegiis amplioribus exornare et cohonestare volebat, a reliquis gentibus distingueretur, signo indelebili circumcisionis præputii, quod impossibile esset auferri. Quemadmodum homines solent signo, sive charactere aliquo notare faciem servi, ne se per fugam subtrahat, vel in fugam datus facile inveniatur. Secundo, ut ex fide, vel sua, vel majorum suorum ad sacramentum circumcisionis accedens, Deum placaret, accepta gratia et remissione peccati originalis, et sic quod erat octavo die non circumcidi, hoc est in Christo non baptizari : et quod est perire de populo suo, idem est ac non intrare in regnum cœlorum. Tertio, quia circumcisio testificabatur medicum venturum in gladio illo lapideo, ferreo, resecante, videlicet Christum spirituali modo nos circumcidentem; de quo Apost. I. Corinth. XX. *Petra autem erat Christus.*

Christus circumcisus fuit, et eum circumcidentes juste et sancte egerunt.

Secundo, supponendum est de fide esse Christum Dominum fuisse circumcisum : ita enim universalis Ecclesia intelligit, et semper intellexit verbum illud Lucæ II. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* « Nam, teste P. Suarez, tom. II. in 3. parte, q. XXVII. artic. I. ad 2. disput. 15. sect. 1. ad. principium, §. dicendum vero. Licet Evangelista facta mentione diei ad circumcisionem instituti, transitum facere ad nominis impositionem, neque affirmare expresse videatur Christum fuisse circumcisum; tamen verus sensus illius loci est : *Postquam consummati sunt dies octo*, id est, postquam advenit dies octavus circumcisioni puerorum indictus, et postquam in eo circumcisus est puer, illi Jesu nomen impositum est. Ita

Amonius, Alexander, in harmonia quatuor Evangeliorum, et Ambrosius hic, et alii expositores. Nam quia consuetum erat, et lege præscriptum ut infantes circumciderentur, ideo Evangelista potius id tanquam indubitatum, manifestumque supponere, quam diserte narrare visus est. Quia vero impositio nominis propria et peculiaris fuit, ideo de illa distinctius scripsit. » Eamdemque interpretationem amplectitur P. Maldonado, super cap. II. Lucæ, v. 21. Sed certe mihi magis arridet Cardinalius Toleti in eodem loco, annot. 29. interpretatio. « Attende, inquit, non esse dictum : Postquam consummati sunt dies octo, circumcisus est puer, et vocatum est nomen ejus Jesus ; sed : *Postquam consummati sunt dies octo, ut puer circumcideretur*, vocatum est nomen ejus ; nec debet subintelligi verbum quod quidam interpretes apponunt, nempe, postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur, circumcisus est, hoc, inquam, non est subintelligendum: oportebat enim tunc dividere sequentia sic, et vocatum est nomen ejus. Cum autem non sit divisio, sententia debet terminari in illo, vocatum est, neque est quicquam subintelligendum : hac enim dicendi forma Evangelista multa significat. Primo quidem legem circumcisionis extitisse, ut octavo die circumcisio celebraretur, quasi diceret : Postquam consummati sunt dies octo, quod tempus est ad circumcisionem secundum legem deputatum. Secundo, significat eo tempore, seu die quo etiam circumcisio fiebat, nomen imponi solitum, quod non ita significabatur, si dictum esset : circumcisus est, et vocatum nomen ejus Jesus. Tertio, significat prius circumcidi, et postea nomen imponi. Quarto, quod maxime advertendum est, significat non æqua ratione et causa circumcisionem et nomen acceptum a Christo : circumcisus est enim, quia voluit se similem cæteris agnosci, et legem illam suo facto a Deo fuisse comprobare ; non tamen veniebat, neque carnem assumebat propter circumcisionem, neque quasi ea permansura esset; at nomen indicat officium propter quod venit in mundum, nempe salvare homines : et quod in Evangelio permanet, lege et circumcisione ablatis, idcirco Evangelista noluit sententiam in circumcisione complere, sed quasi per transennam et obiter eam insinuare, et in nomine ipso Salvatoris consistere. »

Tertio supponendum, imo ex his quæ modo diximus, potius aperte colligendum certum etiam de fide esse, licite, ac sancte egisse eos qui Christum circumciderunt. Primum enim B. Virgo, quæ peccare non poterat, in eum actum consentit. Justus etiam Joseph, tanquam nutritius et quasi pædagosus Christi, suam in eo facto voluntatem interposuit; tum præterea quia totum id factum est voluntate ejusdem Christi et æterni Patris, qui ut ad Galat. IV. dicitur, *Misit Filium suum factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret*. Longe enim diversa ratio est eorum, qui Christum Dominum contumeliis affecerunt, et morte damnarunt : quia quamvis voluntarie etiam illam passus est Christus actio tamen illa, a qua proveniebat illa passio injuriosa, et intrinsece mala erat; hæc autem circumcisionis actio, minime : et ideo non solum ut passio, sed etiam ut actio fuit Christo voluntaria, et non solum permissa, sed etiam ordinata ab æterno Patre, « quod, inquit P. Suarez loco proxime citato §. dices. dupliciter explicari potest : primo, quia verisimile est non esse factam circumcisionem a Josepho et B. Virgine absque speciali Dei revelatione, et fortasse quando Angelus docuit Josephum nomen, quod puero erat impositurus, simul significavit ut illud imponeret die circumcisionis, more consueto. » Unde D. Epiphanius, lib. I. hæresi XXX. sub finem : « Alios pueros, inquit, non esse auctores circumcisionis, sed parentes ipsorum: Christum autem, sicut incarnationem et conceptionem, ac nominis impositionem, ita et circumcisionem sibi ipsi disposuisse. Secundo, seclusa etiam revelatione, illa circumcisio tunc erat actio sacra et religiosa, et auctoritate divina ad divinum cultum instituta, et ut illius usus esset licitus, non oportebat ut ex obligatione legis fieret : poterat enim voluntarie assumi ab his, qui lege Moysi non obligabantur ; quanquam post illam assumptam, servandæ legi obnoxii manerent, teste Paulo ad Galat. v. Ergo etsi Christus non esset subjectus legi circumcisionis, juste tamen et sancte potuit a parentibus circumcidi. »

Circumcisionis minister proprius nullus erat designatus, parentes autem communiter fiebat.

Quarto supponendum est in lege nullum extare locum, qui circumcidendi munus sacerdotibus vel levitis adscriberet ; ideoque verisimilius est circumcisionis nullum peculiarem fuisse ministrum, ut sentit Abulensis in commentariis super cap. v. Josue, imofeminis circumcidere infantes concessum fuisse, constat ex cap. IV. Exodi, ubi Sephora, Moysis uxor, filium circumcidit ; et I. Mach.

I. mulieres filios suos circumcidebant, et II. Mach. II. v. 10. et alibi sæpius, ut videre est apud P. Barradam, tom. I. lib. IX. c. 1. §. majus est dubium; et P. Christophorum de Castro, de Historia Deiparæ, c. VII. n. 25. p. 253. qui prudenter existimat quod quamvis minister circumcisionis quivis esse poterat, parentes tamen, aut dominos ex consuetudine fuisse, alios vero ex necessitate.

Ad circumcisionem nullus erat locus assignatus, nec instrumentum designatum.

Et quemadmodum nullus fuit peculiaris minister circumcisioni deputatus, ut modo vidimus; ita etiam nullus fuit ad circumcisionem faciendam locus designatus: quia si sacerdotibus, aut levitis fuisset hoc commissum ministerium, infantes circumcidendi in templum ducerentur, quemadmodum nunc ducuntur, ut baptizentur: sed ante diem quadragesimum in templum non ducebantur, secundum purificationis legem: ergo nullus minister, nec locus aliquis fuit assignatus; ut bene advertit P. Barradas, ubi supra proxime, et P. Salmeron. tom. III. tract. XXXVI. §. quo ad ministrum, et §. de loco vero.

Et similiter nullum fuit peculiare instrumentum, ad circumcisionem conficiendam designatum, unde vel cultro lapideo, vel ferreo, vel novacula, vel aliqua alia re acutiem habente fieri poterat, ut docet S. Thomas, 3. p. q. LXX. art. III. ad. 2. et probant Hugo de S. Victore, lib. I. de Sacramentis, p. XII. c. 2. et S. Bonaventura de quinque festivit. pueri Jesu. C. de Circumcisione: et optime P. Salmeron, tom. III. tractat. XXXVI. post principium, §. quod vero pertinet ad instrumenta, et P. Barradas, tom. I. lib. IX. c. 1. §. parit præterea dubium, usque ad finem capitis.

Joseph Christum circumcidit; sed etiam probabile est Virginem Christum circumcidisse; et in oco nativitatis.

His suppositis sit prima conclusio. Hujus Christi Domini circumcisionis minister sanctissimus Joseph fuit. Ita S. Bernardus, serm. 1. de circumcisione, et Ephrem Syrus, in oratione de transfiguratione Domini, et P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXXVII. art. I. et II. disput. 15. sect. 1. ante medium. §. deinde. Et hüic sententiæ magis inhæret P. Barradas, tom. I. lib. IX. c. 1. post medium. §. a quo ergo. et P. Castro, de Historia Deiparæ. ca. VII. n. XXV. pag. 252. et n. XXVI. pag. 253. et pag. 254. in principio, ubi eam rationem reddit: quia qui circumcidebat, nomen imponebat; at Joseph Christo Domino Jesum nomen imposuit in ipsa circumcisione; *Vocabis nomen ejus Jesum; et vocavit nomen ejus Jesum*, Matth. I. v. 21. et 25. Ubi diximus, et dicemus etiam in hoc tractatu; tum etiam quia Joseph ab ignorantibus Incarnationis mysterium pater naturalis Christi putabatur: a scientibus autem pater nominabatur, et in omnibus se gerebat ut pater; ad patrem autem pertinebat primo loco filio nomen imponere, ut in lib. III. tractat. VIII. probavimus. Ergo Joseph, qui nomen imposuit, circumcidit; et ita esse tenendum censeo. Quamvis eorum opinio asserentium B. Virginem circumcisionem hanc fuisse operatam, non displiceat, utpote pietate plena. Ita P. Salmeron, ex quorumdam piorum placito, tom. III. tract. XXXVI. post principium. §. quoad ministrum attinet, in hæc verba: « Quoad ministrum attinet, certum aut distinctum habuit neminem; sed fieri poterat a quocumque. Unde Abraham una cum filiis seipsum circumcidit: Sephora vero uxor Moysis suum etiam filium circumcidit, atque ob hanc causam putant pii viri nonnulli Jesum a matre sua Virgine circumcisum: quia scilicet nullus alius dignus erat Christi sacratissimam carnem attingere, ut quidem in Sephora circumcidente filium suum fuerat præsignatum. » « Non enim, ait P. Barradas ubi proxime, ad rem hanc quantumcumque dolore plenam sanctissimæ nostræ Virgini animus defuit, qui non defuit feminis quæ filios suos circumciderunt, I. Machab. I. qui non defuit Sephoræ, quæ, Exod. IV. arrepta acutissima petra filium circumcidisse dicitur, et forsitan matres quarum molliores manus sunt, et corda molliora, hoc munus sæpe præstabant. Circumcisum autem a Virgine Christum sentire videtur auctor libri de vera circumcisione, qui inter opera divi Hieronymi extat: sic enim scribit: Christus octava die circumciditur a matre, utique quasi homo, qui promissus fuerat ipsi Abrahæ. Auctor autem tractatus de lamentatione Virginis Bernardo ascripti: Virgo, ait, Christum genuit, lactavit, octavo die circumcidit. Hæc tamen verba significare possunt a matre per alium peractam circumcisionem. »

Secunda conclusio. Christus Dominus non in templo, nec in Nazareth in domo Josephi, sed in Bethlehem in spelunca, in qua natus est, fuit a Josepho circumcisus. Ita defendunt S. Epiphanius, hæresi XIX. §. 2. et P. Salmeron. tom. III. tract. XXXVI. post princip. §. de loco vero, et P. Castro, de Historia Deiparæ, c. VII. n. XXIV. pag. 252. et P. Barradas ubi supra. §. petes; et ratio sufficiens est: quia infans natus usque ad quadragesimum diem non adducebatur in tem-

plum. Nec enim omnes infantes poterant ex omnibus locis, in quibus Judæi erant, intra octo dies ad templum pervenire. Et sic certius est Virginem adhuc in spelunca ubi peperit, permansisse, atque in ea infantem circumcisum, ubi, lapsis jam octo diebus circumcisioni assignatis, inventus fuit a Magis. Et ita est tenendum, quamvis S. Hilarius super Psalm. CXVIII. putet Christum in templo fuisse circumcisum; licet Nicephorus, lib. I. Historiæ, c. XII. censeat in domo Joseph fuisse circumcisum.

Christus in rigore non tenebatur lege circumcisionis, sed tantum per accidens.

Tertia conclusio. Christus Dominus circumcisionem in seipso recepit, non quod ad illam legem teneretur : nam in lege circumcisionis, Levitici XII. sic præmittitur : *Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, etc. et die octavo circumcidetur infantulus.* Cum ergo B. Virgo absque ullo semine suscepto pepererit, clare constat Christum ab illa legis obligatione fuisse exceptum; maxime quod cum circumcisio ordinata fuerit in remedium originalis peccati, ut vidimus, quod Christus Dominus non contraxit, nec contrahere potuit, ut docuit S. Thomas, 3. p. quæ. XV. art. I. et II. ergo cessante causa circumcisionis in Christo, debuit et ipsa circumcisio cessare, absolute et simpliciter loquendo; ab extrinseco tamen et per accidens, ad vitandum scandalum, fuit quodammodo necessaria : quia cum partus fuisset manifestus, miraculum autem conceptionis esset occultum, non potuisset non generari scandalum, si circumcisio fuisset prætermissa, et etiam ad significandam promptissimam voluntatem parendi legi, eique reverentiam exhibendi, eam nimirum exequendo, etiam cum non obligaret. De quo post omnes alios Patres et doctores, videndus est P. Suarez, to. II. in 3. p. q. XXXVII. art. I. et II. disp. 15. sect. 1. §. ex quibus fere,

Pluribus de causis conveniens fuit Christum circumcidi.

Quarta conclusio. Plurimis de causis decuit maxime Christum circumcidi, quas quidem gravi et brevi stylo collegit et docuit D. Thomas, 3. p. q. XXXVII. art. I. in hæc verba : « Pluribus de causis Christus debuit circumcidi. Primo quidem, ut ostendat veritatem carnis humanæ, contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; et contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse divinitati consubstantiale; et contra Valentinum, qui dixit Christum de cœlo corpus attulisse. Secundo, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertio, ut comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quarto, ut Judæis excusationem tolleret, ne eum reciperent, si esset incircumcisus. Quinto, ut obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo : unde et octava die circumcisus est, sicut in lege erat præceptum. Sexto, ut quia in similitudinem carnis peccati advenerat, remedium quo caro peccati consueverat mundari, non respueret. Septimo, ut legis onus in se sustinens, alios a legis onere liberaret, secundum illud ad Galat. IV. *Misit Deus Filium suum factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* »

Et in responsione ad primum octavam reddit causam : « Ut scilicet in nobis spiritualem circumcisionem efficeret, ut suscipiendo figuram, impleret veritatem. » De qua spirituali circumcisione dicitur ad Rom. II. v. 29. *Circumcisio cordis in Spiritu, non littera*, et ad Colossenses, II. v. 11. *In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi : consepulti ei in baptismo*, etc. Et S. Bernardus, ser. de Circumcisione : « Nos circumcidi necesse est, non littera, sed spiritu; circumcidi non in uno membro, sed toto corpore simul. » Et S. Ambrosius, epist. 72. « Signum igitur circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis est; illa membrum amputat, ista peccatum, ut adverterent qui partem sui corporis amputabant multo magis amputanda peccata. *Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, et projice abs te :* quid enim tam superfluum quam avaritiæ vitia, libidinisque peccata? Castimonia teneatur, frugalitas diligatur. » Et S. Augustinus, tract. XXX. in Joan. « Quid est circumcisio, nisi carnis spoliatio? significat ergo circumcisio expoliationem a corde cupiditatum carnalium. *Circumcidimini Domino, et auferte præputia cordium vestrorum, viri Juda*; Jerem. IV. »

Servavit ergo Christus Dominus circumcisionis legem, non ut legi obnoxius, sed ut legis dominus. Quæ quidem, teste D. Epiphanio, usque ad Christi adventum bona fuit, bona lex Moysis, et a Deo, usque ad Messiæ adventum data : satis enim id confirmat Dominus circumcisionem legemque servans. Habuit hoc lex illa sublime, de quo possit maxime gloriari, quod a Christo, rerum omnium conditore fuerit servata; sed postquam illam servavit, sustulit, et nos ab illius jugo

liberavit. Quemadmodum enim, cum ad umbram pervenit sol, umbra evanescit : ita postquam ad legem observandam, quæ umbra erat futororum, ad Hebræos x. justitiæ sol Christus pervenit, lex evanuit. Tum etiam, quia cum aliquis in agro suo thesaurum habet absconditum, loco signum apponit; postquam vero thesaurum jam extraxit, signum statim aufert; sic etiam habuit Deus in Judæorum populo olim thesaurum absconditum opulentissimum, Messiæ videlicet sacratissimam carnem, signum apposuit Circumcisionem : ablatus est thesaurus, ablatum quoque est signum circumcisionis. Nihil opus est signo, thesaurum jam non habet locus. Si durissimam rupem cultro ferias acutissimo, obtunditur et frangitur. *Petra autem*, ait Paulus, I. Corinth. x. *erat Christus*. Solidissimam petram culter circumcisionis percussit, obtusus, fructusque aciem amisit, ut eleganter tradit P. Barradas, tom. I. lib. IX. c. 1. de Circumcisione Domini, in principio. §. secunda causa, et §. si durissimam rupem.

Christus circumcisionem assumens, maximam ostendit humilitatem, volens peccator ac servus apparere.

Docuit etiam nos Christus Dominus sua circumcisione profundissimam ejus humilitatem : « quia, ut optime P. Salmeron, tom. III tract. XXXVI. post medium, §. cum ergo est Christus circumcisus; non solum ut homo Christus nobis apparere voluit, sed etiam ut homo servus qui sui juris non est, cui a domino suo nota servitutis inuritur; atque ita hoc signaculo circumcisionis perpetuum se nostrum declarat servum atque mancipium; neque tantum videri voluit ut homo servus, sed etiam ut homo peccator, ac reus, assumens cauterium circumcisionis : quæ ita est hominis peccatoris insigne, atque præcisio aurium latronis, vel furis, et gestatio habitus nigri, vel rubei cruce insigniti crocea, ætate nostra, hæretici est argumentum et nota. Fuit igitur Christus non tantum peccator, verum omnium peccatorum maximus, ea ratione qua peccata omnium in se expianda transtulit : *vere languores ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit, et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum*, Isaiæ LIII. v. 4. Ut de Christo Domino, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, quasi peccator occisus est, ut mundus justificaretur apud Deum in Christo, explicant D. Augustinus, lib. I. de consensu Evangelistarum, c. XXXI. et D. Ambrosius, in cap. VI. epistolæ secundæ ad Cor. et Apostolus II. Cor. IV. in fine, eodem intentu ait : *Qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Ubi D. Thomas : « Fecit peccatum, id est, hostiam vel sacrificium pro peccato : quia consuetudo veteris legis est, ut sacrificium pro peccato peccatum nominetur; Oseæ IV. *Peccata populi mei comedent*, id est oblata pro peccato. » Quod maxima et profunda consideratione advertere et meditari semper debent ecclesiasticæ personæ, religiosi præcipue, qui peccata populi comedentes, idest, oblata pro peccatis, peculiari ratione obnoxii sunt pro populo orare, et debito modo satisfacere, ne illis infeliciter contingat. Quod advertit P. Ribera, super illud Oseæ IV. « *Peccata populi mei comedent*, quia ferunt et dissimulant peccata populi : quia ex oblationibus comedunt, et ditiores fiunt, cum plorare magis debuissent cum S. Job. II. v. 24. *Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquæ, sic rugitus meus.* »

Habuit se Christus hodierna luce, sicut patriarcha S. Noë, qui egressus ex arca, pacato jam diluvio sacrificia obtulit, Gen. VIII. *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait ad eum : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*; tum fœderis signum Iridem dedit in nubibus : *Arcum*, inquit, *meum ponam in nubibus, et erit signum fœderis inter me et terram.* Virginem enim sanctissimam per arcam Noë fuisse figuratam omnes fatentur, præcipue D. Bernardus, ser. de beata Maria, in medio, his verbis : « Arca etiam Noë significat arcam gratiæ, excellentiam scilicet Mariæ; sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium, sic per istam peccati naufragium. Illam Noë, ut diluvium evaderet, fabricavit; istam Christus, qui est pax nostra, et requies, ut humanum genus redimeret, sibi præparavit : per illam octo animæ tantum salvantur, per istam omnes adæternam vitam, quæ per octonarium numerum significata est, vocantur : per illam paucorum facta est liberatio; per istam humani generis salvatio : illa centum annorum fabricata est spatio; in ista omnium virtutum fuit perfectio : illa facta est de lignis lævigatis, ista de virtutibus ædificata est consummatis : illa superferebatur aquis diluvii; ista non sensit naufragia ullius vitii. » Similem in modum egressus ex nobilissima arca, hoc est, Virginis utero, Christus, verus Noë, id est, vera requies, requiem enim nomen Noë significat, admirandum Patri sacrificium, sanguinem videlicet suum, obtulit. Quantæ

vero suavitatis fuerit hujus odor sacrificii, quis poterit fando explicare? Si sacrificium Noë odorem habuit suavitatis, sacrificium Christi Dei sanguis, qualinam odore cœlos, terrasque perfudit? Quemadmodum fracto alabastro Maria Magdalena, Marci XIV. unguentum effudit, et impleta est domus ex odore unguenti, ut Joan. XII. ait, ita fracto alabastro candidissimo, id est, corpore, quod omnem alabastri candorem longe superabat, circumciso, suavissimi odoris unguentum Christus emisit, et impleta est Ecclesia suavissimi illius balsami odore jucundissimo; odoratus est Dominus odorem suavitatis, et ait : *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines*, sed benedicam propter filium.

anguis circumcisionis signum fuit effusionis in cruce copiosæ.

Antequam copiosus imber defluat, tenuis e cœlo dilabitur pluvia; ita etiam tenuis sanguinis pluvia e sublimi illo cœlo, id est, corpore Christi, in circumcisione delapta est. Copiosus imber reservatus est Passioni, satis fuisset pluvia tenuis, sed, ut canit Vates, Ps. CXXIX. *Copiosa apud eum redemptio*; et III. Reg. XVIII. *Ecce nubecula parva ascendebat e mari*; *postea facta est pluvia grandis*. Eumdem in modum parva sanguinis nubecula e pelago divinæ misericordiæ ascendit in circumcisione : facta vero est pluvia sanguinis magna in Passione; primitias prius sanguinis Christus obtulit, totum postea in cruce effudit : vestem humanitatis sanguineis prius sparsit guttis, ut postea legitur Gen. XLIX. *Lavit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*, id est, corpus sanguine immersit, ut pulchre P. Barradas, tom. I. lib. IX. cap. 4. §. ante aquam, adnotavit.

In quo quidem Christus Dominus ad similitudinem cupidi mercatoris se habuit : ille enim, ne venditor a venditione recedere possit, arrhabonem elargitur, nec se tutum existimat arrhabonem in ratione arrhabonis tantum tribuendo; sed in partem pretii solvendi, cum quo neque venditor, neque emptor jam possunt aliquomodo retrocedere, ut in lege 2. C. quando liceat ab emptione discedere, et in l. quod sæpe. ff. de contrahenda emptione, et in l. 7. tit. 5. part. 5. et utrobique communiter doctores et Antonius Gomez, tom. II. c. II. n. 18. de emptione et venditione : sic etiam iste animarum nostrarum cupidissimus Redemptor, quamvis ex suppositione legis positæ, ex voluntaria sui ipsius oblatione, ex æterni Patris præcepto, *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*, Isaiæ LIII. v. 10. et etiam ex voto, ut probabiliter defendit P. Suarez, to. III. in 3. p. q. XL. art. III. disp. 28. sect. 2. post principium. §. ex quo aliqui probabiliter opinantur, ab emptione, et animarum nostrarum redemptione per mortem propriam recedere non posset. Adhuc tamen antequam totum effunderet sanguinem, quod animarum pretium est, totius pretii reddendi, sanguinem in circumcisione, veluti arrham; veluti signum ac pignus redemptionis nostræ Patri obtulit, protestans integrum pretium in mensa crucis suo tempore enumerandum, ubi sæculum pecuniarum totum effudit: qui enim unica sanguinis guttula, quæ infiniti valoris erat ab infinito valore divinæ personæ, mundum valebat redimere, ne unam quidem sibi reservandam putavit. Et sic hæc sanguinis arrha, in circumcisione exhibita, non tantum arrhæ rationem præcise, sed etiam partis, imo et totius pretii natura valoris rei et oblationis considerata sortitur.

Quare circumcisio in præputio fuerit mandata, cum peccatum Adæ fuerit superbiæ.

Scitu dignum in hac materia existimavi, quod, cum primi parentis peccatum, ex quo in omnes fuit originaliter derivatum, fuerit superbia, ut docet sanctus Thomas, 2. 2. q. CLXIII. art. I. et II. quare remedium et medicina apposita fuerit in illa præputii parte, de qua supra egimus, cum pœna debeat commensurari delicto, et puniri in eo quis debeat, in quo deliquit? Respondetur tamen signum circumcisionis in ea parte appositum fuisse, per quam generatio causatur, et peccatum originale communicatur, ut in lib. III. tract. I. resolvimus; tum etiam principaliter, quia peccatum originale in ea parte præcipue effectum suum illico ostendit. *Creaverat enim Deus hominem rectum*, Ecclesiast. VII. « rectitudo autem hæc, teste D. Thoma, 1. p. q. XCV. art. I. II. et III. in corpore, erat secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animæ corpus; prima autem subjectio erat causa secundæ et tertiæ : quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur.» Unde D. Augustinus, lib. XIII. de Civitate Dei, c. XIII. in principio, dicit: « Quod postquam præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt : senserunt enim motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.» Et clarius D. Gregorius, lib. XXVI. Moralium, c. XII. ad finem, hoc ipsum sic explicuit : « Culpa quæ per elationem mentis, in

oculto latuit, per carnis luxuriam in aperto respondit: proinde per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis : sic enim pie spiritus sub Deo præmittitur, caro illicite super spiritum non levatur. Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis; si tamen sub Deo recognoscit jura legitimæ servitutis. Nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure et a subjecta carne præ-lium suscipit. Unde et ille primus inobediens, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit : quia enim contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit, et qui actori suo esse subditus noluit, jus carnis subditæ, quam regebat, amisit : ut in se ipso videlicet inobedientiæ suæ confusio redundaret, et superatus disceret, quod elatus amisisset. » Effectus ergo originalis peccati quamprimum in motibus concupiscentiæ inordinatis apparuit, ut patet Gen. II. v. 25. et c. III. v. 7. Ubi in statu justitiæ originalis, licet primi parentes essent nudi, non erubescebant : quia nullum motum carnis sentiebant; amisso vero felicissimo illo statu per peccatum cognoverunt se esse nudos, et aperti sunt oculi amborum ad concupiscentiam et cognitionem bestialis motus, ut in lib. III. tract. I. diximus. Merito ergo in illa parte, ad superbi hominis humiliationem, erubescentiam et confusionem debuit medicamentum et cauterium apponi, ut ipsamet circumcisio esset castimoniæ signum, ut docuerunt D. Ambrosius, epist. 72. et lib. I. de Abraham, c. XVII. et D. Thomas, in IV. d. I. q. II. art. 3. Quo ipso facto maxime nobis commendatam Deus castitatem reliquit. Unde ad debilitationem concupiscentiæ, rationabile fuit, ut in illo membro fieret circumcisio, ut docuit S. Thomas, 1. 2. quæst. CII. art. V. ad 1. in secunda ratione.

Deus secretam superbiam punit manifesta luxuria, ut superbus resipi scat.

Quod plane quotidiano discimus experimento in omnium hominum, eorum etiam, qui se totos Deo dedicarunt, statu, qui, proh dolor! si a Deo et ejus vicem gerentibus superbiendo recesserint, qui rebus spiritualibus vesci voluptuose solebant, interierunt in viis, et qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Puniens Deus omnipotens eorum superbiam, etiam secretam, aperta et manifesta luxuria, ut optime docuit D. Gregorius, lib. XI. Moralium, c. IX. lit. H, et lib. XXVI. ca. XII. ad finem, his verbis : « Plerumque latet superbia, et castitas innotescit, atque ideo tentata diu castitas circa finem vitæ perditur, quia cooperta superbia usque ad finem incorrecta retinetur. » Unde D. Augustinus, lib. XIV. de Civitate Dei, optime dixit : « Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum et manifestum peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando præsumpsit. » Hoc dicit sacer Psalm. LXXXII. v. 17. *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum;* et sic ad superborum utilitatem hanc Deus permittit ignominiam, ut vidimus, ut humilitati resipiscant. Refert enim D. Bernardinus Senensis, serm. 48. in feria 2. post Resurrectionem. « Quod cum unus homo Dei visitasset alium servum Dei, qui ex reputatione, quam faciebat de seipso, erat continens, ultra conveniens, dixit socio suo in recessu ab eo : Iste amicus Dei habet necesse habere unam fornicationem, vel aliquam vituperationem; et ita fuit, quod pauco tempore post hoc, ille amicus Dei cecidit in unam fornicationem taliter quod publice secum fuit, et fuit valde mortificatus, et tunc se magis humiliavit, quam unquam fuerit; reputans se esse miserum peccatorem, ubi prius se reputabat veneratione dignum, et portare coronam aliorum servorum Dei. » De quo in lib. IV. tract. VII. latius resolvimus.

Hæretici semper turpes et luxuriosi.

Quod quidem in hæreticis, qui maxima cum obstinatione et pertinacia a Deo superbe recedunt, frequenter, imo et semper in cœno et turpium libidinum fæce volutantur; juxta illud Apostoli ad Rom. I. v. 24. cum sequent. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis : qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*, etc. Nec tantum turpitudinem exercent, sed docent, et doceri cupiunt. S. Hieronymus explicans illud Ezechielis XVI. *Et quasi mulier adultera*, sic ait : « Animæ dant munera magistris dogmatum perversorum, quando asserunt nihil nocere luxuriam, et passivam libidinem juxta corporis genitalia coitum naturali lege deposcere; cibis omnibus indifferenter utendum, qui ad hoc facti sunt ut sumantur. » Et clarius ipsemet S. Doctor super c. VII. Oseæ, ad fi. « Hæretici, ait, volutantur in sordibus libidinum, vacant stupris, raro enim hæreticus diligit castitatem, et quicumque amare pudicitiam se simulant, quæ secrete agunt turpe est et dicere, omnibus hæreticis familiare est ratio-

nem aliquam inire, qua pudicitiæ bellum inferant. »

Luxuria, truculenta estia, omnia destruens.

O ignis infernalis luxuria! quæ per truculentam illam bestiam, quæ comedit carnes multas, comedit corpora multa, adolescentes multos, homines, feminasque plurimas, de qua Dan. VII. v. 5. designatur : *Ecce*, ait Daniel, *bestia similis urso, in parte stetit : et tres ordines erant in ore ejus, et in dentibus ejus, et sic dicebant ei : Surge, comede carnes plurimas.* En tibi libidinis effigiem. Urso similis est mellis avido; voluptates enim corporeas consectatur. Carnes comedit plurimas, id est, carnales homines plurimos. Tres habet dentium ordines, quoniam adolescentes, viros, senesque etiam dilaniat. De quo agens D. Gregorius, lib. XXI. Moralium, cap. IX. sic ait : « Luxuria est ignis ad perditionem usque devorans, et quælibet alia bona opera destruit; » et D. Hieronymus ad Eustoch. « Quacumque virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis. » Qui ergo corporis sui passiones subditas habere voluerit, Deo et Dei locum tenenti humiliter subdatur, ut docet D. Bernardus, sermone 1. omnium Sanctorum, explicans illa verba : *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* « Hanc, inquit, ego terram corpus nostrum intelligo; quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, et superiori suo subjecta; quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori, pro cujus defectu primus parens paradisum perdidit, terram deliciarum; propter hoc in ipso corpore contrariam legem invenit. « Et hæc de nostri Evangelii parte : *Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer*, dixisse sufficiat.

De augustissimo nomine Jesu, et de suprema Josephi dignitate in hac nominis impositione.

Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Maximam et proculdubio incomparabilem honoris et excellentiæ dignitatem sanctissimo Josepho angelica attulit legatio, qua ei, ex totius æternæ Trinitatis mandato dixit : *Vocabis nomen ejus Jesum*, Matt. I. v. 21. Quia impositione ac publicatione hujus sanctissimi nominis secretum cœleste mundo aperuit Josephus : æternique Patris vices gessit, Spiritusque sancti arcana, quæ in canticis a cprophetis absconsa erant, patefecit : est namque mos apud homines, ut patres nomina imponendi filiis auctoritatem habeant. Jesus autem Dei Patris filius erat : sanctus igitur Joseph Patris cœlestis vices in hac dignitate gessit. Cum filii regum baptizantur, ubi christiani nomina imponere filiis consueverunt, vice regum parentum nomen filii baptizandi rex alius, aut nuntius regis, vel magnus quispiam vir, nomen filio regis denuntiat : illa enim præcipue tempestate sanctissimo Josepho apud cœlestem Patrem nemo grandior, nemo gratior, nemo præclarior, et tandem Joseph Enos fuit novi Testamenti, qui cœpit invocare nomen Domini, ceu de veteri, Genes. VII. scribitur. Joseph ergo in circumcisionis solemnitate, publice nomen Jesu imposuit, et declaravit, juxta illud Matth. I. in fine, *Et vocavit nomen ejus Jesum.* Hoc namque paterna auctoritas, hoc angelica legatio, hoc denique B. Virginis pudor exigebat immaculatus. Coram Deo autem et Angelis ad solam Virginem beatissimam hæc divini nominis impositio spectabat, quia ipsa sola inter homines verum jus maternitatis naturalis habebat in Christum. Nomen igitur Jesu imposuerunt Deus, Angelus, Maria et Joseph. Deus quidem rem nominis præstando; Angelus prædicendo; Maria imperando; et Joseph exequendo. De qua nominis impositione, de ipsius nominis veneratione, et excellentia infinita, et de aliis ad hoc pertinentibus, et ad Josephi dignitatem et honorem concernentibus, luculentissime in lib. III. tr. V. et VIII. et in lib. IV. tr. XII. actum a nobis est. Et hæc de hac 2. parte, et tractatu : ad regum jam Magorum adorationem, et donorum oblationem transeamus.

ECCE MAGI AB ORIENTE VENERUNT HIEROSOLYMAM, DICENTES : UBI EST, QUI NATUS EST REX JUDÆORUM ? VIDIMUS ENIM STELLAM EJUS IN ORIENTE, ET VENIMUS ADORARE EUM, etc. Mat. II. v. 1. et 2.

TRACTATUS IV.

De Gentium vocatione, et Regum adoratione.

Dirversi mode et multipliciter Deus homines ad se vocat.

Pro faciliori intelligentia, supponendum est vocationem ante omne hominis meritum, non uno, sed diversis modis a Deo optimo fieri ; quosdam enim beneficiis, quosdam plagis, quosdam amore, quosdam metu, quosdam secretis inspirationibus, quosdam vero publicis Ecclesiæ vocibus vocat, ut docuit D. Augustinus super Psal. CII. post medium, in hæc verba : « Vocat undique Deus ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis longanimis, et multæ misericordiæ. » Alios voce, alios autem signo et opere, idem D. Augustinus, epistola 50. ad Bonifacium Comitem, tom. 2. « Cum Petrum et alios Apostolos Christus solo verbo vocasset, Paulum, prius Saulum, Ecclesiæ suæ postea magnum ædificatorem, sed horrendum antea vastatorem non sola voce compescuit, verum etiam potestate prostravit, atque infidelitatis tenebris sævientem, ad desiderandum lumen cordis, ut surgeret, prius corporis cæcitate percussit. Mirum est autem quomodo ille, qui pœna corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit : et quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem. » Unde ait D. Joannes Climacus, cap. 1. de renuntiatione, et mundi contemptu, illas mundi renuntiationes, quæ casu ac infortuniis accidere videntur, contemnendas non esse : solent enim Dei ordinatione et consilio utiliter fieri. Dicebat enim illa mulier Oseæ, II. v. 5. cum seq. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi et aquas meas, lanam meam et linum meum, et potum meum.* E converso vero misericors Deus in eodem loco ait : *Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria, et semitas suas non inveniet, et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos, et quæret eos, et non inveniet.* Et hoc totum ad illius commodum et profectum, ut ad Dominum convertatur. Quod statim his verbis explicat : *Et dicet : vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Ubi D. Hieronymus sic ad nostrum propositum infert : « Ex his intelligimus quod providentia Dei sæpe nobis contingant adversa, et accidant mala, ne habeamus quæ cupimus, et variis calamitatibus hujus sæculi ac miseriis, ad Dei servitutem redire cogamur. » Et D. Augustinus eleganter ait : « Multa quæ in hac vita nos premunt, ad Deum nos ire compellunt. » Difficile enim anima quæ a Deo suo recessit, nisi angustiis et tribulationibus revocatur, ut optime Rupertus memorata Oseæ verba explicans, sic optime advertit : « Quæ nimirum viæ, si planæ sint, et absque offendiculis, ita ut prosperetur prosperitate temporali anima, quæ se a Creatore suo avertit, vix aut nunquam revocari potest, vel audire vocem post tergum monentis ; si autem adversa occurrerint et tribulatio, vel angustia temporalis currentem comprehenderit, tunc reminiscitur, ut sæpe factum est, Domini Dei sui, et dicet : *vadam et revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis quam nunc.* Quamdiu enim prodigus ille filius dives, abundans et in mundi deliciis degit, paternæ domus vix unquam fuit recordatus ; postmodum vero fame, penuria et miseria pressus, ad se reversus utiliter dixit, quod utilius adimplevit : *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo? Surgam et ibo ad patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercenariis tuis ; et surgens venit ad patrem suum*, Lucæ XV. v. 17. Quis non videat, obsecro, Jonam prophetam a facie Domini Dei fugientem, et sopore gravi dormientem, nec a somno surgentem, donec misit Dominus ventum magnum in mare, et facta fuit tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri ; tunc enim a guberna-

tore navis sic excitatus et rogatus, quid tu sopore deprimeris? Surge, invoca Deum tuum, et sic media tribulatione, et adversitate ad Dominum conversus dixit : *Tollite me et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare, et stetit mare a furore suo. Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, et sic Jonas evomitus surrexit, et Domini obedivit mandato.* Jonæ I. et II. Unde quod Deus beneficiis a peccatoribus non consequitur, tribulationibus et angustiis adipisci solet, Is. XXVI. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti; numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ, Domine, in angustia quæsierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* In quo tamen maxime advertendum est quod vocationes, aut revelationes per signa exteriora factæ non sufficiunt, nisi Deus lumine suo interius operetur : « non enim, ait D. Augustinus, lib. 83. q. post med. to. 4. latebat Pharaonem quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per adventum Josephi. Illius ergo rei gestæ cognitio, vocatio ejus fuit, ut populum Israël misericorditer tractans, non esset ingratus. Quod autem huic vocationi obtemperare noluit, meruit pœnam ut induraretur illi cor, et tantam cæcitatem mentis pateretur ut tot et tantis tamque manifestis Dei signis non crederet. » de quo in lib. IV. tractat. VIII. egimus et dicemus infra.

Christus populi Judaici et gentilici Redemptor, prius pastores ex Judæis, deinde Magos ex Gentibus vocabit.

Cum Christus Dominus in mundum venisset salvare populum suum a peccatis eorum, ut dixit Angelus ad Josephum, Mat. I. v. 21. *Pariet autem filium et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; ubi in lib. IV. tract. XIII. per *populum suum*, utramque, Judaicum scilicet et gentilicum intelligi luculenter probavimus. Primo loco Judaicum cui promissus et natus est Christus peculiariter, Judæis tamen non credentibus, promissum est Gentibus hoc salutare Dei, ut cecinit sanctissimus Simeon: *Viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum lumen et revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israël.* Luc. II. v. 29. 30. et 31. Unde ipsemet Christus Dominus, Matthæi XXI. dixit : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur Genti facienti fructus ejus.* Et postmodum, c. VIII. v. 11. dixit : *Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Et Apostolus, Act. XIII. v. 45 et 46. *Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, et contradicebant his quæ a Paulo dicebantur blasphemantes. Tunc constanter Paulus et Barnabas dixerunt : Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus : Posui te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*, Isaiæ XLIX. v. 6. *Non enim Judæorum Deus tantum est, imo et Gentium*, ad Rom. III. Quia ergo Judæorum et Gentium Deus est, Judæos ad præsepe vocavit et Gentes; ex Judæis vocavit pastores, quoniam ex Judæis præcipuos, primosque pastores Ecclesia habuit, Petrum Pontificem summum, Paulum Apostolosque reliquos : ex Gentibus vocavit Magos reges, quia ex Gentibus multi reges, multi principes, multi viri illustrissimi ac sapientissimi Christo nomina dedere. Pastores ex propinquis pascuis adduxit, quia Judæi Deo propter fidem et legem propinquiores erant; Magos vero ex longinquis locis, quia Gentes idolorum cultores longe a Deo distabant. Quia, ut D. inquit Augustinus, ser. 2. hujus diei, « Pastores primum vocavit, postea Magos; Judæis enim primum, Gentibus postea Evangelium erat nuntiandum; ut sit virtus Dei, et fortitudo Dei, et Christi Evangelium in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco, ad Rom. I. v. 16. Quod quidem mirabiliter adumbratum fuit in Gedeonis vellere, Jud. VI. ubi primo vellus solum rore maduit, et terra nihil roris excepit; deinde vero versa vice, terram ros perfudit, vellus est exsiccatum. Quis non videat, obsecro, Judaicum populum primum velleris instar Evangelii rorem ebibisse, postea vero aridam Gentium terram divino imbre fuisse recreatam?

Christi nativitas convenienter, et quos decuit, manifestata est.

Et quia, teste Apostolo ad Rom. XIII. *Quæ a Deo sunt, ordinata sunt*, Christi nativitatem non debuisse omnibus, sed quibusdam cœlesti ordine electis fieri manifestam probat D. Thomas, 3. p. qu. XXXVI. per totam, sed præcipue art. III. in corp. sic dicens : « Salus quæ erat futura per Christum ad omnem diversitatem hominum pertinebat, quia sicut dicitur ad Col. III. *in Christo Jesu non est masculus et femina, Gentilis et Judæus, servus et liber*; et sic de aliis hujusmodi. Et ut hoc in ipsa Christi nativitate præfiguraretur, omnibus conditionibus hominum est manifestatus : quia ut Augustinus dicit in serm. 4. de

Epiphania; Pastores fuerunt Israëlitæ, Magi Gentiles, illi prope, isti longe, utrique tamen ad angularem lapidem concurrerunt; fuit etiam inter eos alia diversitas : nam Magi fuerunt sapientes et potentes; pastores autem simplices et viles. Manifestatus est etiam justis, Simeoni et Annæ, et peccatoribus, scilicet Magis. Manifestatus est etiam viris et mulieribus, ut per hoc ostenderetur nullam conditionem hominum excludi a Christi salute. » Quod quidem ipsemet D. Thomas, art. VI. in corp. sic magis explicat et probat. « Christi nativitas primo quidem manifestata est pastoribus ipso die Nativitatis Christi : ut enim dicitur Lucæ II. *Erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Et *ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, loquebantur adinvicem: transeamus usque Bethlehem. Et venerunt festinantes.* Secundo autem magi pervenerunt ad Christum tertiadecima die nativitatis ejus, quo die festum Epiphaniæ celebratur. Si enim revoluto anno, vel etiam duobus annis venissent, non invenissent eum in Bethlehem, cum scriptum sit Lucæ II. quod postquam perficerunt omnia secundum legem Domini, offerentes scilicet puerum Jesum in templum, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Tertio, manifestata est justis in templo quadragesimo die a nativitate Christi, ut habetur Lucæ 2. et hujus ordinis ratio est, quia per pastores significantur Apostoli, et alii credentes ex Judæis, quibus primo manifestata est fides Christi : inter quos non fuerunt multi potentes, nec multi nobiles, ut dicitur I. ad Corinth. I. Secundo autem fides Christi pervenit ad plenitudinem Gentium, quæ est præfigurata per Magos. Tertio autem pervenit ad plenitudinem Judæorum, quæ est præfigurata per justos. Unde et in templo Judæorum est eis Christus manifestatus. »

Prophetiæ de Christi nativitate, stella, Magorum adventu et muneribus declarantur.

Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus, etc. Circa Christi Domini nativitatem multiplex antea extiterat prophetia. Prima, de ipso loco Bethlehem, Michææ V. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis.* Quem locum principes sacerdotum et scribæ populi Herodi regi, in nostro Matthæi Evangelio interrogati proposuerunt. Secunda, de tempore ipso nativitatis, Jacob, Gen. XLIX. dixerat : *Non auferetur sceptrum de tribu Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio Gentium.* Tertia, de stella prænuntia ortus Christi, de qua Balaam, Num. XXIV. *Orietur stella ex Jacob, et consurget virga ex Israël*, etc. Quarta, de adventu Regum et Gentium ad Christum, de quo Isaias LX. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Quinta, de muneribus Christo Domino offerendis, de quo David, Psal. LXXI. *Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent.* Tres igitur isti Magi reges agnoscentes vaticinium Balaam, ac stellæ novitate vaticinio conformem videntes, divinitus impulsi Judæam, regem Judæorum recenter natum quærere, adorare, et cum muneribus cohonestare venerunt. Quod quidem Patres Ecclesiæ omnes sic interpretati sunt et docuerunt, præsertim D. Cyprianus, in tract. de stella et Magis. « Magi, inquit, ex vaticiniis Balaam olim audierant stellam oriri in Jacob; diu homines illi hujus prophetiæ proventum expectaverunt. At ubi venit plenitudo temporis, orto repente novo sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti quam signo, dromedariis invecti in Judæam, stella duce proveniunt, nec potuerunt Palestinæ incolas latere tantæ hominis personæ. » Et luculenter, more solito, D. Leo Papa, ser. 1. in Epiphania, in princ. sic ait : « Ad omnium enim hominum spectat salutem, quod infantia Salvatoris, ac mediatoris Dei et hominum, jam in universo declarabatur mundo, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo; quamvis enim Israëliticam gentem et ipsius gentis unam familiam delegisset, de qua naturam universæ humanitatis assumeret, noluit tamen intra maternæ habitationis angustias ortus sui latere primordia; sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci : tribus igitur Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit, quæ illustrior cæteris, pulchriorque sideribus facile in se intuentium oculos animosque converteret, ut confestim adverteretur non esse otiosum quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectum, qui præstitit signum et quod fecit intelligi, fecit inquiri, et se inveniendum obtulit requisitus. » Et tandem D. Maximus, ser. 3. de Epiphania, sic argumentatur, et probat : « Idcirco Magi apud Israël præcipue natum Regem requirunt, quia Balaam ille ariolus stellam ex Jacob oriundam et hominem ex Israël prophetaverat esse venturum. Nemo itaque miretur nativitatem Dominicam

agnovisse Chaldæos, quam utique, si revelante Deo, Gentilis, id est, Balaam prænuntiare potuit, potuit Gentilis, id est, Magus agnoscere. »

Magi et stella duce, et interno divino lumine ad Christum fuerunt adducti.

Ex quo D. Leonis testimonio nuper adducto aperte constat Magos istos vere reges, non solo Balaam vaticinio et stellæ signo, ad Christum Dominum inquirendum fuisse adductos, sed simul habuisse internum lumen, et divinam illustrationem, ut docet S. Thomas, 3. p. qu. XXXVI. art. VIII. in corp. « Credendum, inquit, est Magos a Spiritu sancto inspiratos, sapienter Christo reverentiam exhibuisse. » Et D. Augustinus, serm. de Epiphania, tom. 10. « Sic intelligendum est non per solam stellam, quamvis oculis suis insolitam et inexperta luce fulgentem, Magos in Oriente potuisse cognoscere, sed alia nimirum revelatione indicatum est divinitus quod luce sideris tacite signabatur; non utique loquente ipso sidere, sed aliter intimatum est quis descendisset de cœlo, et jaceret in carne sub cœlo. « Et idem D. Augustinus, serm. 7. de Epiphania. « Hanc stellam, inquit, admirati cujus etiam esset, consequenti revelatione nosse meruerunt, regis videlicet Judæorum, eoque nato, cum et hoc ejus gratia cognovissent, ad eum adorandum, hodie currere potuerunt. » Sola enim exteriora signa, nisi divina luce et interna inspiratione concurrente, per se non sufficiunt, ut in suppositione probavimus.

Eximia Magorum fides probatur comparata fidei Abrahæ et aliorum.

Quod quidem ex illustri ac forti istorum Magorum fide satis comprobatur; « quæ certe, ait P. Salmeron, tom. III. tractat. XXXVIII. ante finem, §. quorsum antem, si non major, par tamen illi Abrahæ fidei possit videri. Nam ut ille primo exiit de terra sua ad imperium Dei, sic isti solo ductu stellæ, nullo alio, quod quidem legatur, imperio divino, ad Christum venerunt. Ille confisus verbo Domini venit in terram quam nesciebat; sic isti in terram quam ignorabant. Deinde exiit Abraham in spe, quod futurus esset in gentem magnam : istis nihil tale est promissum; imo cum divites et sapientes essent domi suæ, omnibus tamen propter Christum adorandum ad tempus nudati sunt. Ad hæc promissus est Abrahæ Christus, in quem credidit, et reputatum est ei ad justitiam; at isti non crediderunt tantum, verum etiam in regia civitate coram hominibus aperte confessi sunt : neque deterriti stabuli paupertate, squalore, ac fœtore eum adoraverunt. Denique Abraham egressus est de Ur Chaldæorum, fugiens imminens periculum ignis, quod nollet adorare eorum idola, ut dicitur Judith v. isti sponte et sine necessitate egressi sunt de regno suo, et obtulerunt munera Salvatori. » Quam etiam Magorum præstantissimam fidem sic D. Bernardus, serm. 2. hujus festivitatis mirifice exaltat. « Videte quam oculata sit fides, quam lynceos oculos habeat diligentius considerate : cognoscit Dei filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt, ille clavis infixum, isti pannis involutum. » Merito enim P. Barradas, to. I. lib. IX. cap. 10. explicans illa verba, *procidentes adoraverunt eum*, horum fidem evehit et extollit dicens, Apocalyps. IV. « Coram Dei throno vigintiquatuor seniores procidunt, coronasque abjiciunt. *Procidebant*, ait Joannes, *vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum :* at hi tres reges procidunt, coronasque suas demittunt, non ante sublimem thronum, sed ante præsepe in stabulo. O quam oculata est fides, quam lynceos habet oculos! non in throno solum, sed in stabulo etiam Deum agnoscit. Regem Judæorum Magi quærebant, nihil regium oculis corporeis occurrit; humilem speluncam, præsepium, paleas cernunt. Quem tanta in paupertate vident, regem esse credunt : alios enim perspicatiores intus fidei oculos habebant, quibus in paupere tugurio, regiam divinamque majestatem, veluti lucem intra laternam, aut veluti solem intra nubem latentem, conspexerunt. »

Divinæ vocationi Magorum exemplo citissime et omni difficultate postposita, est corresponendum.

Unde hi reges, viso stellæ signo cœlesti, divina interius vocationis inspiratione recepta non quieverunt, sed statim omni difficultate postposita ei corresponderunt. *Vidimus enim*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Oblatum igitur auxilium celeriter acceperunt, ductum divinæ vocationis impetu secuti sunt, jam fidei oculis illuminati, similesque sanctis animalibus Ezechieli ostensis, effecti, et sic, *Unumquodque eorum coram facie sua ambulabat; ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent, et ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, Ezech. I. v. 12. et 14. in quo regium suum animum, et divinæ vocationis virtutem et efficaciam ostenderunt. Quibus haud difficile Dei interrogatio ad sanctum Job unice convenit : *Numquid præbebis equo fortitudinem,*

aut circumdabis collo ejus hinnitum? Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio; ubi audierit buccinam, dicit: vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercitus. Job. XXXIX. v. 19. usque 25. Hi enim a longinquis Orientis partibus media stella Christum natum adoraturi regna sua reliquerunt, et coram mundi monarcha Herode publice et constanter quæsierunt: *Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Navarchi enim et nautæ aliquam aggressuri prolixam navigationem, statim ut prosper ventus spirat, omnia prætermittunt, neque ad suos redeunt, vela protinus pandunt, pelagoque se committunt terra relicta: similiter etiam ad horum regum exemplum, si e mundo in cœlestem vis patriam solvere, solve te curis omnibus terrenis, ubi primum divini Spiritus aura afflaverit, pande vela, omitte omnia, nihil te vinciat, aut vincat, dimitte mortuos sepelire mortuos suos, tu ad vivos evola; inter vivos vitam ducito, ne inter mortuos mortem oppetas. Quod quidem perfectissime fecit et docuit Apostolus ad Gal. I. v. 15. *cum autem*, ait, *placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit me per gratiam suam, ut revelaret filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini*, etc. fugiendæ ergo sunt omnes remoræ, omnia molimina sunt vitanda. « Cum enim vox, ait Cassianus, lib. IX. c. XVI. divina clamat, ab omnibus humanis, atque mundanis rebus absolvit; cum Christus loquitur, omnis anima in ejus obedientia liquefiat; » dicereque cum his regibus confidenter possit illud Isaiæ L. v. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico; retrorsum non abii; quia nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei*, Lucæ IX. v. 62. Et hinc D. Paulus dicebat ad Phil. III. *unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt extendens me ipsum, ad detestinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis.* Miserat Paulus Christo vocante manum ad aratrum et retro non aspiciebat, sed caduca omnia, quæ retro sunt a me relicta, oblivioni tradens perpetuæ, ad ea quæ priora sunt, ante faciem, id est, ad æterna ac cœlestia me ipsum, omnesque vires extendens: ad scopum supernumque bravium apprehendendum persequor, et contendo. Ne mihi illud Prov. I. contingat: *vocavi et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; ego quoque in interitu vestro ridebo.* Quæ quidem velocitas, ac celeritas in exequenda divina vocatione, in his qui ad mundi contemptum, et sacram aliquam religionem profitendam vocati sunt, maxime est necessaria, ut in lib. I. tract. XI. probavimus.

Veræ fidei opera a christianis adjungenda sunt, et charitati ut sint perfecta.

Neque fide solum, neque opere utcumque reges hi stellam suæ vocationis secuti sunt; sed operibus præcipuis, pretiosissimisque muneribus, fidei suæ efficaciam, et internum ardorem ostenderunt, et propalam commonstrarunt. Non enim placet Deo bonis operibus fides vacua, sicut nec placuit vitis frondosa, et non fructuosa Israël, nec ficus sine fructu, et palmitem infructuosum jubet abscindi. Debet enim christianus homo omni tempore fructum fidei, quæ per charitatem operatur, proferre; debet etiam similis esse ligno, *quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Ps. I. « Nam sicut Christi manus tornatiles dicuntur, aureæ, plenæque hyacinthis, Cant. V. sic quoque christianorum manus perfectæ, et veluti tornatæ, quæ perfecta, et veluti torno elaborata opera faciant: securi factum opus rude est, atque impolitum, torno factum expolitissimum; christiani multi veluti securi impolite operantur: alii vero sancte et polite operantur, velut torno; aureas præterea oportet esse manus: aureas autem manus reddunt aurei annuli. Nulli annuli magis manus ornant quam bona opera, charitate aurea: hæc aureas manus efficiunt. Quot bona opera facit christianus, tot aureos annulos in digitos inserit: tunc vero cœlestis coloris gemmas, hyacinthosque addit, cum cœlestem intentionem operibus adjungit, cum inanem gloriam cavet, et Dei causa, sincero animo perfecte christiana officia præstat. » Sic P. Barradas, I. lib. c. XI. §. sed quodnam tempus.

Ut autem christiani hominis opera perfecta existant, et polita, tria præcipue habere debent. Primum, ut in gratia et charitate fiant. *Si linguis hominum*, ait Apostolus I. Cor. XIII. in princ. *loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens, et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum*, etc. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradide-*

ro corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quemadmodum enim in ædificiis materialibus calx lapides et arenam constringit, sic in spiritualibus charitas est vinculum perfectionis. Et ideo idem Apostolus ad Colos. III. hortatur et monet : *Super omnia autem hæc, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ubi S. Thomas, lec. 3. sic ad propositum explicat : « charitas informat omnes virtutes, per omnes virtutes homo perficitur, sed charitas connectit eas adinvicem, et facit eas perseverantes, et ideo dicitur vinculum, vel ex natura sua est vinculum, quia est amor, qui est uniens amatum amanti ; Oseæ XI. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis ;* sed addit, *perfectionis*, quia est unumquodque perfectum, quando adhæret fini ultimo, scilicet, Deo, quod facit charitas. ». Secundum, ut opera sint divinæ legi conformia, *in eadem permanentes regula,* dixit Paulus ad Philippenses III. vers. 16. et ad Galatas ultimo. *Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos et misericordia.* Est enim hæc divinæ legis regula, et voluntas, arundo illa aurea, qua Angelus civitatem Dei metiebatur, Ap. XXI. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream ut metiretur civitatem, et portas ejus, et murum.* Ubi S. Thomas : *habebat mensuram arundineam auream* ; Glossa : id est, divinam Scripturam Dei sapientia compositam. » Amor ergo Dei in perfecta legis ejus observatione consistit, Joa. XV. v. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione.* Ubi S. Augustinus : « Quid est quod diligo regem, si odio habeo suam legem : dilectio ergo regis est mandati custoditio. » Et S. Gregorius, homil. 30. « Vere enim diligimus, si ad mandata ejus a nostris nos voluptatibus coarctamus ; nam, qui adhuc per illicita desideria defluit, profecto Deum non amat. » Tertium, ut recta intentione ad majorem Dei gloriam fiant. Zachariæ I. *Hæc dicit Dominus ; revertar ad Jerusalem in misericordiis, domus mea ædificabitur in ea, et perpendiculum extendetur super Jerusalem.* Ubi Lyra, n. 8. « Perpendiculum, id est, instrumentum ligneum, in cujus medio pendet corda habens plumbum in extremitate sua, cum quo perpenditur si murus directe ædificatur. » Quod mire sane S. Basilius in regulis fusius disputatis, respons. 5. his verbis explicuit : « Ut faber ferrarius quandoque dolabram aliquam sive asciam cudit, si assidue illius memor sit, unde instrumentum illud faciendum ex pacto acceperit, et præscriptam sibi ab illo formam et magnitudinem animo versat, et ad ejus voluntatem, qui condixit, opus dirigit, quod facit alioquin, si ejus memoriam mente sibi patiatur excidere, prorsus aut aliud quidpiam omnino, aut longe dissimile efficiet ab eo, quod facere instituerat : sic christianus quoque, si actiones suas omnes ad Dei voluntatem direxerit, is sine controversia, et egregie illud opus perficit, et simul assiduam illius in animo sibi memoriam conservat, a quo id jussus est facere, vereque illud Psal. XV. dicere poterit : *Providebam Dominum in conspectu meo semper ;* item illud Pauli I. Cor. X. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* »

Tres Magi fuerunt reges.

Ecce Magi ab Oriente venerunt, etc. Hos autem Magos fuisse reges affirmant S. Cyprianus, de Baptismo Christi ; et S. Innocentius III. ser. de Epiphania, Theophilus, S. Anselmus, Rupertus, et alii, quos refert et sequitur P. Barradas, to. I. lib. IX. c. 8. §. dubium præterea est. Et probatur primo, quia ab ipsamet divina scriptura satis insinuatur aperte : ait enim David, Psa. LXXI. *Reges Tharsis et insulæ munera offerent ; reges Arabum, et Saba dona adducent ;* Et Isaiæ LX. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui.* Vocat autem splendorem ortus tui, stellam quæ Magos in Bethlehem adduxit ad Christum puerum adorandum. Et rursus eodem loco, et intentu subdit Isaias : *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domini annuntiantes.* « Omnes autem de Saba venisse, ait P. Salmeron, to. III. tract. XXXVIII. §. his tamen non obstantibus. quia regnum totum in rege consistit et tota respublica in legatis suis ad principem missis nititur : simili ratione Sabæi omnes dicuntur venisse, quia eorum oratores ad Christum adorandum venerunt. » Et confirmatur primo ex catholicæ Ecclesiæ traditione, quæ prophetias memoratas ad Magos istos applicat, et accommodat in Missis decantandis, et Horis recitandis. Confirmatur etiam secundo ex antiquissima, receptissimaque pictura ecclesiastica, quæ in antiquis rebus probandis, maxima pollet auctoritate. Nec obstat, si objicias quod in Evangelio non reges, sed magi tantum appellentur : quia respondetur Evangelistam Matthæum regium horum Magorum nomen

tacuisse, sicut auctor libri Job, ipsiusmet Job et amicorum ejus regium nomen tacuit, qui tamen reges erant, ut auctor libri Tobiæ secundum LXX. interpretum litteram expressit. Consulto etiam Matthæus potius Magos quam reges nominavit, quia magis e re nostra et Dei erat, ut sapientes de Christo redderent testimonium, quam reges; reges enim plerumque ignari et imperiti sunt, aliorumque sententiam sequuntur : et cum sapiunt, sapientium reguntur consilio. Majus ergo est testimonium, quod datur a sapientibus, quam quod a regibus. Nec enim coram summo regum Rege, et dominantium Domino aliquis fidelium vocari rex debuit : nam sicut coram sole stellæ sua remittunt lumina, sic coram Imperatore Christo, regium nomen cessare debuit, de quo post antiquiores alios agunt optime P. Salmeron, to. III. tract. XXXVIII. §. his tamen non obstantibus. et P. Barradas, to. I. li. IX. c. 8. §. dubium præterea, qui erudite satis hanc agitant difficultatem.

Reges isti Magi tres fuerunt numero, scilicet, Melchior, Gaspar et Balthasar.

Quot autem fuerint hi Magi reges, et quæ habuerint nomina, ex historiis ecclesiasticis et ex recepta Patrum et doctorum sententia tres tantum fuisse asserendum est. Sic sentit S. Leo Papa in sermonibus de Epiphania, et S. Bernardus ad fratres in eremo, serm. 43. et serm. 6. in vigilia Nativitatis, et Innocentius, ser. de Epiphania. Quod quidem rei gestæ consonat, quia secundum Rupertum, l. II. in Matthæum, « tres homines, id est, Magi, tribus partibus orbis, Asiæ, Europæ, atque Africæ, fidei vel confessionis atque adorationis exemplar extiterunt, et existere meruerunt. » Et Hilarius Arelatensis, serm. de Epiphania sic ait : « In eo quod a Magis tria offeruntur, Trinitas intelligitur : in eo vero quod tres uni, et singuli singula offerunt, in Trinitate Unitas declaratur. » Eorum autem nomina secundum Bedam in collectaneis, fuerunt, Melchior, senex et canus, barba prolixa et capillis. Secundus, Gaspar, juvenis, imberbis, rubicundus. Tertius, Balthasar, fuscus, integre barbatus, ut videre est apud P. Salmeron ubi supra. §. nomina autem eorum ; et P. Barradam, in d. c. x. ad fi. §. regas ; et §. quibus. Utrum autem quilibet eorum tria hæc munera, aurum, thus et myrrham obtulerit, dicemus infra super illa verba : *Et obtulerunt ei aurum thus et myrrham.*

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Ultra horum regum excellentiorem fidem, de qua supra egimus, in hac novi Regis Judæorum annuntiatione et publicatione coram alio rege actualiter regnante, *Venerunt Hierosolymam, dicentes : ubi est, qui natus est Rex Judæorum*? Et in toto itinere, ac sedula quærendi Christum diligentia, actualem suam, et omnium gentium, quarum primitiæ erant, futuram constantiam in Christum usque ad mortem credendi, manifeste ostenderunt ; quia, ut ait S. Thomas, 3. p. q. XXXVI. ar. VIII. ad 2. ex Chrysostomo, homil. II. in Matthæum : « Dum considerabant regem futurum, non timebant regem præsentem ; adhuc non viderant Christum, et jam parati erant pro eo mori. » Habebant stellæ claritatem eos ducentem, habebant interiorem Spiritus sancti motum, ut vidimus ; habebant denique Deum adjutorem suum, et sic absque ulla temeritate confidenter ambulabant, et confidentius loquebantur interrogantes : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? et consequenter nullum hominem timebant, et merito quidem omnes simul, et eorum quilibet sigillatim dicebat : *Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo* ? *Dominus mihi adjutor : et ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine : bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus;* Psalm. CXIX. vers. 6. 7. 8. et 9. et stellæ exterius illuminantis, Spiritusinterius moventis et irradiantis beneficium contuentes et contemplantes, Dei omnipotentia omnipotentes facti, assidue repetebant illud Psal. XXVI. a principio. *Dominus illuminatio mea et salus mea ; quem timebo*? *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo*? *si consistant adversum me castra, non timebit cor meum ; si exurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo.* Curam ergo nostri et nostrorum negotiorum in Deum projicientes felicem absque dubio exitum cum magno gaudio habebimus, ut in lib. IV. tr. VI. probavimus.

Maxima horum Regum constantia declaratur.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum? etc. Relictis omnibus, patria, regnis, notis et consanguineis, postpositis, ac superatis ingentibus difficultatibus, venerunt hi reges regalem vere animum habentes, unum solum Deum petentes, desiderantes et quærentes, dicentes : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum*? *Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum.* Quærebant ipsi, et docebant, et docentes nos, Deum

Magi Deum quærentes docent nos ipsum Deum quæ vita nostra est, per ostium humanitatis quærere.

animarum nostrarum finem, felicitatem et vitam quærere : hoc enim dum vivimus, negotium nostrum est : ad hoc enim creati sumus ; *fecitque*, inquit Paulus, Actorum XVII. v. 26. *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum : in ipso enim vivimus, movemur et sumus.* Est enim Deus vita nostra, ut Deut. XXX. *Ipsa est enim vita tua, et longitudo dierum tuorum.* Et S. Augustinus, ser. 30. de verbis Apostoli, Deus est vita animæ, sicut anima est vita corporis. Et hinc sanctus hortatur David, Ps. LXVIII. v. 33. *Quærite Deum, et vivet anima vestra.* Et Christus Dominus, Joan. XVII. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Quem locum S. Augustinus, lib. de cognitione veræ vitæ, sic explicat : « Cum Christus veritas et vita dicat : *hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum solum*, constat profecto naturam rationalem ad hoc solum esse factam, ut factorem suum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, et diligendo, in eo qui est æterna vita, æternaliter permaneat, et beate vivat. » Et paulo inferius consequenter colligit : « Divinitatis ergo essentiam rationabiliter investigare, ut est possibile, est ad vitam æternam festinare ; et hanc negligendo, ignorare, » est utique ad mortem indeficientem damnabiliter properare. Rationabiliter autem dicit : nam essentiam investigabimus, per ostium humanitatis Christi intrantes, ut ipsemet docuit Christus, Joan. X. *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Super quo S. Bonaventura, opusculo de septem itineribus æternitatis, sic ait : « Proculdubio si non esset aliquid intrinsecum in Christo secretum, ad quod intrandum invitaret nos, non dixisset ipse : *Ego sum ostium, si quis per me introierit ingredietur, et egredietur et pascua inveniet.* Ego sum ostium sensui per corporale objectum ; *videte*, inquit, *manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.* Lucæ X. Ego sum ostium intellectui per fidem reseratum, Isaiæ VII. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Ego sum ostium voluntati per charitatem apertum, charitas non vult scire medium inter se et dilectum : Per me ergo ostium si quis introierit per fidem et charitatem ad meam intrinsecam et absconditam divinitatem, salvabitur. » Et rationem statim assignans dicit : « Quia sive ingrediatur ad meam divinitatem contemplandam, sive egrediatur ad meam humanitatem imitandam, pascua utrobique inveniet æternæ viriditatis et salutis, et de pascuis humanitatis intratur ad pascua divinitatis. » Et eodem intentu sic concludit S. Augustinus explicans illa Christi verba : *Ego sum via :* « Verbum, inquit, assumens humanitatem factum est via ; ambula per hominem, si vis venire ad humanitatem, et pervenies ad Deum, scilicet personam Verbi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi. » Et Hugo de S. Victore super septem angelicæ Hierarchiæ : « Divina persona in humanitate ejus abscondita est, ita quod Christi humanitas via est ad divinitatem. »

Propter Deum quærendum, in quo sunt omnia simul bona, temporalia vilipendenda sunt.

Ad quod fideliter assequendum, horum regum, qui omnia dimiserunt, et omnia superaverunt, exemplum imitari debemus, hortante ipsa Veritate, Lucæ XIV. *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Hic est enim lapis Lydius, ait S. Bernardus, de interiori domo, c. 69. et 70. « Tantum te in divina dilectione proficere credito, quantum in creaturarum amore defeceris. » Omnia ut stercora, cum Apostolo ad Phil. III. arbitranda sunt a nobis, ut Christum lucrifaciamus. Creata omnia occupare possunt, satiare non possunt. Ludovicus Blosius, de vita spirituali : « Oportet ut ab impedimentis transeuntium rerum liberum habeas animum : nam quidquid præter Deum quæritur, mentem occupat, non satiat. » Mundi felicitatem S. Augustinus, in Soliloquiis inopiam reputat, et egestatem. « Male, inquit, mihi est præter te, et omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi egestas est. » Et super Ps. XXVI. « Quidquid præter Deum est, dulce non est ; quidquid mihi vult dare Dominus Deus, auferat totum et se mihi det, » quia in eo solo omne bonum continetur. Idem S. Augustinus, ser. 19. in Joannem : « Deus tibi totum est ; si esuris, panis tibi est ; si sitis, aqua tibi est ; si in tenebris es, lumen tibi est ; si nudus es, immortalitatis tibi lumen est. » Et lib. V. Confessionum, c. IV. in principio, tom. 4. et S. Thomas, I. p. q. XII. ar. VIII. ad 4. in fi. « Infelix homo qui scit omnia illa, id est creaturas, te autem nescit ; beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat ; qui vero te et illa novit, non propter illa beatior est, sed propter te solum beatus. »

Et S. Ambrosius, ser. 39. magis in particulari loquens : « Omnia, ait, habemus in Christo, et omnia in nobis Christus; si a vulnere curari desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si indiges auxilio, virtus est; si mortem times, vita est; si tenebras fugis, lux est; si cœlum desideras, via est; si cibum quæris, alimentum est. » Et Cassiodorus explicans illud Psal. XXXIII. *Divites eguerunt et esurierunt : inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, ita optime concludit : « Cum diligimus Deum, omnia in ipso reperimus, unus est qui quæritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile ! o compendium singulare ! cur nos per diversa fatigamus? ad ipsum ergo unanimiter festinemus. » Merito ergo reges isti divino illustrati Spiritu, nihil aliud desiderabant, nihil aliud nisi solum Deum intendebant, publice et intrepide dicentes : *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? Vidimus enim ejus stellam in Oriente, et venimus adorare eum.*

Superbi et ambitiosi facile turbantur, sicut Herodes : humiles vero quiete vivunt

Audiens Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. S. Thomas hic causam Herodianæ turbationis reddens sic ait : « Turbatus est, et ejus turbatio ex ambitione processit, quam habebat circa custodiam regni sui, propterea quia alienigena erat. » Et clarius S. Chrysostomus relatus a S. Thoma in Catena : « Ideo turbatur audiens regem natum Judæis ex genere Judæorum, cum esset ipse genere Idumæus, ne regno revoluto iterum ad Judæos, ipse a Judæis expelleretur, et semen ejus post ipsum præcideretur a regno : semper enim grandis potestas majori timori subjecta est : sicut enim rami arborum in excelso positarum, etiamsi levis aura flaverit, moventur; sic et sublimes homines etiam levis nuntii fama conturbat, Ps. LXXXVII. *Exaltatus autem humiliatus, et conturbatus;* humiles autem sicut in convalle plerumque in tranquillitate consistunt. » Et P. Salmeron, tom. III. tract. XL. in principio explicatius adhuc. « Turbatus est Herodes, quoniam alienigena et invasor regni, atque injustæ fidei possessor, merito quidem turbatus est, nec tam ipse, quam in eo diabolus, qui timebat regem successorem cœlestem, sicut Herodes terrestrem. Et vide, quæso, quam apte, quam vere Poëta quidam dixerit : (Horatius, lib. 2. Car. od. 10.)

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsæ graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulgura montes.

Et quid mirum de hominis ambitiosi, præcipue tyranni turbatione, cum ambitio cunctorum malorum mater et causa sit, ut in lib. IV. tract. IX. copiose resolvimus? Tyrannorum regum inter alia, duo præcipue sunt vitia conjuncta, superbia scilicet et avaritia, ut Jansenius explicans illa verba Ecclesiastici X. v. 11 et 12. *Brevem languorem præcidit medicus, sic et rex hodie est, et cras morietur*, sic ait : « Idem hic significatur quod apertius dicitur Prov. XXVIII. *Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam : qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus.* Ubi innuit tyrannos, quorum sunt propria hæc vitia, contra quæ hic agitur, superbia scilicet et avaritia. » Et quod detestabilius est, quod cum tyrannus regnum, et rempublicam superbia, ambitione et avaritia molestet, gravet, et opprimat, si miseri subditi jure suo naturali, divino et positivo utentes, aliquid pro sua defensione, cum inculpatæ tutelæ moderamine proponant et conquerantur, superbe excandescunt, dicentes vim sibi inferri, seditionem moliri, et ut aggressores esse puniendos et compescendos, exemplum iniquissimi regis Nabuchodonozor amplectentes : ille namque cum regna convicina bellis injustis perturbare vellet, et illi vim vi repellere conantes, ei parere noluissent, tremens impius rex in hæc verba prorupit : *Tunc indignatus Nabuchodonozor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum et regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his;* Judith. I. v. 12.

Ex bonitate aut malitia regis pendet bonum aut malum totius regni, et ex bono episcopo bonum totius cleri.

Ex hoc autem quod rege turbato turbata fuit pariter omnis Hierosolyma cum illo, colligimus plane bonum aut malum populi et regni pendere maxime a bono vel malo principe, a quo, ut a capite in membra, vitia, aut virtutes transfunduntur. « Non enim tantum malum est, ait Marcus Tullius, lib. III. de legibus, peccare principes, quamquam est magnum hoc per se ipsum malum, quantum illud, quod permulti etiam imitatores principum existunt. » Et quasi de re per se nota, interrogando dixit Deus, Michææ I. v. 5. *Quod scelus Jacob? nonne Samaria? Et quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem?* Ubi Glossa interl. « *Quod scelus Jacob?*

id est, decem tribuum. *Nonne Samaria?* id est, idololatria, quæ in illa metropoli fiebat; *et quæ excelsa Judæ?* id est, in regno duarum tribuum Jerusalem fecit excelsa idolorum. » Et Lyra : « Per Samariam intelligit idololatriam, quæ exercebatur in toto regno Israël, cujus metropolis erat Samaria; per regum potentiam, Jeroboam enim primus rex ad hoc induxit populum, ut habetur III. Reg. XII. Et unde procedit idololatria, quæ exercetur in montibus regni Judæ? nonne Jerusalem, quasi dicat, ex potentia regum Judæ, quorum sedes regia erat in Jerusalem, processit ista malitia. » Et P. Ribera ibidem : « Quasi dicat : Samaria, quam ego aliis urbibus imperare volui, et caput esse regni decem tribuum, maxime omnium fervet idololatria : in ea etenim sunt rex et principes, qui duces pietatis esse debuerant, et ipsi idola erigunt, et tuentur, reliquosque ad eorum cultum provocant. Jerusalem autem, urbs sancta, quam ex omnibus unam elegi, et templo ac sacerdotio consecravi, quæ tueri debebat pietatem sola, cum reliquæ idola colerent, maxime omnium dedita est idolatriæ, et plura in ea excelsa inveniuntur, quam in ulla alia. » Jeroboam timens regni amissionem adoravit primus vitulos aureos, et statim populus adoravit. III. Reg. XII. Primus rex Balthazar vasa templi aurea prophanavit, et post eum illico optimates et reliqui, Danielis; v. Ad Jonæ prædicationem rex primus egit pœnitentiam, et eum secuti sunt omnes, Jonæ III. Prius dixit Isaias I. *Omne caput languidum*, et immediate adjecit, *et omne cor mœrens, a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.* Et concludit S. Gregorius, lib. V. Moral. et in Pastorali : « Cum pastor per abrupta graditur, consequens est ut ad præcipitium grex sequatur. » Hujus rationem D. Hieronymus in epistola ad Heliodorum sic optime reddidit : « Domus episcopi et conversatio quasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. » Ad quod non incongrue facit quod D. Paulus Apostolus Petro Apostolorum Principi, ad Galat. II. dixit : *Si tu cum Judæus sis, et gentiliter vivis, et non judaice, quomodo cogis Gentes judaizare?* Ubi Glossa ordinaria, et interlinearis, « id est, cogis tuo exemplo. » Et S. Thomas ibid. « cogis, non quidem tuo imperio, sed tuæ conversationis exemplo, quia omnia, quæ vident in te, putant sibi necessaria ad salutem. » Quod etiam ad nostrum peculiare propositum dixit P. Salmeron, to. III. tract. IV. §. in Herode. « Verum quia Herodes, nato Christo, tepescere cœpit, imo fraude ac dolo uti voluit, ideo illusor illusus est ipse, nec venire promeruit in Bethlehem; quia vero ipse non venit, propterea nec principes sacerdotum, nec primores Judæorum venerunt; quia vero non venerunt isti, nec populus venit, tantum potest superioris exemplum. » Ut enim Claudianus cecinit de quarto Honorii Augusti consulatu :

> ---Componitur orbis
> Regis ad exemplum : nec sic inflectere sensus
> Humanos edicta valent, quam vita regentis?

Quamobrem Plutarchus in lib. de doctrina Principum, scite dixit, « regem esse veluti populi regulam, quia quemadmodum oportet ut ipsa regula primum recta sit, nihil habens obliquum, deinde cætera sibi admota quatenus sibi congruunt, exæquet : sic etiam princeps rectus debet sibi coaptare eos quibus imperat : neque enim cadentis est alium erigere, neque ignorantis docere, neque incompositi componere; neque ordinare inordinati; neque imperare ejus qui non pareat imperio. »

Princeps excellentioribus virtutibus debet esse præditus, ut non sicut cæteri homines, sed ut Deus participatione judicetur.

Ex quo aperte constat regiam dignitatem magnum virtutum pondus exigere, ita quod quanto major est aliis, debet esse melior, et sicut loco, sic moribus celsior. Quod non obscure, teste P. Barrada, tom. I. lib. IX. cap. 3. ad principium, Dominus Deus docuit, I. Reg. IX. cum Saulem cæteris omnibus Israëlitis statura proceriorem et meliorem, regem primum creavit. *Non erat*, inquit, *vir de filiis Israël melior illo, ab humero, et sursum eminebat super omnem populum.* De quo statim c. X. Samuel populo dixit : *Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi in omni populo.* Unde Macrobius apud Philonem, lib. de legatione ad Caium Imperatorem, Caio Imperatori his verbis consulit : « Non decet te aliis, in audiendo, spectandoque et usu cæterorum sensuum esse similem, sed tantum debes ignoratione vivendi excellere, quanto eminentiorem te fortuna constituit : censuitque Caius Imperatorem non hominem, sed Deum fieri oportere. Nam sicut aliorum gregum magistri, opiliones, caprarii, bubulci, nec boves sunt ipsi, nec capri, neque arietes, sed homines, his longe præstantiores modis omnibus, sic

imperatorem prefectum gregi humani generis optimi, censendum majorem homine, referendumque in deorum numerum. Sic etiam Caius argumentabatur : ovium pastor non est ovis, boum pastor non est bos, caprarum pastor non est capra : ergo hominum pastor aliud quam homo esse debet. Quid ergo? deus. » Quæ quidem per hyperbolem et exaggerationem heroicarum virtutum, quæ in principe requiruntur, a Caio dicta censenda sunt : nam rex qui justus est, qui misericors, qui subditorum utilitati consulens, qui sanctimonia præditus et prudentia, Deo similis et per participationem deus est, juxta illud Ps. LXXXI. *Ego dixi : dii estis et filii excelsi omnes.* Unde in hoc sensu merito dixit D. Chrysostomus, lib. de Sacerdotio : « Tanto meritorum prælatus debet præcellere gregem, quanta præstat excellentia pecori pastor. »

Peritis in arte credendum est, et in rebus fidei ad sacerdotes est recurrendum.

Et congregans omnes Principes Sacerdotum et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. Certe si Herodes impius non fuisset duplici corde, si non fuisset labiis scelestis, si non fuisset manibus malefacientibus, si non fuisset peccator, terram duabus viis dolose ingrediens, de bono hoc opere recurrendi ad Sacerdotes et Scribas pro investiganda veritate, laude dignus esset censendus. Universale est enim ad peritos in qualibet arte esse recurrendum, eisque intra suæ facultatis sphæram, adhibendam esse fidem, ut Paulus jurisconsultus in l. 12. ff. de statu hominum, his verbis decrevit : « Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis, etc. »

Et Augustus Imperator idem sancivit, in l. Semel. c. de re militari. lib. 12. de quo agit optime Alciatus de præsumptionibus, regula 3. præsumptione 19. per totam. Sacerdotum autem proprium officium est divinæ veritatis scientiam servare et custodire, a quibus fideles divinam legem quæsituri sunt et recepturi, juxta illud Malachiæ II. v. 7. *Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent de ore ejus : quia Angelus Domini exercituum est.* Quod quidem Deus manifeste docuit Exod. XXVIII. et XXIX. et Levit. VIII. præcipiens ut in summi sacerdotis veste, superhumerale conjunctum esset cum rationali pectoris, in quo scriptum erat : *Urim et Thumim, id est, veritas, et doctrina;* veritas bonæ vitæ, et scientia veritatis, ut explicat S. Hieronymus super memorata Malachiæ II. verba dicens : « Idcirco in sacerdotis pectore rationale est, et in rationali doctrina et veritas ponitur, ut discamus sacerdotem doctum esse debere, et præconem divinæ veritatis. » Eademque ratione ipsemet Deus præcipiebat ut ex quolibet animali ei in sacrificio oblato brachium et pectus sacerdoti applicaretur, Leviti. VII. VIII. IX. et X. Quod D. Hieronymus homilia 1. super Cant. his verbil enodavit : « In hoc sequestratum ac separatum pectusculum ac brachium præexcellens cæteros homines principale cordis ; et operum decus vult esse in sacerdotibus. »

Quibus vitiis carere debet sacerdos, et quas virtutes habere debet.

Eadem etiam ratione præcepit sacerdotem nullam corporis maculam etiam in lege veteri habiturum, sic statuens : *Non cæcus, nec claudus, nec gibbus, nec lippus, nec magno aut torto naso deformis, aut albuginem habens in oculo, sed immaculatus, et sine vitio*, Levit. XXI. Quod etiam in lege evangelica ab Ecclesia in toto titulo de corpore vitiatis admissum est : quæ quidem vitia et deformitates, non tantum corporaliter et materialiter, sed etiam spiritualiter in animabus accipienda sunt. « Multo enim magis, ait D. Hieronymus in tract. de veste sacerdotali, tomo 3. dehonestatur ordo clericorum vitæ turpitudine, quam corporis vitio. » Unde ipsemet D. Hieronymus super caput illud II. Malachiæ, explicans illud Levit. XXI. *Non cæcus, nec claudus*, etc. sic eleganter ait : « Sacerdos non debet esse cæcus, id est, ignarus ; non claudus, id est, pedem in diversa ponens, unum in divinis, et alterum in carnalibus ; non gibbus, id est, ad terrena inclinatus ; non lippus, id est, fœtidus, carnalis ; non torto naso, id est, malitiosus ; non albuginem habens in oculo, id est, non passionibus obscuratus. » Et concludit in eodem loco : « Considera, ait, sacerdotum esse officium de lege interrogatos respondere ; si sacerdos est, sciat legem Domini : si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse sacerdotem Domini : nam frustra jactat dignitatem, cujus opera non exhibet ; et hoc est, quod Apostolus ad discipulum suum Titum scripsit : *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere*, ad Titum I. Et ad alterum dilectum discipulum Thimotheum, dicens : *Et quia ab infantia sacras litteras nosti; quæ te possunt instruere ad salutem.* II. ad Timo. III. « Et princeps Apostolorum Petrus in idem gravissime hortatur : *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de*

ea, quæ in vobis est spe et fide, I. Petri III. Quapropter Deus fideles suos, ut de lege rite doceantur, ad sacerdotes remittit, Aggæi II. *Hæc dicit Dominus exercituum : interroga sacerdotes legem.* Et Ezech. XLIV. *Populum meum docebunt quid sit inter sanctum et pollutum, mundum et immundum ostendent eis.* Et tandem ait D. Hieronymus sup. cap. XX. Exodi. « Tanta debet esse scientia et eruditio sacerdotis, ut gressus ejus et motus, et universa vocalia sint : veritatem mente concipiat, et toto eam habitu resonet et ornatu : ut quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. » Quorum omnium rationem sufficientem, imo et concludentem Deus per Malachiam II. assignavit dicens : *Quia angelus Domini exercituum est.* Ubi D. Hieronymus : « Angelus autem, id est, nuncius, sacerdos Dei verissime dicitur ; quia Dei et hominum sequester est, ejusque ad populum nuntiat voluntatem. »

Et in individuo præsentis consultationis, S. Thomas hic more solito, aliis præstantius sic exposuit. « *Et congregans omnes Principes sacerdotum et scribas, sciscitabatur ab eis*, etc. Herodes sollicitus erat inquirere veritatem, sed ad sciendam certitudinem de aliquo, tria requiruntur ab inquirentibus : creditur enim multitudini, auctoritati et litteratis. Unde congregavit multos, et auctoritatem habentes et sapientes. Et quantum ad primum, hoc est quod dicit, *congregans omnes*, et Sapien. VI. *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum.* Quantum ad secundum, ait : *Principes sacerdotum*, Malachiæ II. *Et labia sacerdotum custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus.* Quantum ad tertium, inquit : *et Scribas*, non ad scribendum tantum dicitur ; sed ad interpretandum legis scripturam. Per istos quidem volebat investigare veritatem, Ecclesiastici XXXII. *In medio magnatorum loqui non præsumas, et ubi sunt senes, non multum loquaris.* »

Necessitas consilii suscipiendi etiam ab inferioribus in statu et scientia.

Sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. Herodis, secluso iniquæ intentionis oculo tenebroso, consultatio ad eruendam et inveniendam veritatem, ad aliorum principum et magnatorum exemplum non potest non laudari, qui quidem in rebus gerendis consilium a sapientibus et prudentibus, a presbyteris præcipue capere debent, juxta illud Ezech. XXV. in principio : *A presbyteris cognosce consilium* ; et Ecclesiast. XXXII. *Fili, sine consilio nihil facias ;* et Proverb. VIII. v. 12. *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.* Et cap. XXIV. v. 6. *Et erit salus, ubi multa consilia* ; et ideo P. Joannes Fernandes in suo Scripturarum thesauro, verbo, Consilium. num. 9. sic infert : « Magi in Hierusalem peritos legis consuluerunt ubi Christus nasceretur, sed spreverunt consilium Herodis, qui dixit eis : *Et cum inveneritis, renuntiate mihi ;* quia scriptum est, Eccles. VIII. *Cum fatuis consilium non habeas ; non enim potuerunt diligere, nisi ea quæ eis placent.* » Quam doctrinam saluberrimam intendens Christus Dominus nostris animis infigere, cum esset magni consilii Angelus, et in quo requievit spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, et in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, sciens ipse quid esset facturus, dixit ad Philippum, Joan. 6. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Nullus etenim adeo ignarus et insipiens homo est, qui in negotiis, præsertim alienis, verum aliquod non attingat, aperiat, aut saltem insinuet, ut bonum amplectatur, aut malum vitetur. Unde prudens illa Tullii Ciceronis, Philip. 3. sententia emanavit : « Summi gubernatores in magnis nonnunquam tempestatibus a vectoribus admoneri solent. » Et laudatur Adrianus Imperator a Dionysio Cassio in ejus vita, quia libenter patiebatur admoneri et corrigi, vel ab humili persona. Et Seneca, lib. XIX. epistola 110. « Quid sapiens sapienti proderit? impetum illi dabit, occasiones actionum honestarum commonstrabit, præter hoc aliquas suas cogitationes exprimet, docebitque quæ invenerit : semper enim etiam sapienti restabit, quod inveniat, et quo animus ejus excurrat. » Quis obsecro, divina Scriptura non docente, vel musitare auderet? quod dicitur v. 22. et II. Petri II. quod *subjugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam.* Pulcherrime hoc etiam nos docuit Evangelistæ Joannis revelatio facta, Apoc. v. *et vidi*, inquit, *et ecce in medio throni, et in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum* : clare principibus insinuans quod in sublimitate throni et potestatis suæ, esse debent in medio seniorum, ab eis capientes consilium, tamquam Agni mansueti et mortui, id est, ab omni passione et affectione liberi, solam intendentes veritatem. D. Dionysius Areopagita, lib. de cœlesti Hierarchia, asserit in tertio et supremo ordine hierarchico, juxta Thronos adesse immediate Cherubinos. Per Thronos potestas designatur, per Cherubinos vero scientia

et consilium. Mirabilis profecto conjunctio est, quando potestas a sapientia et consilio roboratur. Si enim Naamam princeps militiæ regis Assyriæ, vir magnus apud dominum suum, et honoratus : per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ ; erat autem vir fortis et dives, consilium captivæ puellæ parvulæ suæ, et aliorum servorum suorum despexisset, absque dubio a lepra non esset mundatus. Exemplo etiam præstantissimo nobis sit Moyses, qui licet amicus Dei maximus, et totius populi sui dux fortissimus esset, ductorem tamen, per viam quam ignorabat, consanguineum suum Hobab rogato accersivit, Numer. x. dicens : *Noli nos relinquere : tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster.* Quamvis enim, ut docet S. Thomas, 1. p. q. CVI. art. III. ad 1. « Ecclesiastica hierarcha imitetur cœlestem aliqualiter, sed non perfecte consequitur ejus similitudinem : in cœlesti enim hierarchia tota ratio ordinis est ex propinquitate ad Deum ; et ideo illi qui sunt Deo propinquiores, sunt et gradu sublimiores, et scientia clariores ; et propter hoc superiores numquam ab inferioribus illuminantur ; sed in ecclesiastica hierarchia, interdum qui sunt Deo per sanctitatem propinquiores, sunt gradu infimi, et scientia non eminentes : et quidam in uno etiam secundum scientiam eminent, et in alio deficiunt ; et propter hoc superiores ab inferioribus doceri possunt. » Unde non satis laudatur summi pastoris Leonis IV. exemplum, quo Ludovico Augusto in hæc verba rescripsit : « Nos si incompetenter aliquid egimus, et in subditis justæ legis tramitem non servavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio : quoniam si nos, qui aliena corrigere peccata debemus, pejora committimus, certe non veritatis discipuli, sed quod dolentes dicimus, erimus præ cæteris erroris magistri, » etc. het. in c. Nos. 2. q. 7.

Minores in ecclesiastica hierarchia consuli debent, secus in hierarchia cœlesti.

At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : sic enim scriptum est per Prophetam : Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israël. « Magi apud Hierosolymam dicentes : *Ubi est qui natus est rex Judæorum?* aliquid supponunt, docet S. Thomas hic, scilicet Christi nativitatem ; et aliquid quærunt, scilicet locum ; » qui etiam S. Doctor, ex S. Augustino, 3. p. qu. XXXVI. art. VIII. ad 3. optime sic advertit.

Doctor, etiam indignus, pro fidelium utilitate dicit, et docet veritatem.

« Stella quæ Magos duxit ad locum ubi erat cum matre Virgine Deus infans, poterat eos ad ipsam perducere civitatem Bethlehem, in qua natus est Christus : sed tamen subtraxit se, donec de civitate in qua Christus nasceretur, etiam Judæi testimonium perhiberent, ut sic geminato testimonio confirmati, sicut Leo Papa, ser. 36. de tempore dicit, attentiori fide expeterent quem et stellæ claritas, et prophetiæ manifestabat auctoritas. Et ita Magi ipsi annuntiant Judæis Christi nativitatem, et interrogant locum ; credunt, et quærunt, tamquam significantes eos qui ambulant per fidem, et desiderant speciem. » Unde Principes sacerdotum et Scribæ ab Herode sciscitati, divinæ Scripturæ oraculo et Michææ prophetæ testimonio, veritatem loci, ubi Christus nasceretur, protulerunt. *At illi dixerunt, in Bethlehem Judæ*, etc. Quod propter sanctorum regum merita factum non dubitamus, licet Principes sacerdotum et Scribæ essent prorsus indigni, juxta doctissimi Petri de Rabena verissimam sententiam ad nostrum propositum satis conducentem in quodam sermone. « Tantum accipit doctor quantum meretur auditor : ut enim infantis regii nutrices delicatis cibis pascuntur, quo purissimi lactis fontem alumnis suis propinent ; ita supernus ille Rex verbi sui ministros, licet immeritos, propter filiorum suorum alimoniam, cœlestis mensæ cibis nutrit et pascit, quo delicatius illos lactare et pascere valeant. » Ad aliorum ergo, et non ad suam ipsorum utilitatem vera dixere ; Judæi autem indicantes eis locum nativitatis Christi, similes effecti, secundum D. Augustinum, sermone 34. de tempore, et D. Thomam, 3. p. q. XXXVI. ar. VIII. ad 3. fabris arcæ Noë, qui aliis ubi evaderent, præstiterunt, et ipsi diluvio perierunt. Audierunt et abierunt inquisitores, dixerunt et remanserunt doctores, similes lapidibus milliariis, qui viam ostendunt, neque ambulant. Divino etiam nutu factum est, ut aspectu stellæ subtracto, Magi humano sensu in Hierusalem irent, quærentes in civitate regia Regem natum ; ut in Hierusalem, primo Christi nativitas publice annuntiaretur, secundum illud Isaiæ II. *De Sion exibit lex, et verbum Domini de Hierusalem* ; et ut etiam studio Magorum de longe venientium, damnaretur Judæorum pigritia prope existentium. »

Ex quo P. Barradas, tomo I. lib. IX. cap. 13. in medio, optime colligit et advertit, in

ctor ver-
o et non
pere, est
lut æs so-
ns, ut cri-
um, ut di-
ersorii ta-
lla, ut te-
orum sagit-
, ut lapi-
eus aquæ
luctus, et
lii Ruben.

hæc verba : « Impium Herodem impii imitantur reges : Sacerdotes vero et Scribas, qui nati Christi locum Herodi et Magis indicarunt, improbi imitantur sacerdotes ac doctores ; Scribæ Judæorum ac Sacerdotes Herodem Magosque ubi Christus natus esset, verbis tantum, non etiam opere docuerunt. Quantum erat, ait Augustinus sermo 6. ut Magis quærentibus Christum comites fierent, eum ab eis audissent quod visa stella ejus venerint, eum adorare cupientes ; ipsi eos ad Bethlehem quam indicaverant, ducerent, pariter viderent, pariter adorarent. Nunc vero aliis demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate. » De his enim et similibus, verbo tantum et non opere docentes et prædicantes, dicebat Magister veritatis Christus Dominus, Matth. XXIV. *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt in humeris hominum ; digito autem suo nolunt ea movere.* Super quod Hugo de S. Victore, lib. de claustro animæ, hoc appositissimum simile adduxit : « Solent mercatores duabus mensuris uti, quandoque una, qua vendentes sua distribuunt, quæ mitior est : altera vero, qua ementes aliena, recipiunt, sed hæc major est ; majorem sibi, minorem proximo : sic quidam prælati avaritiæ et voluptatis mensura utentes, nimiæ parcitatis vasculo subjectis ministrant ; ipsi autem pleno superfluitatis utentes modio, parcitatem prædicant subjectis, sed ipsi voluptatem sequuntur. » De qua justitiæ inæqualitate, Proverb. XX. v. 10. dicitur : *Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum.* Nec dissimiles profecto hujusmodi prælati et concionatores a filiis Ruben et Gad reperientur, qui exhortantes filios Israël ut in promissionis terram proficiscerentur, ipsi tamen ignavi remanebant ubi virentia prata animalibus pascendis invenerunt, ut habetur Num. XXXII. eosque D. Bernardus cribro farinæ similam mittenti, ex qua alii pulchrum et delicatum conficiunt panem, et sibi furfures tantum retinenti, assimilat ; æquipararique facile possunt aquæ ductui lapideo, aut ligneo, per quem transeunt et dividuntur aquæ quibus irrigantur hortorum plantationes, et producuntur pulcherrimi flores, ipso tamen aquæ ductu, ipso scilicet prædicatore, sicut antea duriore et sicciore remanente. Monstruosum quippe est hominem longiorem linguam, quam manum habere. *Facti velut æs sonans aut cymbalum tinniens*, I. Corinth. XIII. Cymbalum namque ad sacra vocat fideles, ipso temporis injuriis foris remanente, sicut diversorii tabella, vel turrium sagitta, quæ alios ab eminenti ventorum tempestate docet fugere, illa vero eisdem semper exposita ; et clarius ad Rom. II. v. 19. et 20. *Confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege ; qui ergo alium doces, te ipsum non doces ; qui prædicas non furandum, furaris ; qui dicis non mœchandum, mœcharis ; qui abominaris idola, sacrilegium facis ; qui in lege gloriaris, et per prævaricationem legis Deum inhonoras.*

Magi Christum in loco nativitatis suæ invenerunt.

Qui cum audissent regem, abierunt ; et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens, staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde ; et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Sancti ergo hi reges, audito ab Herode nuntio fallaci, et a Principibus sacerdotum et Scribis intellecta et accepta divini eloquii veritate, simul cum stellæ claritate, quæ antecedebat eos, ad locum destinatum ubi erat puer, maxima cum animorum alacritate profecti sunt. Et licet in hoc loco designando doctores non conveniant, verior tamen et receptior sententia est in eodemmet loco fuisse Christum a Magis adoratum, in quo natus fuit. Ita defendunt D. Hieronymus, ep. 18. et 27. et D. Chrysostomus, homilia 6. in Matthæum, et Gregorius Nyssenus, in oratione de Nativitate Christi, et D. Cyprianus, de stella et Magis, et Theodoretus, in oratione de Nativitate Christi ; sed præstantius Euthymius, Matthæi II. dicens de Evangelista : « Tugurium hic domum appellat, quod Lucas diversorium dixit : domus enim erat quod utcumque inhabitaretur. » Et alii plures Patres et doctores quos referunt et sequuntur P. Suarez, to. II. in 3. p. q. XXXVI. art. VIII. disp. 14. sect. 4. §. verior tamen : et P. Salmeron, III. tomo, tractatu IV. ante medium, §. cæterum his contraria. et §. similia docet, et P. Barradas, tomo I. libro IX. cap. 10. super illa verba : *et intrantes domum* ; et expressius quidem divus Justinus in dialogo contra Tryphonem sic dixit : « Nato autem tum puero in Bethlehem, quia Joseph in vico eo non habuit quo diverteret, in specum quemdam vico proximum concessit, atque ibi cum essent, enixa est Maria Christum, et in præsepi posuit, ubi eum ex Arabia venientes invenere Magi. » Quæ sen-

tentia non parum confirmatur ex Ecclesiæ picturis, cum ejusdem Ecclesiæ in festo Epiphaniæ antiphona sic dicente : « Hodie stella Magos duxit ad præsepium ; » tum etiam quia verior sententia docet Magos Bethlehem pervenisse decimotertio die post Christum natum. Beatissima autem Virgo non discessit a loco partus usque ad quadregesimum purgationis diem. Bene enim noverat sanctissima Deipara locum illum omnibus regum ac imperatorum palatiis longe esse præstantiorem, quem nativitate sua, et omnium Angelorum frequentia Deus consecrarat. Unde eleganter et merito D. Augustinus, serm. 2. de Epiphania, dixit : « In præsepi tunc jacebat, et Magos ab Oriente ducebat; abscondebatur in stabulo, et agnoscebatur in cœlo, ut agnitus in cœlo, manifestaretur in stabulo. »

Jesus semper cum Maria invenitur, et Maria cum Jesu in cœlo, et in terra.

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Semper Jesus cum Maria, semperque Maria cum Jesu : « est enim, ait P. Salmeron, tom. III. tract. XL. in medio §. est enim. ab æterno prædestinatus Jesus; at non sine Maria dictum est de eo : *Adorent eum omnes Angeli ejus* ; at non sine illa Sion, quæ audivit et lætata est; eoque et ipsa super eos est exaltata : concipitur ex tempore in Nazareth ; sed non nisi in Maria assensum præstante. Nascitur in Bethlehem, sed ex Maria ; adoratus est a militia cœlestis exercitus, sed prius a Maria, quæ prima lactat, ac fovet, educatque. Invenitur et a pastoribus et Magis ; semper tamen adest Maria, quæ conservat omnia verba, conferens in corde suo. Exhibetur in templo, at non sine Maria ; secedit in Ægyptum, fugiens Herodem, verum Mariæ in ulnis gestatur. Edit primum miraculum ad nuptias in Cana Galilææ, sed postulante Maria; prædicat turbis, sed contendit audire B. Virgo. Pendet in cruce, sed prima juxta crucem fortissima Maria exprimitur. Deponitur de cruce in sindone munda, sed hic elegans contemplator agnoscit eam feminam, quæ vere munda circumdedit virum. Sepelitur in sepulchro novo quod excissum fuerat de petra; sed quodnam est sepulchrum aliud quam ipsa beata Virgo, quæ excissa est de petra, hoc est, de Christo, sicut prima femina de costa viri. Resurgens apparuit mulieribus, deinde discipulis, sed primo Virgini matri. Ascendit Jesus Christus in cœlum, sed ut prima et electissima dona accipiat Maria. Orant Apostoli pro adventu Spiritus sancti, sed et ibi adest Maria, preces ipsorum fulciens, atque perficiens. Sedet Filius ad dexteram Patris, sed consedere fecit et Matrem, ut dignissimam Reginam in vestitu deaurato, circumdatam varietate. Denique operatur Jesus venturus ad judicandum vivos et mortuos; quis non contempletur ejus lateri adesse Mariam? Nam decem virgines, in quibus repræsentatur tota Ecclesia, exierunt obviam sponso et sponsæ, nimirum Christo et Mariæ. »Tum præterea quia cum nomen Jesu scriptum sit primum in libro vitæ, nomen Mariæ post illud immediate etiam scriptum est. Et ideo duo hæc nomina ita sunt similia adhuc in numero litterarum, quod inter ea nullum signum distinctionis reperitur, ut in lib. III. tractatu V. diximus. Sunt etiam hæc duo nomina, Jesus et Maria, ita connexa, quod ubicumque Christi imperium augetur, crescit etiam Deiparæ nomen et imperium, ut in lib. III. tractatu VII. resolvimus. Et tandem excellentissima Mariæ dignitas per Christi excellentiam cognoscenda est, ut in lib. III. tractatu VII. disseruimus, ubi quod ad cognoscendam Virginis dignitatem servandus est modus et ordo, quem ad Dei cognitionem custodimus. Unde mensura donorum, prærogativarum et privilegiorum Mariæ, est ipsa Dei omnipotentia, et sic illi concedendum est omne quod contradictionem non implicet, ut in lib. III. tract. I. actum est.

Quare cum Pastores invenerint Christum cum Maria et Josepho : Magi vero solum puerum cum Maria absque mentione Josephi.

Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Rogabis forsan cum pastores puerum cum Joseph et Maria invenerint, ut dicitur Lucæ II. v. 16. quare in hac Magorum inventione et adoratione, nulla fiat Josephi mentio? Ad quod Glossa ordinaria, et S. Thomas, et P. Maldonado, et Beda, super hunc locum, et P. Salmeron, tomo III. tract. XL. in medio, §. similia ; respondent, et quidem optime, divina dispensatione factum esse quod tunc non adesset Joseph, ne istis, qui primitiæ Gentium erant, daretur suspicio pravæ opinionis et suscipionis malæ occasio, communis generationis ratione hunc parvulum fuisse natum : nam Gentes ex Sibyllinis libris, aut aliunde novisse poterant regem quem quærebant, ex Virgine nasciturum ; vel, ut daretur locus Magis cogitandi Messiam regem, quem ut Deum adorabant, patre in terris carere, et conceptum esse de Spiritu sancto, natumque tantummodo ex Virgine matre. Et etiam nulla hic Josephi vel aliorum fit mentio, quo

Herodi puer magis celaretur. Quæ certe rationes in simplicibus pastoribus aperte cessabant. Unde doctores, expositores sacrorum Bibliorum, divini eloquii concionatores, et in theologia morali consulentes, longe aliter se habere debent cum rusticis hominibus et simplicibus, ac cum doctis et sapientibus, ut in lib. I. tractatu III. resolvimus.

Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus. Tres isti Magi sapientes et reges divinæ stellæ ducti splendore felicissime ipsum quem quærebant, Judæorum totiusque orbis Regem, illiusque sanctissimam matrem invenerunt; et pie valde credi potest quod D. Chrysostomus, homil. 7. in Matth. tomo 2. refert, advenientibus Magis, Mariam Christum tulisse, et ipsum super genua habuisse; idemque Theophylactus et Euthymius confirmant : sic enim melius intuerentur Magi quem adorare venerant; et valde etiam verisimile est Christum simul cum matre Magis ingentia signa edidisse lætitiæ, et de illorum salute et adventu. Et incredibile etiam est quo affectu, quo jubilo, atque interno gaudio Magi perfusi ac repleti sunt, ex quo domum intraverunt, et puerum cum matre Virgine videre meruerunt. De quo agit P. Salmeron, in dicto tract. 40. §. Porro Magi; et §. verum incredibile.

Magi perfecte adoraverunt Christum latria, et Deiparam hyperdulia.

Et procidentes adoraverunt eum. S. Thomas locum istum explicans sic ait : « Prociderunt Magi tripliciter, in adorando, offerendo et obediendo; procidentes ergo adoraverunt eum tanquam Deum in homine latentem, Psalm. LXXII. *coram illo procident Æthyopes;* item offerendo, reverentiam exhibuerunt, unde *et apertis thesauris suis*, etc. Consuetudo enim erat apud Persas, quod semper cum munere adorabant; ex hoc est, *et apertis thesauris*, etc. Ps. LXXI. *Reges Tarsis et insulæ munera offerent; reges Arabum et Saba dona adducent*; et Isaiæ LX. *Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes.* Item, obiendo, unde : *et responso accepto in somnis*, etc. de quo statim dicemus. Et P. Salmeron, in d. tract. 40. §. et procidentes, et §. procidentes : « Non paupertate offenduntur Magi, sicut nec pastores stabulo, nec latro et centurio in cruce et morte Domini, sed Regem et Filium Dei verum agnoscunt : adorarunt cultu latriæ, quæ soli Deo debetur. Nam si ut hominem adorassent, nec dulia, vel hyperdulia pauperem coluissent. Procidentes itaque in terram, offerunt Christo corpus : adorantes latria, offerunt animam; aperientes thesauros suos, offerunt quæ habebant, bona temporalia. In quo quidem honore Christo deferendo, matrem quoque suo modo venerati sunt. Nam latria, quæ soli Deo debetur, ab hyperdulia, quæ B. Virgini, non tam signis externis, quam ipso animo distinguitur. Qui ergo adorat filium, adorat et matrem, quoniam filius a matre proficiscitur secundum carnem : quemadmodum mater ex filio secundum spiritum. Vere enim Christus et Maria fuerunt duo in carne una. Et sicut qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem : ita qui non honorat Matrem, Filio detrahit. »

Cognoverunt ergo Magi in homine Deum, et inde ei latriæ adorationem præstiterunt. S. Ambrosius, lib. II. in Lucam : « Cognoverunt Magi hanc esse stellam, quæ hominem, Deumque significabat, et adoraverunt parvulum; utique non adorassent, si parvulum tantummodo credidissent. » Et S. Leo Papa, sermone 1. Epiphan. sic more suo luculenter perscripsit : « Adorant Magi in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum majestatis, utque sacramentum fidei suæ, intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur; thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi, scienter divinam, humanamque naturam in virtute venerantes, quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diversum. »

Divina dona qualiter occultanda, et qualiter aperienda sint, dum sumus in via.

Et apertis thesauris suis. Sapientes Magi thesauros suos in via non aperuerunt, sed postquam ad terminum, Christo Domino jam invento, pervenerunt. In quo Glossa ordinaria et S. Thomas hic dicunt magnum nobis mystice aperiri religionis sacramentum. Verba Glossæ et S. Thomæ sunt hæc : « Mystice et moraliter considerandum est quod isti non in via, sed tum primo aperuerunt thesaurum, quando venerunt ad Christum, unde Matt. XIII. dicitur : *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit*, etc. Magnum religionis sacramentum hic aperitur, ut fide prævia thesauros nostros in via non pandamus, donec præteritis hostibus, soli Deo ex occultis cordium offeramus. Ezechias quia thesauros alienigenis prodidit, Isaiæ XXXIX. condemnatur in posteris. » Et ideo S. Gregorius, homilia 11. in principio, super me-

morata Matthæi verba, cap. 13. « *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit,* vere et eleganter ait : « Notandum est quod inventus thesaurus absconditur ut servetur ; quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit; in præsenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra non videant ; cum scriptum sit : *Videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est :* sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, ut de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum ; » semperque practice in mentibus nostris fixum habeamus illud Isaiæ XXIV. v. 16. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.*

Quilibet Magorum tria munera obtulit; et quid per ea significetur nobis.

Obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Generaliter et absque ulla distinctione Evangelista noster ait Magos obtulisse Christo munera, aurum, thus et myrrham, et ideo ex notis juris utriusque principiis, nec nos distinguere debemus, sed plane fateri unumquemque Magorum tria hæc munera, aurum, thus et myrrham obtulisse, ut defendunt Glossa ordinaria, S. Anselmus, Lyra, n. 2. et Carthusianus, et Abulensis, quæstione 46. super hunc locum, et S. Bonaventura, de vita Christi, cap. 9. et P. Salmeron, in d. tract. 40. §. verisimile. et P. Barradas, lib. IX. cap. 10. ad fin. super eadem verba : *Apertis thesauris suis obtulerunt,* etc. qui sic suam probant sententiam. Primo, quia licet aurum solum principis viri donum esse possit, sola myrrha, aut solum thus non est in divite homine dignum munus, maxime cum regio illa ejusmodi abundet aromatibus ; oportuit ergo myrrham et thus illustrare auro. Secundo, quia Magi pares erant, et tria illa munera magis mysterio congruunt, quia omnis vere christianus Christum Deum regem et passum confitetur, et divina inspiratione factum est, ut in hoc sit mysterium omnium, unde et figuraliter tria dicuntur, regia scilicet potestas, divina majestas et humana mortalitas.

In hac ergo trium munerum oblatione Magi, superno lumine, puerum regem, Deum et hominem esse mortalem, cognoverunt. S. Thomas hic, et 3. parte, quæst. XXXVI. art. VIII. ad 5. sic docet : « Vident enim hominem et agnoscunt Deum ; offerunt munera dignitati Christi congruentia : aurum quidem, quasi regi magno, Hieremiæ, XXIII. *Regnabit rex, et sapiens erit* ; thus, quod in Dei sacrificio ponitur, immolatur ut Deo, Psal. CXL. *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Myrrha, qua mortuorum corpora condiuntur, præbetur tamquam pro salute omnium morituro. » Ubi ex S. Gregorio, homil. 10. in Evangelia, post medium, ad nostram utilitatem colligit : « In quo etiam, ut Gregorius dicit, instruimur ut nato Regi aurum per quod significatur sapientia, offeramus, in conspectu ejus sapientiæ lumine splendentes, Prov. II. v. 3. et 4. *Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ ; si quæsieris eam quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis illam, tunc intelliges,* etc. Thus autem, per quod exprimitur orationis devotio, offerimus Deo, si per orationum studia Deo redolere valeamus ; *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum.* Psalm. CXL. Myrrham autem quæ significat mortificationem carnis, offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificemus : ad Coloss. III. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram* ; et Cant. v. *Manus meæ distillaverunt myrrham.* » Quod quidem Ecclesia in responsorio Epiphaniæ satis declarat : « Tria sunt munera pretiosa quæ obtulerunt Magi Domino, et habent in se divina mysteria ; in auro, ut ostendatur regis potentia ; in thure, sacerdotem magnum considera ; in myrrha, dominicam sepulturam. »

Religiosi per professionem offerunt Deo tria dona, ad similitudinem Magorum.

Et quamvis hæc tria munera modo explicata fideles omnes offerre teneantur ; « Religiosi vero, ait P. Salmeron, tract. 40. §. et quoniam ; qui peculiari quadam ratione divino se famulatui manciparunt ac consecrarunt, offerunt aurum per votum paupertatis, omnibus fortunæ bonis renuntiantes ; thus per votum obedientiæ, seipsos in perpetuum vitæ offerentes holocaustum Deo ; myrrham vero per votum castitatis, carnis motus coërcentes, atque ab omni petulantia, incontinentiaque servantes. » Ut sic jam nihil mediet inter verum religiosum et Deum, ut optime advertit Albertus Magnus, lib. de adhærendo Deo. « Nihil, ait, erit medium inter te et Deum ; quod sic patet : quia nec res

aliqua ab extra, cum per votum voluntariæ paupertatis ablata sit omnis rei possessio usque ad ultimum; per castitatis votum corpus; et per obedientiam voluntas, et ipsa anima; et sic quodammodo nihil relinquitur quod mediet inter te et Deum. Quod autem religiosus sis, probat professio ipsa, status tuus, et nunc habitus tuus et tonsura, et similia hujusmodi; sed an fictus an verus religiosus sis, tu videris. Animadverte ergo quam graviter degeneres, et pecces in Dominum Deum tuum, et in omnem suam justitiam. »

Fidelis vero quilibet quotidie offerat aurum eleemosynæ alicujus, precationis devotæ thus, et myrrham, pravos atque perversos redimendo appetitus corporis, et noxias cupiditates; atque hac ratione festum diem Epiphaniæ quotidie celebrabit, ac se verum regem stella ductum ad Christum ostendet, et religiosorum statum in modo sibi possibili imitabitur, ut docuit S. Thomas, in additionibus ad 3. p. q. XV. artic. III. in corp. « Ex bonis fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleemosynam, ex bonis corporis per jejunium, ex bonis autem animæ per hoc quod ea submittimus Deo totaliter, et hoc fit per orationem. » Intendens igitur sæcularis super egenum et pauperem per eleemosynæ largitionem, offeret Christo aurum, et imitabitur religiosorum paupertatem; jejunans, per ciborum abstinentiam et vitiorum mortificationem, offeret myrrham, et imitabitur eorum castitatem; orans Deum, ei et ejus voluntati et legi parendo, ac se submittendo, offeret thus, et obedientiam imitabitur.

Magi responsum a Deo per Angelum acceperunt.

Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem. S. Thomas hic difficultatem movit, et diluit in hunc modum. « Sed quomodo responsum acceperunt Magi, qui non interrogaverunt? Sed dicendum quod Dominus respondet aliquando interrogationi mentali, et isti intus quærebant quid placeret Deo de reversione; Exodi XIV. *Quid clamas ad me?* Et Glossa interlinearis, in idem sic ait: « Quia intus quærebant quid vellet divina voluntas de reversione ad Herodem, Dei meruerunt responsionem, qua cognita veritate, non licet retroire. » Utrum autem responsum hoc fuerit ab ipso Deo immediate, an vero per Angelum ipsis regibus datum, sub judice lis adhuc est. D. Thomas loco proxime citato censet datum fuisse responsum a Deo per Angelum in hæc verba: « Sed numquid sunt revelationes immediate a Deo? Dionysius probat quod nonnisi mediantibus Angelis. Quare ergo non nominat Angelum? sed dicendum quod quandocumque Scriptura facit mentionem de Deo, et non de Angelo, hoc fit per quamdam excellentiam illius manifestationis; ad Galat. III. *Lex ordinata est per Angelum in manu Mediatoris;* Actorum VII. *Hic est Moyses qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Dominus de fratribus vestris, tamquam me ipsum audietis*, etc. Unde quod dicit Glossa: Quod hoc fuit immediate per Deum, refertur ad modum loquendi Scripturæ. » Quem sequuntur Lyra, num. 3. Cassianus, et Abulensis in eodem loco, et Simeon Metaphrastes, in vita Theodosii, et P. Salmeron in dicto tract. 40. §. est autem Græce, sic dicens: « Annotandum venit primo quidem per stellam Magos edoctos fuisse, deinde vero per prophetam, de loco Bethlehem, postremo per Angelum, qui ut nuntius Dei, per somnium admonuit ne redirent ad Herodem, ut statuerant, mali de Herode nihil suspicantes. » Et P. Barradas, lib. IX. cap. 10. ad finem, super eadem verba: *Responso accepto in somnis.* Et ita est tenendum, quamvis Glossa ordinaria hoc loco defendat responsum hoc fuisse a Deo absque angelico ministerio immediate datum. « Hæc responsio, ait, non fit per Angelum, sed per ipsum Deum, quia nullus alius viam reversionis instituit, nisi ille, qui dicit Joann. XIV. *Ego sum via, veritas et vita;* non loquitur puer ad eos, ne divinitas ante tempus revelaretur, et vera humanitas habeatur. » Et Christianus Druthmarus, in hom. Epiphaniæ sic ait: « Sicut solent reges terreni legationibus responsa reddere, similiter fecit Dominus regibus, qui ad se adorandum venerant; ipse per se reddit responsum, etiam in somnis. »

Et quod majus est D. Hieronymus, super hoc c. Matthæi expresse dixit: « Responsum non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur. » Et quamvis hæc postrema D. Hieronymi verba, « ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur, » difficultate carere non videantur; quapropter P. Salmeron loco proxime citato, ea hoc pacto qualificat: « Quis non videat in his verbis paucis memoria lapsum esse Hieronymum? Dicendum enim erat, ut constat ex præcedentibus: ut meritorum Magorum privilegium demonstretur; » tamen verba illa D. Hieronymi, prout jacent, debite in favorem

sanctissimi Josephi intelligi et interpretari possunt, quod scilicet, cum sanctus Joseph ita excellenter fuisset spiritualiter dispositus, quod in sanctitate et justitia omnes veteris Testamenti Patres, imo in gratiis gratum facientibus, ipsos etiam Apostolos superaverit, ut in lib. IV. tract. VII. per totum probavimus; ad credendum, et in omnibus Deo parendum non eguit apparitione, nec revelatione a Deo immediate facta, sed per ejus Angelum tantum. Magi vero quasi modo geniti infantes lactandi fuerunt, ex D. Hieronymi sensu, responso a Deo immediate exhibito; et sic verba illa Hieronymi: « Responsum non per Angelum fit Magis, sed per ipsum Dominum, ut meritorum Joseph privilegium demonstraretur; » in maximum sanctissimi Josephi encomium, excellentiam et dignitatem cedunt.

Dei providentia non excludit humana media, neque miracula sunt semper spectanda.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Circa quod quærit P. Salmeron, tract. 40. §. sed cur Dominus, etc. Cur, inquam, Dominus qui poterat hos reges servare illæsos, etiam invito Herode, qui olim Israëlem in medio maris salvavit, Exod. XIV. qui olim Danielem in lacu leonum, pueros tres in fornace ignis ardentis, Daniel. III. et ult. qui olim David in persecutione Saulis, I. Reg. XIX. qui olim Susannam a falso crimine, Dani. III. Cur, inquam, Dominus jubet eos clanculum abire? Poterat plane servare Magos, sed noluit margaritam dare porco Herodi; tum etiam ut doceat nos Deus quod, dum non est revelatio aliud detegens, quam per miraculorum operationem, ea non edit, nisi ob urgentem aliquam necessitatem, quæ hic minime urgebat, pericula prudenter declinemus. *Deus enim attingens a fine usque ad finem fortiter, omnia suaviter disponit*, Sap. VIII. v. 1. Unde humana et ordinata media non excludit, ut in sanitate divinitus regi Ezechiæ data, et nihilominus, *Jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur*, Isaiæ XXXVIII. v. 21. Et cum angelica revelatione didicisset Paulus, nullius animæ amissionem futuram ex tempestate et naufragio, nihilominus tamen jussit alleviari navim, jactantes triticum in mare, Act. XXVII. a v. 23. usque 39. ne prudentialia et naturalia hæc media omittentes Deum tentare velle videamur. Unde ipsemet Dominus aliquando fugit, Matth. VII. seque proripuit, cum tamen potuisset se invitis hostibus servare; Joan. VIII. et verbo et exemplo docuit fugere, seque subtrahere, cum non adsit nobis facultas miraculo nos tuendi et servandi, Matth. X. et in maximis angustiis, omni humano medio destitutis, nos Deo totos committere, et preces fundere debemus et liberabit nos, juxta illud Psal. XLIX. *Invoca me in die tribulationis, et eruam te, et honorificabis me.* Quis obsecro dubitare poterit illum tentare Deum, qui panem habens, nollet eo vesci, sed expectaret panem de cœlo; vel qui nollet laborare, dicens: Confidam Deo, bene crescent frumenta sine cura et labore meo; similiter etiam ille qui verbum Dei habet, plus tamen credit rationi, quam scripturæ, Judith VIII. Tentat præterea ille qui gratiam Dei habet, et dona naturalia, sentitque divinos afflatus internos, non tamen sequitur, nec cooperatur, expectatque ut violenter trahatur ad bonum per Deum; quæ tentatio viris etiam religiosis aliquando familiaris esse solet, quibus Deus ipse eorum ignaviam reprehendens dicit Psal. XXXI. v. 8. *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris; firmabo super te oculos meos.*

Pœnitentes qualiter per aliam viam reverti debeant.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. S. Thomas et Glossa ordinaria et omnes sic explicant: « In hoc ostenditur, ait S. Thomas, quod ad regionem nostram paradisum, a qua per peccatum expulsi sumus, per obedientiam pervenimus; Proverb. 4. *vias, quæ a dextris sunt, novit Dominus; perversæ vero sunt, quæ sunt a sinistris.* Chrysostomus hic dicit, quod isti reversi egerunt sanctam vitam, et postea facti sunt coadjutores S. Thomæ Apostoli; tamen nihil de eis invenitur scriptum in sacra Scriptura post recessum eorum. » Sed elegantius et pulchrius D. Gregorius, hom. 10. super hoc c. II. Matthæi, in hæc verba: « Magnum vero nobis aliquid Magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam reverturtur, in eo namque quod admoniti faciunt, nobis profecto insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est, ad quam Jesu cognito, redire per viam qua venimus, prohibemur; a regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur; quoniam qui a paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur. »

Ex hoc eodem Evangelii loco: *per aliam*

Christiani ges quali- r regna sua gubernare debeant.

viam reversi sunt in regionem suam, exemplum bonis regibus sancte et juste gubernare cupientibus, aperte proponitur, teste P. Salmerone, in dicto tract. 40. §. illud vero ; « Sancti ergo reges sunt, qui stella duce, id est, prævenientе fide Christi, quæ cœlitus donatur, et vim habet indicandi Christum regem Judæorum, quærunt, illumque tali adoratione et muneribus prosequuntur : discentesque ab eo sancte, sapienterque gubernandi rationem ac normam, per aliam viam revertuntur in regionem suam ; quatenus ab omnibus abusibus et corruptelis, quibus ut ambitiose regnarent, et populum expilarent, vel deglutirent, vel devorarent, velut escam panis, ut Prophetæ verbis, Ps. XIII. utar, nuntium mittentes : Justis tantum legibus sancte et religiose observatis regna administrant sua, atque his quidem illud imprimis curæ esse debet, ut fidei puritas et integritas, divinusque cultus vigeant, atque florescant ; donisque pretiosis templa Dei atque sanctorum exornent basilicas ; quemadmodum fecisse legimus Constantinum illum magnum, cujus ampla et pretiosa in Dei Ecclesiam munera extiterunt, ac Deo placuerunt. »

agi ad pa- iam reversi apostolice vixerunt ; usque ad ortem eo- m historia refertur.

Sibi ergo christiani reges per aliam viam revertentes, horum trium Magorum regum mirabile exemplum imitandum ob oculos semper habere debent. Qui quidem, ut ex historiis constat, et tradunt clarissimus doctor Joannes Eckius, acerrimus fidei defensor, hom. 5. Epiphaniæ, et doctissimus Magister Petrus de Palude, in enarratione I. Epiphaniæ Domini ad finem, in regionem suam reversi, sanctam et apostolicam vitam sic instituerunt, fidem quam semel a Deo acceperant, pro viribus suis disseminarunt. « Perveniunt, inquiunt, ad montem faus, ibique in honorem novi regis sacellum construxerunt, in quo, ut dicitur in historia trium Regum, arma sua depingere fecerunt, cum puero, Matre et stella ; deinde quilibet in sua est reversus. Post Ascensionem vero Domini Thomas Apostolus in Indiam veniens, perfecta Dei sacramenta eis annuntiavit, illosque de mysteriis vitæ, passionis et ascensionis Christi perfecte instruxit, et eos baptizavit, et quemlibet eorum in archiepiscopum in suo regno ordinavit, quibus illi sedulo adjuti, conati sunt subditos suos ad fidem amplectendam convertere, ac demum injunxit ut quolibet anno ad sacellum in monte faus, quod etiam Apostolus consecravit, convenirent, et ibi memoriam Natalis Christi et Epiphaniæ celebrarent, quod libentissimo ipsi animo adimplere. Cum ergo grandevæ essent jam ætatis, et circa Natalem Christi in sacello convenissent, tunc Melchior senior, in octava Nativitatis Christi, ibidem obdormivit. Deinde in die Epiphaniæ post Missarum solemnia Balthazar, qui prior inunctus, et eodem fuit sepulchro sepultus ; demum, in octava Epiphaniæ Gaspar, qui dum ad sepulchrum priorum duorum fuisset allatus, ipsi tanquam vivi secesserunt in partes, et eorum fratrem in medio locari permiserunt. De eorum translatione sic legitur, quod Helena mater Constantini fide recepta, et cruce sancta inventa, audiens trium regum corpora circa montem faus quiescere, collegit solemnem comitatum ; et cum magno honore illuc pervenit, et Magorum corpora ab Indiæ Patriarcha gratanter accepit, Constantinopolim detulit, et in Ecclesia sanctæ Sophiæ honorifice collocavit : deindeque temporibus S. Ambrosii Mediolanum fuerunt adducta, deinde Coloniam, ubi in summo honore requiescunt, et fideliter pro sibi famulantibus Deum deprecantur. »

Maria et Joseph aurum a Magis oblatum in pauperum eleemosynas distribuerunt

Quod si pro hujus tractatus complemento scire desideres quid de auro in magna quantitate ab istis regibus Christo Domino oblato factum fuerit, fatendum est a B. Virgine cum præscripto et ordinatione sanctissimi sponsi sui Josephi fuisse in pauperum eleemosynas distributum ; pendebat enim Virgo in exteriori gubernatione a B. Josepho ut a capite, ut in lib. III. tr. VIII. probavimus ; ita defendunt D. Bonaventura in opusculo Meditationum Vitæ Christi, cap. 9. ad finem, in hæc verba : « Quid autem de auro isto factum putas, quod sic erat magni valoris ? numquid domina reservavit sibi, vel depositum fecit, vel numquid emit domos, agros et vineam ? absit, non curat de talibus paupertatis amatrix. Zelans ergo domina fortiter pro paupertate, et intelligens filii voluntatem tam intus docentis, quam foris signa ostendentis, quia vultum forte avertebat ab auro, et vilipendebat, totum infra paucos dies pauperibus erogaverit : grave enim erat sibi sarcinam tenere, vel deferre, unde sic ista totaliter expenderat, quod quando intravit templum, non habuit unde unum agnum emeret, quem offerret pro filio ; sed emit turtures, vel columbas. Unde rationabile est credere quod magna fuit oblatio

Magorum, et quod domina zelans paupertatem, quia plena charitate, dedit eam pauperibus. » Quod P. Maldonado super hæc eadem verba : *obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham*, sic eleganter explicuit : « Qua in re tantum thesaurum Joseph et Maria consumpserint, quæstio moveri solet. Neque enim vero simile est, reges, qui ex Oriente usque venisse, et thesauros aperuisse dicuntur, parum quidem obtulisse auri ; et videmus tamen Mariam Purificationis die agnum, ut præscriptum in lege erat, emere non potuisse, ideoque par turturum, aut duos pullos columbinos obtulisse, Lucæ II. v. 24. Respondeo non constare ex eo loco utrum Maria agnum, aut par turturum, vel duos pullos columbarum obtulerit ; tamen quia probabiliter inde colligitur, et ita omnes sentiunt : placet mihi quod a quibusdam dictum est, thesaurum illum Deo fuisse ab illis consecratum : nam, quod alii dicunt ad peregrinationem Ægypti servatum fuisse, ideo minus credo quod et avaritiam redoleat ; et quando puer præsentatus in templo est, nihil jam de ea peregrinatione Josephus cogitaverat, quo tempore thesaurum consumptum jam fuisse probavimus. » Et hæc sententia communiter recepta est, ut tradunt P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXXVII. art. III. et IV. disp. 16. sect. 1. prope finem. §. sed hæ conjecturæ. in fine. et P. Barradas, tom. I. lib. X. c. 2. super illa verba : *et ut darent hostiam, par turturum*, etc. Et hæc de hoc tractatu dixisse sufficiat. Agendum modo restat de Virginis purificatione, et pueri Jesu in templo præsentatione, de quibus in tractatu V. sequenti dicemus.

POSTQUAM IMPLETI SUNT DIES PURGATIONIS MARIÆ, etc. TULERUNT ILLUM IN HIERUSALEM, etc. ET CUM INDUCERENT PUERUM PARENTES EJUS UT FACERENT, etc. ET ERAT PATER EJUS ET MATER MIRANTES SUPER HIS QUÆ DICEBANTUR DE ILLO, ET BENEDIXIT ILLIS SIMEON, ET DIXIT AD MARIAM : TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS, etc. Lucæ II. a v. 22.

TRACTATUS V.

De purificatione Virginis post partum, et de Præsentatione Christi Domini in templo.

Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, hom. de occursu Domini, festivitatem hanc cum præcedentibus connectens sic ait : « Post circumcisionem et regum adorationem, rursus expectatur purgationis tempus ; unde dicitur : *Et postquam impleti sunt dies purgationis secundum legem Moysi*, etc. Materiarum enim continuatio et sub diversis rubricis collocatio et distinctio ad legum et decretorum intelligentiam apud utriusque juris doctores non parum conducit, ut habetur in l. I. ff. sicert. pet. et ibi Bartolus, Baldus, Paulus Castrensis et alii ; adeo quod lex, vel canon in dubio debet intelligi, ut conveniat rubricæ, vel titulo sub quo ponitur, ut in l. Imperator. ff. de in diem addictione. Unde quando legis vel canonis intelligentia dubia est, rubrica probat qualiter sit intelligendus : sic docuit Baldus in l. unica. C. ne liceat tertio provocare, et resolvit late Everardus in sua centuria, in loco, a rubro.

Deipara a lege purificationis per ipsammet legem liberata erat.

Pro eorum quæ in hoc tractatu agitanda sunt clariori intelligentia, sit prima conclusio : per ipsamet verba absolute, simpliciter et in proprietate sumpta duarum legum ad præsens mysterium spectantium, constare satis B. Virginem a purificatione post partum, et Christum Dominum ejus filium a præsentatione in templo fuisse per exceptionem liberos, et immunes. Nam Levit. XII. expresse dicitur : *Mulier si suscepto semine pe-*

pererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ, et die octavo circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Ubi Virgo sanctissima, quæ virgo existens concepit, non humano semine, sed Spiritus sancti ope ; et quæ virgo perpetuo permanens, unigenitum et primogenitum filium suum, verum hominem et Deum peperit, excepta est. « Sed quis non advertat, ait Bernardus, ser. 3. hujus diei, in ipso sententiæ hujus initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto ? putas enim quia dicturus Moyses, mulierem quæ peperisset filium, immundam esse ; non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine*? alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Hieremiam XXXI. Quia novum faceret Dominus super terram. Quæris quod novum? *Mulier*, inquit, *circumdabit virum;* non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem, sed intra viscera intacta et integra virum claudet ; ita sane ut intrante et exeunte Domino, juxta alium prophetam, porta Orientalis clausa jugiter perseveret. Ezech. XLIV. et S. Augustinus, ser. 2. hujus etiam diei, « prævidebat Moyses Dei genitricem sine susceptione seminis parituram, et ideo non est ausus dicere absolute : Mulier si peperit, immunda erit. »Et S. Thomas, 3. p. q. XXXVII. art. IV. ad 2. Signanter Moyses videtur fuisse locutus ad excipiendam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit suscepto semine. » Libera ergo a lege purificationis secundum ipsammet Moysis legem Virgo sanctissima erat.

Christus a lege præsentationis et oblationis per ipsam et legem liber erat.

Per verba etiam ejusdem Mosaicæ legis Christus Dominus a templi præsentatione, redemptione et oblatione liber et immunis per exceptionem erat, cum Exod. XIII. sic fuerit sancitum : *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israël.* Et infra : *Cumque introduxerit te Dominus in terram Cananæi, sicut juravit tibi et patribus tuis, et dederit tibi eam, separabis omne quod aperit vulvam Domino.* Et infra : *Omne primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.* Quod autem pretium hoc futurum erat, sic explicatur, Num. XVIII. *Redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque pondere sanctuarii :* ob ea enim duo verba : *quod aperit vulvam*, et *Sanctum Domino vocabitur*, Christus Dominus fuit exclusus : nam vulvam non aperuit, qui integritate matris servata egressus est ab utero, et qui non sanctus Domino vocabitur, sed sanctus sanctorum Dominus. Unde D. Cyrillus Hierosolymitanus, hom. de occursu Domini hoc mirifice confirmat, dicens : « Samuel quidem et Isaac, et simul etiam Jacob et Joseph, et alii multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, et aperuerunt infertiles vulvas matrum sancti Domino vocati sunt : Christus autem solus ex solo unigenitus, cum virginales portas non aperuisset, non est sanctus Domino, sed Sanctus sanctorum et Dominus dominorum, et Deus deorum, et primogenitus primogenitorum ; et rex regnantium, et vocabitur et credetur, et nunc in templo a Simeone prædicabitur. » In eademque sententia est D. Ambrosius, in quodam ser. de Purificatione, qui habetur inter opera ejus in Vaticana typographia excussa, ubi matrem et Filium complectitur his verbis : « Cunctis fidelibus liquet nequaquam Redemptoris matrem ex ejus nativitate maculam contraxisse, quæ illorum dierum spatio a sacris ædibus abstinens, purgaretur, quæ sine humana concupiscentia, sine humano concubitu, virgo concepit ; sine aliqua corporis corruptione, virgo peperit, et sine fine virgo permansit : ac per hoc, nec masculus ex ea natus vulvam ejus aperuit, sed hoc juxta legis narrationem Evangelista contexens, claudit impiis sacramentum divinæ Incarnationis, matremque legem observantem introducit. Nec mirum si mater observat legem, quam ejus filius non venerat solvere, sed adimplere. Sciebat quo ordine concepérat, quo usu pepererat, quis esset quem genuerat, sed legem communem observans celavit Filii majestatem. »

Cum igitur istarum legum verba in proprietate sermonis, de vera et propria vulvæ apertione possint intelligi, omnis æquivocatio fugienda est, eo magis impræsentiarum, ne terminis hæreticorum, qui perpetuam virginitatem Deiparæ negant, uti videamur. Neque enim hæreticis consentiendum, neque eorum terminis utendum, ut ex D. Thoma, in lib. I. tract. III. probavimus. Nam a verbis sacræ Scripturæ secundum rationem grammatices, et a propria vocum significatione, ex qua elegans, et illustris sensus haberi potest, optimo interpreti minime rece-

dendum est, nisi valida aliqua ratio occurrat, quæ ad figuratam aliquam locutionem cogat: alias enim tota Scriptura sacra periret, et sensus ejus litteralis; haberetque tantum varias allegorias, atque importunas intelligentias, quas quisque pro suo arbitrio et voluntate illi affingeret, et sic semper Scriptura diceret quod nos volumus, non quod Spiritus sanctus nos intelligere vellet. Unde D. Basilius, hom. 9. in Exameron, in initio, to. 1. in principio : « allegorizantes, tollentesque veritatem litteræ, vocat somniorum interpretes, torquentes ad proprium sensum ea quæ in somniis viderunt. » Ac subdit : « Ego vero cum fœnum audio, fœnum intelligo, et stirpem, et piscem, et feram, et jumentum, omnia ut dicta sunt, ita accipio. » Et ante eum Tertullianus, lib. de carne Christi : « Certe perversissimum, ut carnem nominantes, animam intelligamus; et animam significantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur, aliter accipi quam sunt, et amittere quod sunt, dum aliter accipiuntur, si aliter quam sunt, cognominantur. » Quod quidem satis conforme est juris prudentum determinationi : eorum est enim de verborum significatione judicare ut in toto tt. C. et ff. de verborum significatione, et in Decretalibus, et in 6. illi namque firmiter decernunt, non aliter a recepta verborum proprietate esse recedendum, quam si mens loquentis alia fuisset, vel ex ipsarum rerum absurditate, vel ex aliis manifestissimis indiciis deprehendi valeat. Expressa et formalia verba sunt gravissimi jurisconsulti Marcelli, sic dicentis : «Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est aliud sensisse testatorem,» in leg. 67. ff. delegatis 3. ex quo principio et fundamento asserunt, quod in dubio verba ita sunt intelligenda et interpretanda, ut semper salvetur ratio proprii et recti sermonis, ut in l. fin. ff. ad Trebellianum, et in l. Plautius. ff. de auro, et argen. legato, et utrobique Bartolus et doctores, et Everardus in loco a vi numeri; n. 3. de quo videndus est P. Salmeron, tom. I. prolegomeno IX. can. 33. per totum. Cum ergo verba illa Exod. XIII. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quòd aperit vulvam in filiis Israël.* inquit Card. Toletus sup. cap. II. Lucæ, in illa verba, *ut sisterent eum Domino*, etc. annotat. 36. ad finem, in significatione propria accipienda sint; Christus autem nec proprie vulvam aperuit, nec sanctus Domino dicitur; tum etiam quia lex hæc generalis est pro omnium animalium primogenitis posita, quæ non improprie, sed proprie et vere vulvam aperiunt; neque verbum hoc commune esse potest Christo et illis, nisi æquivoce; est autem æquivoca locutio fugienda, maxime in præceptis et legibus statuendis, quod eo magis nunc fieri debet, quia verbum, aperiendi, commune est hæreticis negantibus virginitatem sanctissimæ matris, cavendum ergo est ab hac locutione, ut dicamus apertum uterum. » Cui P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXXVII. art. III. et IV. disp. 16. sect. 1. ante medium. §. circa hoc; libenter adhæret. Et confirmatur, quia sicut erubescimus, cum sine lege loquimur, ut in Authent. de triente, et semisse. §. consideremus. et in l. si vero. §. de viro. ff. soluto matrimonio. de quo agit optime Everardus in sua centuria, in loco a lege cessante per totum; sic etiam quando est casus per propria et formalia verba legis, cessat omnis quæstio et dubitatio, ut docuit Glossa in l. ancillæ. c. de furtis. verbo, quæstio; quam plures approbant doctores, quos refert et sequitur D. Gutierres, tom. II. practi. quæst. lib. III. q. 10. num. 5. etiamsi in contrarium esset communis doctorum sententia, ut plures adducens auctores bene probat Sylva nuptialis, lib. V. num. LXVII. in principio, et D. Gutierres, in dicto libro III. pratic. quæst. q. 13. a n. 34. usque 38. Sed, ut modo vidimus et probavimus verba legis, *quod aperit vulvam*, vere et proprie intellecta, de vera et propria vulvæ apertione intelligenda sunt : ergo quacumque alia interpretatione non obstante, non est ab eis recedendum. Maxime quod in communi usu intelligendi et percipiendi, aperire vulvam, intelligitur de vera et reali apertione, per sigilli virginei ruptionem; at communis et indubitata sententia est, verba sive a lege, sive ab homine quocumque, etiam rege prolata, intelligenda esse eo sensu, quo frequentissimo omnium calculo recepta sunt, adeo quod communis usus loquendi dicitur propria verborum significatio, et quod intellectus, qui vulgi auribus non consonat, dicitur extraneus, ut in c. ex litteris. I. de sponsalibus. et in l. talis scriptura. ff. de legatis 1. et in l. librorum. §. quod tamen Cassius. ff. de legatis, 3. de quo latissime post alios agunt Covarruvias, lib. III. Var. resol. c. V. n. 1. et de sponsalibus II. p. c. IV. §. 1. n. 2. et Gutierres, to. II. pract. quæst. lib. III. q. 14. n. 132. usque 138. et q. 16. n. 131.

Convenientissimum fuit, a Deipara et Filio legem purificationis et præsentationis adimpleri

Secunda conclusio. Quamvis ergo B. Virgo a lege purificationis esset libera, et Christus Dominus a lege præsentationis in templo esset immunis, valde tamen congruum fuit et conveniens, ut uterque legem adimpleret, quia « Sicut plenitudo gratiæ, docuit S. Thomas, 3. p. q. XXXVII. art. III. et IV. a Christo derivatur in matrem; ita decuit ut mater humilitati Filii conformaretur; *humilibus enim Deus dat gratiam*, ut dicitur Jacobi IV. et ideo licet Christus non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem et alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis et obedientiæ exemplum, et ut approbaret legem, et ut calumniæ occasionem Judæis tolleret. Propter eamdem rationem voluit et matrem implere legis observantias, quibus tamen non erat obnoxia. Sicut enim Filius Dei non propter seipsum factus est homo et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circumcidamur, sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nosmetipsos; et hoc post circumcisionem ejus factum est, ut ostendat neminem nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus. » Eodem etiam modo, « licet B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis observantias implere, non propter indigentiam, sed propter legis præceptum; et ideo signanter Evangelista dicit quod completi sunt dies purgationis ejus secundum legem : ipsa enim secundum se purgatione non indigebat, ideoque signanter Moyses videtur esse locutus, ad excipiendam ab immunditia matrem Dei, quæ non peperit susceptosemine, et ideo patet quod non obligabatur ad impletionem illius præcepti, sed voluntarie purgationis observantiam adimplevit. »

Optima ratio, quare Christus voluerit præsentari.

De Christi Domini exemptione et a lege præsentationis in templo immunitate, aliam perpulchram et efficacem rationem P. Maldonado hic assignavit his verbis : « Alia meliori ratione Christus ab ea lege liber erat, quia cum Filius Dei naturalis esset, opus non erat ut ei in templo offerretur; sed fecit in hac re quod apud Matth. XVII. vers. 24. 25. et 26. eum fecisse legimus, ubi interrogatus a Petro, nomine eorum qui tributa colligebant, num tributum solveret, respondit : *Quid tibi videtur, Simon? Reges a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis, an ab alienis?* cumque dixisset Petrus : *ab alienis*; intulit : *Ergo liberi sunt filii : ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus, invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te.* Eodem ergo consilio in templo offerri voluit, quamvis lege non teneretur, ne quis offenderetur Judæorum. »

Mariæ purificatio docet nostram purificationem per celerem pœnitentiam.

Quamvis prima facie nomine solo purificationis in Virgine audito, pius inhorrescat animus, et durus, imo et incredibilis sermo iste appareat, cum ipsa sit candor lucis æternæ, speculum sine macula, vas admirabile, opus Excelsi, omneque quod in ea est, lumen, claritas et puritas est; quod aperte Evangelista Joannes indicavit Apoc. XII. *Mulier amicta sole, luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona duodecim stellarum.* In Mariæ capite stellæ lucent, in pedibus luna plena splendet, et in universo corpore sol; imo, quod majus est, Maria luce prior et purior invenitur : de ea enim dicitur Sap. VII. *Hæc super omnem dispositionem stellarum; luci comparata invenitur prior;* vel *purior*, secundum aliam litteram. Quod quidem a majori propinquitate ad fontem gratiæ Christum ejus filium illi promanabat, ut in lib. II. tr. IX. probavimus. Unde etiam cum fons puritatis Christus, B. Virgo ei conjunctissima summam puritatem sub Deo possibilem habuit, et post eam sanctissimus ejus sponsus Joseph, ut in lib. III. tract. IV. resolvimus; ad quid ergo hodierna purificatio? Ultra ea, quæ in reddenda purificationis ratione ex S. Thoma superius diximus, idemmet S. Doctor, serm. 2. hujus diei aliam pulcherrimam, et nobis maxime utilem apposuit et docuit, dicens : « In hoc quod B. Virgo voluit purgari, cum non indigeret, docuit quomodo nos, qui indigemus, debeamus purgari. » Facti enim sumus immundi omnes nos, et omnes justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Isaï LXIV. v. 6. Sicut ergo impleti sunt dies purificationis Mariæ, sic implendi etiam sunt nobis dies purificationis nostræ. Sed quot dies nobis ad purificandum dati sunt? certe quadraginta, sicut Mariæ. Quadraginta dies significant pœnitentiæ tempus, quod nobis in hac vita concessum est, quoniam quadraginta diebus pluit Deus super terram in ejus punitionem, Genes. VII. Quadraginta item dies dati sunt Ninivitis in pœnitentiam, Jonæ III. Quadraginta diebus jejunant Moyses et Elias ut veniant in montem, in quo Deum vident, Exod. XXXIV. et Deuter. IX. et III. Reg. XIX. hi dies nobis dati ad diluenda peccata, implendi aliquan-

do sunt, de quo P. Osorius, ser. 1. de purificatione Mariæ, ad principium. §. cum manifesta ratione. Impletis quadraginta diebus purgationis secundum legem Moysis, statim nulla mora interposita B. Virgo legem implevit, ut noster ait Evangelista, docens nos ne purificationem nostram per veram pœnitentiam, et ad Deum conversionem procrastinemus, ne prius impleantur dies mortis. *Non tardes*, hortatur Spiritus sanctus, Eccles. 5. *converti ad Dominum, et ne differas de die in diem : subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.* Quapropter D. Ambrosius, lib. II. de pœnit. c. 1. his verbis paterne docet et monet : « Agenda est pœnitentia, non solum sollicite, sed etiam mature, ne forte evangelicus ille paterfamilias, Luc. XIII. qui arborem ficum plantavit in vinea sua, veniat, et quærentes fructum in ea, si non inveniat, dicat cultori vineæ : Succide illam, etc. » Quod enim Apostolus ad Eph. IV. dixit : *Sol non occidat super iracundiam vestram*, de omnibus vitiis et peccatis dixisse intelligendus est, videlicet, sol non occidat super odium; sol non occidat super invidiam; sol non occidat super libidinem; sol non occidat super furtum; sol non occidat super obtrectationem, super calumniam, et denique super quodcumque peccatum tuum, sed eadem die qua peccasti, pœnitentiam age. Sol non occidat antequam animum purifices, nec corvina voce dicas : cras, cras, nesciens an habiturus sis cras, vel quod cras magis quam hodie poteris, ut D. hortatur Augustinus. Iste igitur sic vere pœnitens a Deo humiliter recipi, cum D. Bernardo, serm. 3. hujus diei, petat : « Quis mihi tribuat ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico; et hæc tibi perfecte possum in sacrificium laudis offerre : bonum enim mihi, longeque gloriosius, atque utilius est ut tibi magis offerar, quam deserar mihi ipsi : nam ad me ipsum anima mea conturbatur. » Eadem etiam, uno et præstantiori ratione, « Christus Dominus, docet S. Thomas, 3. p. q. XXXVII. ar. III. ad 2. propter nos sistitur Dominus, ut discamus Deo præsentare nosmetipsos, et hoc post circumcisionem ejus factum est, ut ostendat neminem nisi circumcisum vitiis, dignum esse divinis conspectibus : si enim tantum operæ, studiique ponimus in purgandis sordibus domus, vestiumque maculis : quanto magis laborandum est in interiori homine sanctificando, permundandoque? *Appropinquate*, ait Jacobus Apostolus, c. IV. *Deo, et appropinquabis vobis; emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo.* Nam ut aër vento, domus scopis, igne metalla, ferrum lima, tunicæ aqua, triticum ventilabro, detersione speculum purgari, ac permundari solent; sic animus noster purificari potest, ac sanctificari ab omni criminis labe et sorde, per ventum Spiritus sancti ab austro flantis, per scopas humilitatis, per ignem charitatis, per limam correptionis verbi Dei, per aquam tribulationis, per ventilabrum sanctæ meditationis abigentis muscas tentationum et scrupulorum, per detersionem contritionis, per quam anima nostra uti speculum perfecte Deum repræsentat, ad ejusque renovatur imaginem et similitudinem. » Sic P. Salmeron, tr. 41. §. docemur. Quod quidem per veram pœnitentiam fieri, modo jam explicuimus.

Maria in purificatione, et Christus in præsentatione maximam humilitatem ostenderunt.

In qua B. Virginis purificatione et Christi Filii Dei in templo oblatione et præsentatione, utriusque, Matris scilicet et Filii obedientia promptissima, ac humilitas profundissima relucent maxime. « Putas ergo, ait D. Bernardus, serm. 3. hujus diei, ante medium, non poterat moveri animus Virginis, et dicere : Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum; nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato. » Quapropter stupens et admirans ipse D. Bernardus in eodem loco, sic ad eamdem Virginem, ejusque et Dei Filium enconomastice exclamat : « Vere o B. Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam una earum, nam et Filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, et non multo magis velit offerri? Offer filium tuum, Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem; omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosis-

simam hostiam, de qua ipse ait, Matth. III. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* »

Et quid, obsecro, mirum quod Christus Dominus hodierna luce in manibus sanctissimæ Virginis matris suæ voluerit in templo offerri et præsentari, qui in crucis brachiis erat postea libentissime offerendus, juxta divi Bernardi, serm. 3. verissimam et devotissimam considerationem? « Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino; redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, neque inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur ab alieno, sed alios redimet sanguine proprio; quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum, istud quidem jucundius, sed illud plenius; istud enim tempore Nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis; de utroque tamen potes accipere quod Propheta prædixit, Isaiæ LIII. *Oblatus est quia ipse voluit.* Nam et modo oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit; et in cruce nihilominus oblatus est, non quia meruit, non quia Judæus prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine; quia voluntarie oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. » In utraque oblatione, hodierna quidem per Deiparæ Virginis manus, et inter crucis brachia in passione facta, profundissima Christi Domini apparet humilitas. Exclamat et merito S. Bernardinus Senensis, tom. III. ser. X. de Purificatione. art. 1. c. 2. ad finem, dicens: « In hac autem redemptione dedit Dominus exemplum profundissimæ humilitatis; quis enim non digne miratur Christi humilitatem, quando pretio avium redimitur pretium omnium animarum? et quod Redemptor noster redimitur, antea quam nos redimamur ab illo? »

Maria et Joseph deferentes puerum in templum, maximis mentium excessibus afficiebantur.

Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino. Tulit ergo B. Virgo filium suum Jesum in Hierusalem; tulit etiam et Joseph filium suum putativum Jesum, magna Angelorum comitante caterva. Et quis, vel cœlestis spiritus, cogitare sufficiat, quanta divinarum illustrationum jucunditate perfusi, nunc Virgo, nunc Joseph, alternatim Christum in brachiis deferebant? Unusquisque eorum, currus et auriga Dei factus, et cantantes ante Agnum, qui eos virgines sequebatur, canticum novum, ut in lib. III. tract. IV. et IX. diximus. De ipsius Virginis Deiparæ mentis excessibus impræsentiarum, sic D. Ambrosius, in serm. hujus diei contemplatur: « O beata Virgo Maria, quis est iste quem genuisti? O quam parvus! o quam magnus! Parvus in humanitate; magnus in divinitate; parvus in regno Judæorum, et magnus in regno Gentium. Quis posset, Virgo Deipara, nobis indicare animi tui sensum, cum hinc cerneres ex te natum tantillum infantem, illinc attenderes Deum immensum; hinc creatum, illinc creatorem; hinc alendum, illinc alentem; hinc non loquentem, illinc Angelos docentem? » Et paulo inferius ita concludit: « Quis, inquam, Virgo, pectoris tui arcana revelare valeat? Quibus modis cogitatum ad utramque partem flectebas, cum unum Dei, atque hominis Filium in manibus tenens, hinc adorares ut Dominum, illinc osculareris ut parvulum! Quis ad tam ineffabile miraculum non obstupescat? quis non pene elinguis fiat? tenet puella in gremio suum, et omnium creatorem. O admirabile spectaculum, ad quod non solum humana, verum etiam angelica stupescit natura. »

Sed quid de sanctissimo et piissimo Josepho, in hoc itinere Christum in brachiis gestante dicemus? « Cum ipse, ait Isolanus, II. parte, cap. XIII. et XV. Christum maximum, verum Deum, certissima arbitraretur fide, inexcogitata profecto afficiebatur animi sui delectatione, et incomparabili jucunditate, quando non solum divinum esse et immortale participaret, sed ipse cujus est esse divinum, et immortale Filium suum putari disposuisse, a quo immortalitatem deinceps sperabat. Contemplabatur Joseph in ea ætate nonnunquam Jesum infantulum dormientem, ecce, ardentissimo pectore, et maximo charitatis fervore, aiebat, de quo scriptum est: *Non dormitabit, neque dormiet;* somnium cepit et dormit. Mirum negotium. Hic est sponsus speciosus præ filiis hominum, de quo in Canticis scribitur: *Ego dormio, et cor meum vigilat;* dormit ergo in te, o Jesu, assumpta humanitas, et cor tuæ divinitatis semper vigilat. O quoties infantem exosculans quam dulcissime dicebat: O felicia oscula, quæ humani generis sancti patres, per tot ac tanta sæcula exoptarunt; hic est enim cujus oscula optantur a Canticis exordientibus: *Osculetur me osculo oris sui.*

Nonnunquam sanctissimus Joseph divinum infantem considerabat, et præ gaudio eliquescens dicebat : *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis ; collum tuum sicut monilia ; ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ; dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus. Caput tuum aurum optimum ; oculi tui sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima ; genæ tuæ sicut areolæ aromatum ; labia tua lilia distillantia myrrham primam ; manus tuæ tornatiles plenæ hyacinthis ; venter tuus eburneus distinctus sapphyris ;* Ex libro canticorum. Tu enim es verus Deus, tu sapientia Patris, tu splendor gloriæ, tu salus humani generis. Te adoro, o fili mi, te amo, et a te amari opto. Suscipe famulatum, quem tibi et tuæ sanctissimæ Genitrici exhibere satago. O dulce solatium ! o fons amoris ! liquefacta est in te anima mea, præ tui amoris dulcedine. Quæ omnia et alia quamplurima mente pertractans sanctissimus Joseph, quasi supra hominis vires in divinam rapiebatur naturam, maxime cum inter tot vehementissimi amoris verba infantulus Jesus quasi subridens lætiorem ejus faciem patri Josepho ostendebat. » Unde cum Joseph Christo infanti, pauperi et peregrino ita fideliter inservierit, Christus a nativitate et infantia eximium suum amorem et dilectionem in Josephum contulit, ut in lib. III. tract. XI et XII. probavimus.

Christus oblatus per Mariam et Josephum summe Deo placuit, magis tamen propter oblatum, quam propter offerentes, quod in aliis aliter est.

Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, etc. Quibus colloquiis, quibus divinis consolationibus, et divino Spiritu affluenter recreati, ad templi valvas cum feliciter pervenissent : *Ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini ; et venit spiritu in templum. Ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis*, etc. Lucæ II. In qua oblatione, teste S. Bernardo, serm. 3. ad fin. « Fuit Joseph sponsus matris Domini, cujus filius putabatur ; fuit etiam ipsa Virgo mater et puer Jesus, qui offerebatur ; hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. » Etenim in hoc munus, in hanc mirabilem hostiam suos Deus ab æterno oculos injecit. « Respexit Deus, advertit P. Barradas, lib. X. c. VI. ad Abel, et ad munera ejus, Gen. IV. in quæ verba S. Gregorius, Job. XXXI. Non Abel, inquit, ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt ; in reliquis oblationibus munus ex offerente, non offerens ex munere placet, ut Gregorius ait : at in hac contra, offerens ex munere, non munus ex offerente placuit. Non propter Virginem Christus, sed propter Christum Deo placuit : ille enim est filius dilectus, in quo sibi Pater complacuit, cujusque ratione tum Virgo, tum justi omnes illi placent. Respexisse dicitur Christus prius ad Abel qui dabat, quam ad illa quæ dabat : at hic respexit Deus prius ad id quod dabatur, quam ad Virginem quæ dabat, quia propter hoc munus reliqua omnia munera illi placuerunt, quæcumque placuerunt. Quocirca Agnus hic dicitur occisus ab origine mundi, quia in oculis Dei ab origine mundi ad tollenda peccata mundi versabatur. » Et ser. 1. in principio, S. Bernardus : « Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit : Joseph quoque sistit Domino non suum, sed ejus filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit justus quem expectabat, Anna quoque viva confitetur ; ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco, et ab omni gente celebraretur. Nec mirum sane, si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat, qui suscipiebatur. »

Maria et Joseph pauperum oblationem fecerunt, quia Magorum aurum pauperibus distribuerant.

Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. Jam legis consuetudinem Evangelista noster declaraverat, dicens : *Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Agnum B. Virgo non obtulit, sed par turturum, aut duos pullos columbarum, quæ pauperum erat oblatio. S. Bernardinus Senensis, tom. III. serm. x. de Purificatione Mariæ, ar. 1. c. 3. « In hac oblatione dedit nobis exemplum Jesus altissimæ paupertatis : nam erat hæc oblatio pauperum, qui non sufficiebant offerre agnum. Proinde Beda inquit, cum esset dives, pro nobis pauper factus est. Pauperum hostiam voluit dare, ut sua paupertate hic nos efficeret divites in fide, et in futuro regni hæredes. » Et consequenter tacitæ respondet objectioni : « Sed quare non obtulit Virgo beata agnum, quæ paulo ante receperat a Magis in oblatione, sicut pie credendum est, non parvam auri quantitatem ? Dicendum quod Virgo beata, pietatis mater, et paupertatis amica, thesauros regum devotione oblatos, absque mora

liberalissimâ charitate regionis illius pauperibus dispensavit. Nec potuit manibus ejus aliquid temporalis substantiæ adhærere, quæ jam intellexerat intellectu illuminato, et in omnibus signis, filium paupertatis altitudinem demonstrasse. » De quo in tract. IV. præcedenti hujus libri quinti latius egimus. Ubi idem Sanctus Evangelii hujus litteram explicans ait : « Ad litteram potest etiam quæri, cum una oblatio sufficeret, scilicet aut turturis, aut columbæ, maxime pauperibus, cur posuit Evangelista utrumque, scilicet secundum disjunctivam ipsius legis, quæ inquit duos turtures, aut duos pullos columbarum? Ad quod dicendum quod ad hoc potest mystica ratio dari : nam utraque pars disjunctive est Christo, et Virgini in mysterio decens. Primo enim ipsi obtulerunt sincerissimam castitatem, necnon et solitariam, et gemebundam, ac suspiriosam contemplationem in turture designatam, casta, solitaria, et gemitum pio cantu habente. Secundo, obtulerunt charitatem gregalem, domesticam, et fœcundam, et simplicem, atque mitem, necnon et perspicacem, et gratiosam simul, et gemebundam, quæ in columba significatur. Utrumque autem prædictorum est par propter corpus et animam. Jussit autem lex offerri columbarum pullos, quia in columbis ad esum pulli sunt potiores, grandes vero turtures ad idem sunt meliores, ad mystice innuendum quod in consimilibus, quod perfectius est, Deo sit offerendum, vel secundum Bedam, columbam avem lascivam in tali ætate pro Salvatore offerri decuit, in qua luxuriæ apta non fuit. » Et de hoc etiam Bernardus ait : « Licet alias per columbam Spiritus sanctus soleat designari : quia tamen libidinosa avis est, non decet offerri in sacrificium Domini, nisi in ætate, quæ nesciret libidinem. Turturis vero non designatur ætas : quoniam sicut turtur in quacumque ætate est casta, sic in quacumque ætate a Christo et a Matre castitas servata est. » Quod quidem sanctissimo Josepho perpetuam cum voto virginitatem colenti, ut in lib. II. tractat. VI. et VII. et in lib. III. tractat. III. diximus, satis etiam competit.

Suprema dignitas Josephi quod pluries Christi pater nominetur.

Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. In hoc Evangelio ter B. Josephus Christi pater nominatus est. Primo, *Tulerunt illum in Jerusalem*; secundo, *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus*; tertio, *Et erat pater ejus et mater mirantes*, etc. « Varia est, ait P. Salmeron, tr. 43. in princ. hujus loci lectio : nam Euthymius et Complutensis editio, et quædam alia exemplaria græca legunt : Et erat Joseph et mater ejus, etc. Si vero legas ut legi debet, pater ejus, noli, prudens lector, ejusmodi verbo offendi : nam et B. Virgo in fine hujus capitis dixit : *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te*; et satis declarat Evangelista quem dicat esse patrem suum; ait enim : *Nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?* cujus patris? num Joseph, an vero cœlestis patris nimirum? » Repetitio ergo et geminatio hujusmodi paternitatis Josephi honorem declarat et dignitatem : quia in hoc quod Joseph fuerit in omnibus, excepta tantum generatione naturali, verus Christi pater, habuit majorem, excellentiorem et incomparabilem dignitatem, quam alicui homini, etiam supremo Angelo, fuerit unquam, nec ex commissione, ad breve etiam tempus, a Deo concessa, ut in lib. III. tract. VIII. per totum late resolvimus.

Admiratio ex quibus causis provenerit in Christo, Maria et Josepho, et de quibus fuerint admirati.

Et erat pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. In hac Josephi et Virginis præcipue admiratione, statim illa se offert difficultas : quia secundum Aristotelem Mechanicorum I. et III. Rhetoricorum c. I. et I. Metaphysicorum c. II. « Admirari solemus naturæ opera, quorum causa nobis non liquet, et ea quæ præter naturæ legem in usu hominum arte et industria comparantur; unde qui admiratur, ignorare videtur. » Et S. Thomas, I. p. q. CV. art. VII. in corp. sic docuit : « Admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti et causa occulta. » Sed beata Virgo sciebat illum esse Filium Dei et mundi Redemptorem. Similiter etiam sanctissimus Joseph, qui ab Angelo audierat : *Quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est; pariet autem Filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, Matth. I. In quibus eum docuit Christum in utero Virginis ope Spiritus sancti natum, verum esse Deum, qui hominum peccata delere poterat, ut in lib. I. tract. XIII. resolvimus; ergo non erat ex his quæ Simeon, Anna Samuelis filia, et quicumque alii de Christo Domino dixerit, quod amirarentur. Pro cujus intelligentia, in memoriam reducere debemus regulam a D. Augustino super Genesim, lib. quæstionum, q. 58. et D. Hilarii super Psal. I. et D. Gregorii, lib. XXI. Moralium, super illud

Job. XXXI. *Et sciet Deus simplicitatem meam ;* quod scilicet, quando Deus dicitur aliquid facere, vel pati, quod majestatem ejus minime deceat, intelligitur illum in nobis effectum operari, sicut quando dixit Abrahæ, Genes. XXII. *Nunc cognovi quia timeas Deum*, intelligi debet : nunc te feci cognoscere ; quia Deus ab æterno cuncta cognovit. Qua supposita regula, P. Salmeron, tom. III. tr. XLIII. ad principium. §. quod vero ; et P. Joannes Ferdinandus in thesauro Scripturarum, verbo admirari, cap. XLI. per totum, præcipue num. 11. propositæ difficultati, ita respondent : « Nihil mirum esse Mariam et Josephum fuisse admiratos, quandoquidem ipsemet Christus Dominus, qui est Patris æterni sapientia, et *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi*, ad Colos. III. admiratus est fidem centurionis vivam attendens, ut Matth. VIII. dicitur : *Audiens autem Jesus miratus est* : etenim quatenus Deus omnia noverat, et quatenus homo scientia beata sciebat illa omnia quæ Pater noverat scientia visionis ; scientia quoque infusa noverat futura plane contingentia, super omnes Angelos et cogitationes hominum, ut pote judex vivorum et mortuorum ; ergo noverat fidem illam Centurionis antequam esset, neque novi aliquid occurrit quod miraretur ; quis enim in Centurione fecerat illam fidem nisi ipse, qui mirabatur? Quod ergo miratur Dominus, mirandum nobis esse significat : omnes enim tales Christi motus non perturbationis animi signa sunt, sed docentis magisterium, ut docuit D. Augustinus, lib. de Genesi contra Manichæos ; tum præterea quia Abulensis sup. cap. VIII. Matth. quæst. 34. dicit Christum Dominum, quantum ad ea quæ cognovit scientia experimentali, potuisse novi aliquid discere, et de illo admirari. Quod etiam tenet S. Thomas, 3. p. quæst. XV. art. VIII. et Paulus Apostolus ad Hebr. V. *didicit ex his quæ passus est, obedientiam*, id est, expertus est effectus obedientiæ in carne mortali. Sicut ergo potuit discere, potuit et mirari, fuitque profecto admiratione digna Centurionis fides, quia deitatem Christi, quam mortalem vidit, aperte credidit, et omnipotentiam ejus ubique præsentem : *Tantum*, inquit, *dic verbo, et sanabitur puer meus.*»

« Admiratio igitur, cujus hic meminit Lucas, non magis ad Joseph, ut quidam putant, quam ad Virginem spectat, quæ majore horum mysteriorum cognitione prædita erat : non enim quæ de Christo dicebantur in templo a Simeone et Anna prophetissa, incognita et nova erant Virgini et Josepho, sed mirabantur quod essent omnia mirabilia. Cum admirabilibus enim admirabilia connectebantur, et admirabilium quædam quasi catena ab ipsis fiebat. Ad hæc non admirabantur gesta nuda tantum, quantum eorum significationes ac mysteria in illis delitescentia : quæ si forte scirent, aut ita plane et illo modo mirarentur, admirabantur prudentiam et sapientiam Dei, qui sic in hominum gestis loqueretur, non in solis verbis, seu chartis, benignitatemque ejus in homines, illamque admirabilem Dei, quam quidem admirationem consequebatur maxima rerum cognitio, atque incredibile gaudium. Mirabantur ergo super his quæ dicebantur de illo, vel hoc quod dixit Simeon, magnificum sane et admirandum, nimirum quod hoc salutare propositum esset in conspectu omnium populorum, etc. Vel potest etiam esse adjuncta anticipatio ad ea, quæ consequuntur de eodem Simeone et de Anna prophetissa. »

Sed de quibus præcipue Maria et Joseph mirabantur, P. Canisius, lib. IV. de Virgine, cap. XI. in principio, sic elucidat : « De Maria certo fatendum atque testandum est quod otiosa spectatrix non fuerit miraculorum, quæ multa et magna circa puerum Jesum, inde ab initio contigerunt. Proinde Luc. II. aperte pronuntiat : *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Ac iterum : *Erat* Joseph *pater ejus et mater ejus mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Nam et singulari attentione et ingenti admiratione digna erant mysteria, quæ circa divinam et humanam Messiæ naturam magis ac magis in dies deprehendebat. Versabat illa secum animo, uti par erat, ineffabilem illam ac sibi soli magis quam reliquis omnibus notam Verbi de Spiritu sancto conceptionem, quam Archangelus primum annuntiarat, Lucæ I. Recolebat Elizabethæ cognatæ vaticinium, et Joannis in materno utero tripudium, aliaque plura in Zachariæ ædibus gesta feliciter, Matth. I. et Lucæ II. Expendebat angelica dicta, quæ partim Joseph in somnis, partim pastores in campo percepissent, magnaque fide complexi fuissent, Lucæ II. Agnoscebat hunc suum parvulum, vere, ut Isaias IX. prædixerat, admirabilem esse, quem statim natum Angeli prædicarent, et frequenti choro, publicisque laudi-

bus decorarent; quem Bethlehemitici pastores pro suo Messia confiterentur, quem demum et Magi, seu reges Persici stellæ indicio excitati, mysticis muneribus venerarentur, ac veluti primitiæ Gentium supplices adorarent. Veniebat præterea in mentem, non sine arcano Dei consilio Christum tali loco et tempore natum esse, et quæcumque circa suum agerentur puerperium, cum propheticis quadrare oraculis animadvertebat. » Quæ quidem omnia beatissimi Josephi admirationi, meditationi et contemplationi post Virginem competebant, ac applicari facile possunt.

Cum enim Maria et Joseph in cœlestibus meditationibus ita perfecte et incessanter essent exercitati, incredibili admiratione rapiebantur, considerantes Verbum jacere mutum, Deum hominem, æternum mortalem, omnipotentem imbecillum, auctorem et moderatorem omnium adeo nudum, tenerum et pauperem apparere : singulariter vero B. Virgo admirabatur se corruptionis ac doloris expertem, simul et virginem et matrem existere : incredibilibusque deliciis afficiebatur, cum verum Deum et hominem filium suum in materno gremio recubantem, aut ex suo virgineo collo pendentem parvulum teneret atque gestaret. Quando amanter tali Filio ubera præbebat, quando ambo mutuo se complecterentur, et vultum vultui, pectus pectori conjungebant. Quid, obsecro, Maria et Joseph non admirarentur, quando attentius considerabant talis, tanti, infinitique thesauri intra domesticos parietes se asservatores et custodes esse ?

Simeon erat sacerdos, et potuit Christo, Mariæ et Josepho benedicere.

Et benedixit illis Simeon. Justus hic Simeon sacerdos Dei altissimi erat, ut docent et defendunt D. Cyrillus Hierosolymitanus, in oratione de occursu Domini, et D. Epiphanius, lib. de Prophetarum vita et interitu, et P. Canisius, lib. IV. de Virgine, c. XII. §. nugentur igitur ; ideoque jus præstandi benedictionem habuit; « Alias enim, inquit Pater Salmeron, tract. 43. post principium. §. et benedixit illis Simeon ; ausus non fuisset in templo benedicere ; sed quia sacerdotis munere fungebatur, Deique personam gerebat, scriptum quoque erat in lege, Lev. 12. *Orabit pro ea sacerdos, et sic mundabitur.* Ideo major fuit Christo, qui secundum humanam naturam (quandoquidem sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur) personam peccatorum propter nos sustinebat; quemadmodum etiam Melchisedech, quoniam benedixit Abrahæ, merito major illo probatur ab Apostolo ad Hebræos VII. et Gen. XIV. non quidem meritis, verum dignitate et ratione personæ, Dei videlicet, quam tunc repræsentabat, quando decimas accepit ab Abraham. » Et Ambrosius Catherinus super Paulum ad Hebr. VII. eodem intentu dixit : « Simeon autem sacerdos, cum Dei Patris personam gereret, major homine et infante Christo et matre ejus in ea re fuisse debet existimari. » Et Cajetanus in eodem loco : « Formalis, inquit, est sermo, quod quatenus benedicens potior est eo qui benedicitur, ut sic neque hoc habet contradictionem aliquam, quamvis secundum alias conditiones contingat majorem esse eum qui benedicitur, quam is qui benedicit. » Quapropter Glossa interlinearis explicans hæc nostri Evangelistæ verba : *Et benedixit illis Simeon*, dixit : « Deo et Mariæ » : Et Glossa ordinaria ibi, sic explicat : « Quamvis enim Maria et Joseph essent majores Simeone in sanctitate, ille tamen erat major quantum ad sacerdotis officium : ad quem spectabat benedicere populo.» Quod quidem, teste P. Joanne Ferdinando, in suo thesauro Scripturarum, verbo, benedicere, c. XIII. n. 8. de solemni benedictione intelligi debet, quando dicitur major esse qui benedicitur, qualis apud nos sacerdotalis, aut episcopalis exsistit. Nam privata benedictione miserrimus et pauperrimus quisquam benefactori suo benedicit, sicut dicit Job. XXVII. *Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum.* Et alibi c. XXXI. *Si non benedixerunt mihi latera pauperum.* Item Apostolus ad Roman. XII. *Benedicite persequentibus vos*; et Matth. V. *Orate pro persequentibus vos*, quia persecutor quamvis nolens magno nos afficit beneficio ; utpote qui nobis æternam fabricet patientiæ coronam ; *quia tribulatio patientiam operatur*, ad Rom. V.

Sacerdos benedicens Christo in Eucharistia, major est.

Ex quo evangelici sacerdotis excellentiorem et incomparabilem dignitatem licebit colligere, qui sacrosanctum Missæ sacrificium celebrans, etiam post consecrationem Christo Domino in Eucharistia vere contento pluries benedicit. In quo ex regula ab Apostolo ad Heb. VII. v. 7. *Sine ulla contradictione, quod minus est a meliore benedicitur*, majorem sese Christo ostendit, ubi S. Thomas, lect. 2. sic explicat : « Sacerdos benedicit auctoritate Christi, qui in quantum Deus, major est corpore suo, et addamus ibidem : Et nos benedicimus corpus Christi,

sed ut ministri Dei, qui major est corpore Christi; quia sacerdos novi Testamenti, dum sacra mysteria peragit, Christi personam sustinet, et propterea sacrificans non dicit : Hoc est corpus Christi; sed : Hoc est corpus meum; ipse enim Christum eo loco agit, ut docet D. Thomas, 3. p. q. LXXVIII. art. I. in corpore, in fine, et Joannes Stephanus de ritibus Ecclesiæ, lib. II. c. XXXIX. n. 4. et Cardin. Bellarminus in Controversia V. generali, lib. I. c. 19. de clericis. Sed formalius quidem et particularius P. Joannes Osorius, tom. IV. qui Sylva inscribitur, in concione de sacerdotio, cum primum Missa celebratur a sacerdote, longe post medium §. post consecrationis expositum mysterium; ita resolvit : « Restat videre offerentis sacerdotis dignitatem eximiam; in sacerdotis manibus Christo existente illum Patri offert in sacrificium; sed quanta sit hæc sacerdotis dignitas, ex illo facile apparere potest quod Christum sæpe benedicit, signo crucis super ejus corpus et sanguinem facto, qua in re mysteria sunt profundissima, et ideo, ut illa exponamus orandum cum Psalmista, Psal. CXVIII. *Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua, Domine :* quod enim ante consecrationem sacerdos benedicat panem et vinum, mirum non est, sed cum novit adesse ibi Christum Dominum Deum verum, in quo benedicendæ sunt omnes Gentes, ad Gal. III. *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus*, ad Ephes. I. adhuc manum tendat sacerdos ut Deum suum benedicat, inauditum plane et stupendum. Si interrogas quidnam mirabile in hac benedictione sit? Audi Paulum ad Hebræos VII. versantem benedictionem Melchisedech datam Abrahæ, et ostendentem potiorem esse Melchisedech, quia, ait, *sine ulla contradictione quod minus est a meliore benedicitur.* Si ergo Christus Dominus a sacerdote benedicitur, ergo sacerdos major est Christo. Argumentum hoc negotium facessit D. Thomæ, 3. p. q. VIII. art. V. ad 4. et ad illud respondet : Sed nos, ut argumento satisfaciamus, adnotandum censemus quod Christus in altari et sacerdos est et hostia; ut sacerdos est potius quid, et majus est quam ut hostia est; dignius est enim offerre sacrificium Deo, quam esse oblationem quæ offertur. Ut ergo Christus sacerdos est, potior est sacerdote : ille enim summus est sacerdos, hic vero minister ejus; sed quia in altari Christus Dominus est ut hostia et sacrificium, et sacerdos est ibi loco Christi sacerdotis repræsentans Christum sacrificantem, hac consideratione minor est Christus sacerdote repræsentante personam Christi sacrificantis; et hac ratione potest benedici Christus a sacerdote, ut omnis hostia benedicebatur a sacrificante sacerdote. O ineffabilem, summumque glorificandum Deum! O incredibilem sacerdotis dignitatem! Voluit Deus in altari sacerdotem esse in gradu altiore, dum repræsentat Christum sacrificantem, se vero in posteriore, dum est hostia, licet ut offerens, Christus sit digniori loco. »

Sacerdotis potestas major est quam dæmonum, quam omnium Angelorum, quam etiam Deiparæ, et qualiter.

Unde mirum sane quod sacerdotes majorem dicantur habere potestatem, quam dæmones. S. Bernardinus Senensis, serm. 20. in feria 3. post Dominicam 2. Quadragesimæ, art. II. c. 7. «Dæmon habet incomparabilem potestatem. Job. XLI. *Non est potestas super terram, quæ comparetur ei*; sed major est sacerdotis potestas; nam quamvis dæmones toto studio ac conamine nitantur per iniquitates peccatoribus claudere cœlum, sacerdotes sacramenta ministrando pœnitentiæ plus possunt confitentibus et pœnitentibus aperire, ad quod potestas clavium eis datur, ut in IV. Sententiarum, distinc. XIX. » Unde nimirum quod sacerdotes majorem dicantur habere potestatem, quam cœlestes Angeli. S. Bernardinus Senensis ibid. « Sacerdotis potestas superat potestatem Angelorum : licet enim unus Angelus possit unum cœlorum movere, juxta sententiam Doctor. 2. senten. tamen minime potest unum ipsorum cœlorum de cœlo ad terram tam cito transferre, sicut radius solis emittitur ab ipso sole; sacerdos vero suo ministerio transfert verissimum corpus Christi de empyreo cœlo ad ipsum altare sacrum, et hoc in tanta temporis brevitate, seu tam cito, sicut est diffusio solaris lucis, ut IV. Senten. dist. XI. habetur. Sacerdotis potestas superat potestatem Archangelorum; quemadmodum enim Archangeli ad terram possunt mittere Angelos, sic sacerdos potest eos evocare ad terras, cum Dei celebrat sacramenta, teste Gregorio, hom. Paschali, qui ait : Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, et in illo Christi mysterio choros adesse, summa imis sociari, unum quidem ex invisibilibus, atque visibilibus fieri? ut Magister in IV. sent. dist. XI. » Quod si hæc alicui forsan pauca videantur, adjiciam ego ex eodem S. Bernardino Senensi in eodem loco, multo majora. « Sacerdotis, in-

quit, potestas superat potestatem Virginis gloriosæ, et omnium creatorum. Virgo amorosa et benedicta, excusa me apud te, quia non obloquor contra te, cum veritatem, quam dixit se esse Filius tuus, fatear coram te; et sacerdotium, sicut supra dictum est, in templo ipse prætulit supra te. In quatuor quidem excedit sacerdotis potestas Virginis potestatem. Primo quidem, in brevitate; secundo, in majoritate; tertio, in immortalitate; quarto, in replicabilitate. Primo quidem excedit in brevitate: si quis enim haberet clavem, quæ quinque revolutionibus aperiret seram, nonne potentior teneretur, quam ea, quæ eamdem seram in octo revolutionibus aperiret? lingua nempe Virginis clavis extitit paradisi, et in octo dictionibus, tanquam in octo linguæ quasi clavis revolutionibus aperuit seram : nam cum Angelo nuntiante respondit octo verba, primo ait : *Ecce*; nec fuit cœli reserata sera, neque insuper cum secundo super adjunxerit : *Ancilla*; nec tertio, quando, *Domini,* ait; et sic de reliquis verbis virginalis consensus, per quæ omnia simul sumpta et completa, cœli janua patefacta est, atque virtute illorum verborum, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* : sed longe major est in hoc sacerdotalis dignitas et potestas, cum per quinque consecrationis verba, januas aperiat paradisi, atque de cœlis ad terram Christum trahat; ait enim sacerdos in consecratione corporis Christi : Hoc; per istud verbum non aperitur cœlum, nec conficitur dominicum sacramentum; sed rite reliquis jam prolatis, cum ultimum superadditur, quod est, meum : tunc instanti cœli janua aperitur, et in manibus sacerdotis corpus Domini consecratur; et sic excedit sacerdotalis potestas Virginis potestatem in brevitate, seu paucitate verborum, quia illa in octo, sacerdos vero in quinque reserat paradisum. Secundo, excedit potestatem Virginis in majoritate : nam cum Christus in uterum Virginis venit, carnemque assumpsit, tanta brevitate circumamictus est, ut si jam conceptus in Virgine positus fuisset super papyrum, vel palmam manus, vix eum humanus oculus percepisset, licet divinitus et anima et corpore, atque omnibus interioribus et exterioribus membris et lineamentis perfecte completus esset, ut verificaretur quod Isa. x. et Apost. ad Rom. ix. de Christo testati sunt : *Verbum abbreviatum faciet Dominus super terram.* Et quod in Christi persona etiam Propheta ait, Psalm. xxi. v. 7. *Ego autem sum vermis, et non homo*; sed ad sacerdotis prolationem verborum, descendit Christus tam magnus in manibus ejus, sicut in altissimo cœlo regnat. Tertio, excedit Virginis potestatem in immortalitate. Nam in ventre Virginis mortalis fuit, in altari vero est impassibilis et immortalitate donatus. Quarto quoque Virginis potestatem excellit in replicabilitate. Nam si B. Virgo replicasset millies illa sui consensus verba, scilicet : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* : Filius Dei nunquam amplius de illa sumpsisset carnem; nam sicut impossibile est Patri producere aliud Verbum, pro eo quod Verbum suum genitum sit perfectissimum, totamque potentiam generandi exhausit in tempore; ita impossibile est matri posse parere alium Filium unigenitum Dei, cum per Christum in sua conceptione potentia concipiendi Deum, quæ secundum corpulentam substantiam ab Adam in Virginem descendit per lumbos patrum, ita exhausta sit, quod impossibile esset Virginem alium Dei Filium generare; sed sacerdos toties quoties secundum ritum, quem tenet Ecclesia, consecrat corpus Christi, toties descendit de cœlo Filius Dei. »

Circa quod merito exclamat D. Augustinus, lib. de dignitate sacerdotum, dicens : « O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius velut in utero Virginis incarnatur! O sacerdotes! attendite, major est dignitas vobis collata, quam Angelis qui adorant quod vos conficitis, neque ipsi conficere possunt. O altitudo sapientiæ Dei, o ineffabilis clementia Salvatoris! Quod datum non est Angelis, concessum est homini; sacerdos hoc sacramentum ineffabile conficit, Angelus conficienti sibi quasi famulus assistit. » Hinc etiam sacerdotis dignitatem et potestatem considerans gloriosus Franciscus suis fratribus ait, teste B. Bernardino Senensi, loco citato. « Audite, fratres mei, si B. Virgo honoratur, ut dignum est, quia Filium Dei portavit in sanctissimo utero suo: si Baptista beatus contremuit, et non audet contingere sanctum Dei verticem : si sepulchrum, in quo per aliquod tempus latuit tanta reverentia veneratur; quantum debet esse sanctus, et justus, et dignus, qui jam non mortuum, sed glorificatum et in æternum victurum, et in quem desiderant Angeli prospicere, contrectat manibus, corde, atque ore assumit, et aliis quoque porrigit ad sumendum; quapropter, sicut super omne ho-

minum genus propter hoc mysterium Deus vos honoravit; ita et vos super omnes diligere, revereri et honorare curate. Si enim cui sanctorum e cœlo in terram lapso, et cum illo simul sacerdoti forte occurrisset, prius se, dicebat Franciscus, sacerdotis manibus osculum daturum, deinde reverentiam facturum sancto, eo quod plus illi deberet, a quo ministrante sacratissimum Christi corpus acciperet, quam illi, quem jam cum Christo regnare nosset. » Quod etiam refert Marcus Marullus, lib. 3. ubi etiam narrat, « quod cum S. sacerdos et Abbas Sozimas vidisset S. Mariam Ægyptiacam supra mare libere ambulantem, et in aëre elevatam, voluissetque eam genibus flexis adorare; at illa majorem sacerdotis dignitatem esse, quam quæcumque miracula facere, imo omnibus miraculis mirabilius judicans ex pane et vino corpus et sanguinem Christi confici, quod solis sacerdotibus est datum, coram illo humiliter flexis genibus se se prostravit. »

Quanta puritas et vitæ sanctitas in sacerdotibus debeat splendescere

Ex quo aperte colligitur quanta puritas, quanta vitæ sanctitas, quantus perfectionis odor a sacerdote debeat promanare. Exclamat D. Bernardinus Senensis, serm. 9. in Dominica 1. Quadragesimæ, art. 1. c. 3. p. 55. col. 2. « O quanta puritate pollere debent, quorum ministerio justificantur impii, reconciliantur rei, curantur infirmi, illuminantur cæci, mundantur leprosi et mortui denique suscitantur. Profecto mundus esse debet, qui vicem Christi gerit in terris, et maxime cum aliis et sibi dispensat dominicum sacramentum. » Et D. Augustinus, lib. de dignitate sacerdotum, sic doctissime hortatur, imo et convincit : « Si anima cujuslibet justi sedes est Dei, multo magis sedes et templum Dei esse debet sacerdotis anima. Si sepulchrum ejus est gloriosissimum, in quo jacuit exanime, gloriosiora et digniora esse debent corpora vestra, quæ a morte suscitatus quotidie dignatur inhabitare. Si beatus est venter qui novem mensibus Christum portavit, ita, etsi non tantum, tamen beata esse debent corda vestra, in quibus quotidie eligit sibi hospitium Filius Dei. Si beata sunt ubera quæ parvulus suxit, ita debet esse os beatum quod carnem ejus sumit, et sanguinem ejus sugit. Carnes ergo vestras cum timore ejus configite, et vobis diligenter providete ne lingua loquendo, quæ vocat de cœlo Filium Dei, contra Dominum loquatur, et ne manus quæ tanguntur sanguine Christi, polluantur sanguine Christi. » Et S. Bernardus, ser. 1. in die Paschæ, optime infert : « Quis auditus sustineat aurium, quis oculus non confunderetur ad intuitum? quæ mens non raperetur ad excessum, quando mundi pretium mittitur in sterquilinium? Non enim minus malum est in os pollutum, quam in lutum mittere Filium Dei. Quando ergo peccare volueris, aliud os quære, quo impudica loquaris, aliam linguam, quam eam, quæ rubet sanguine Christi, alias manus præter eas, quæ Christum suscipiunt, Christum benedicunt, Christum aliis porrigunt. Audi denique Ecclesiam dicentem : Sacerdotes Domini incensum et panes offerunt Deo, et ideo sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus. »

Sacerdos justus, Spiritu sancto plenus, et zelo animarum incensus sicut Simeon non quærens quæ sua sunt

Ad quæ omnia, memorabile sacerdotibus hodierna luce in Simeone sacerdote imitandum proponitur exemplar : ille enim manibus Christum in templo suscepit, qui quidem homo erat justus, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo : sit igitur sacerdos Simeoni similis justus, et Spiritu sancto plenus; ut vero justitiam et Spiritum conservet, sit etiam timoratus, quia, teste Beda hic, difficile justitia sine timore custoditur; quo enim justus Deum diligit, tanto ardentius, tantoque solertius offendere eum causet, quia timor justitiæ, sive virtutis quædam basis est firma. Expectare etiam debet sacerdos consolationem, commoda et utilitates Israël, hoc est, populi : nonsit ex eorum numero, de quibus Paulus ad Phil. II. ait : *Omnes quæ sua sunt quærunt*; sed ipsum imitetur Apost. dicentem, I. Cor. X. *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.* Imitetur etiam Moysem, qui Exod. XXXII. deleri postulat de libro vitæ, populi incensus charitate. *Dimitte*, inquit, *illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Venit etiam Simeon in spiritu in templum; sic etiam sacerdotes ad templi dignitates et beneficia in templum venire debent, non assumentes sibi honores ambitione, aut cupitidate, aut simonia, sed vocati a Deo tanquam Aaron, impulsu et ardore divini cultus. Venire etiam debent sacerdotes in templum in spiritu, sicut Simeon, id est, cum spiritu in templo divino cultui ministrare; cum spiritu canonicas Horas recitare; cum spiritu sacrum facere; cum spiritu concionari, confessiones audire, reliquaque sacramenta populo conferre. Hic autem spiritus, etsi oculis non cernatur, in actione ipsa demonstratur, juxta illud Prov. VI. v.

27. *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Exemplo etiam sit sacerdotibus novæ legis sacerdos ille Onias legis antiquæ, de quo II. Machabæorum XV. dicitur : *Erat hujusmodi visus : Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum et benignum, verecundum visu, modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem orare pro omni populo Judæorum,* etc. Quem locum versans P. Barradas, tom. I. lib. X. c. 7. prope fin. sic ait: « Hæc egregia sunt sacerdotis epitheta ; bonus, benignus, verecundus visu, modestus moribus, eloquio decorus, manus pro populo protendens, orans, et a puero in virtutibus exercitatus : a pueritia enim castimoniam et cæteras virtutes sectari, lasciviam et reliqua vitia is debet fugere, qui ad sacerdotium cupit pervenire. »

Et dixit ad Mariam matrem ejus : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, etc. P. Salmeron, tract. XLIII. hæc eadem verba explicans scite ait : « Quod ad matrem, non ad patrem Joseph hunc sermonem direxerit Simeon, videtur ab Spiritu sancto edoctus fuisse ; videlicet, quod illa Virgo genuerit, et partus ille nihil pertinuerit ad Joseph, quamquam et id ipsum scire potuit ex prophetis, maxime ex Isaia VII. *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Quamvis enim verba Simeonis isthæc ad Virginem beatissimam fuerint immediate directa, in B. tamen Josepho, qui præsens et maxime ad omnia attentus aderat, similem propemodum effectum propter eximium amorem naturalem, acquisitum et supernaturalem, quem erga Christum Dominum et B. Virginem habebat, sortita sunt, ut modo dicemus.

Qualiter Deiparæ animam gladius doloris pertranierit in passione Filii, et plus quam martyr fuerit

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. D. Ambrosius, Ansbertus presbyter ordinis S. Benedicti, in ser. hujus diei sic explicat : « Ac si diceretur : maternis visceribus tribulationis gladio transverberatis, videbis in cruce pendentem, quem Angelo nuntiante concepisti Virgo, manente virginitate Filium edidisti : quatenus per hoc factum, et Judæorum insultantium iniquitas, et discipulorum fugientium infirmitas denudetur; denique illo in cruce pendente, Judæi præsentes insultabant, ut descenderet; Apostoli fugientes, de cruce illum descendere posse non credebant; quæ ut fierent, necesse fuit materna, piaque viscera ex ejusdem Redemptoris passione gladio tribulationis transigi. » Et D. Bernardinus Senensis, tom. I. serm. LXI. art. 3. c. 2. sic eodem intentu ait : « Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas dividereturn, omnes subito interirent. » Unde merito B. Virgo martyr, et plus quam martyr fuisse appellatur, ut docet D. Hieronymus, in serm. de Assumptione, tom. 4. his verbis : « B. Virgo quia mente passa est, plus quam martyr fuit : at quomodo plus quam martyr esse potuit sine morte? quia ejus dilectio fortior fuit quam mors, quia ipsam Christi mortem, suam esse fecit : dolor enim interior major est exteriori, quia illius objectum est omne malum appetitui repugnans, quod magis adversatur appetitui, quam malum corporis ipsi corpori repugnet ; unde martyres, ut internum conscientiæ dolorem refugerent, libenter subibant externa corporis tormenta : nam, ut dicitur Eccles. XXV. *Omnis plaga tristitia cordis est.* » Et quamvis libenter fatendum sit cum angelico Doctore, 2. 2. q. CXXIV. art. IV. ad martyrii rationem opus esse reali morte et sanguinis profusione, ut possit esse ex illis, *qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni,* Apo. VII. dicendum tamen est quod, cum B. Virgo a nullo illustrium sanctorum excellatur in privilegiis gratiæ, ut docuit S. Damascenus, lib. IV. c. XV. hæc martyrii gratia non est ei deneganda, sed quod eminentiori quodammodo in ea fuerit. Quod S. Ildephonsus, serm. 2. de Assumptione, pulcherrime dixit : « Candidior inter martyres, quia etsi illi martyrio coronati dealbarunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni, nihilominus hæc beata et venerabilis Virgo candidior digne prædicatur; eo quod, si corpora martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominus hæc admirabilis Virgo in anima passa, teste Domino, comprobatur ; ait enim Simeon, vel Dominus ad eam : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Quod si gladius usque ad animam pervenit, quando ad crucem stetit, fugientibus Apostolis, cum videret Dominum pendentem, etiam plus quam martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quam mœroris est, intus gladio vulnerata : parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. » Et concludit S. Hieronymus ubi proxime : « Recte igitur quoniam beata Dei genitrix et martyr et virgo fuit, quamvis in pace vitam finierit. Hinc quoque quod vere passa sit, testatur Simeon propheta loquens ad eam : *Et tuam*, in-

quit, *ipsius animam pertransibit gladius.* Ex quo constat quod supra martyrem fuerit : alii namque sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata vero Dei Genitrix, quæ in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo, ita fatear, quia spiritualiter, et caro ejus passa est gladio passionis Christi, plus quam martyr fuit. Unde constat quod plus omnibus dilexerit, propterea et plus doluit, in tantum ut animam ejus totam pertransiret et possideret vis doloris, ad testimonium summæ dilectionis, quæ quia mente passa est, plus quam martyr fuit; nimirum quod ejus dilectio amplius fortis quam mors fuit, quia mortem Christi suam fecit. » In quo sensu poterit horum verborum : *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, Hugonis Cardinalis admitti interpretatio, quod scilicet Simeon dixerit : *Tuam ipsius animam*, hoc est, animam Filii tui, quam uti tuam ipsius animam diligis; et hujus interpretationis auctorem fuisse S. Chrysostomum asserit Hugo Cardinalis, et eamdem sequitur Petrus Comestor in historia sua, ad medium, et D. Bernardus, in serm. « *Tuam ipsius animam*, et sic ait : Tuam ergo pertransibit animam vis doloris, ut plus quam martyrem merito prædicemus, in qua nimirum corporeæ passionis sensum excesserit compassionis affectus. »

Ab eximio amore eximius dolor resultavit in Virgine in Passione Filii.

Et certe ratio assignata a S. Hieronymo, a vi amoris eximii in Virgine optima est; quam amplectens P. Salmeron, tract. XLIII. §. secundo argumentantur, sic prosequitur : « Erat enim caro Christi, caro Mariæ; erat illa optima mater inter omnes mulieres, ille optimus inter omnes filios; ac proinde dignus erat omni amoris affectu, præsertim vero matris, tum ratione materni officii et consuetudinis, tum ratione cognitionis, certæque fidei de summa filii dignitate et cognitione; tum denique ratione beneficiorum ab ipso acceptorum, propter quæ maximo et ardenti amore eum prosequi debebat. Si ergo hæc parere possunt summum amorem, ergo et summum dolorem infligere in tam tetro et atroci crucis spectaculo. Quod si ex amoris quantitate capienda est mensura doloris, ubi immensus amor, ibi etiam immensus dolor; et ubi dolor immensus, ibi et mors, de qua ait Sponsus Canticorum ultimo : *fortis est ut mors, dilectio : dura sicut infernus æmulatio.* Cujus dicti sensus esse videtur : Dilectio quam a te exigo, debet esse efficax et fortis, instar mortis, quæ ut hominem ab omnibus separat, et ab omnibus quæ videntur delectabilia, avellit, ab omnique prorsus commercio dividit; sic vera Christi dilectio cujus cor occupaverit, illum salutari suo incendio mundo penitus mori cogit, ab omnibusque delectabilibus affectum separat, et omnia arbitrari facit ut stercora, ut Christum lucrifaciat, ita ut dicat cum Paulo ad Philip. III. et ad Galat. VI. *Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.* Talis fuit dilectio mea, pro qua ad mortem ipsam amplectendam accessi. Quod si solus amor carnis, aut gaudii, aut tristitiæ affectus nonnullos adegit ad mortem, de quibus etiam scripsit Plinius lib. VII. cur non hic tantus affectus carnis et spiritus simul? » Hujus autem tam immensi doloris in Virgine causas plurimas assignavit optime Card. Toletus hoc loco, annota. 57. a medio usque in finem.

Ex verbis Simeonis Josephi etiam animam gladius doloris pertransiit.

Si ergo immensa mutui et reciproci amoris vis B. Virginem martyrem, et plus quam martyrem fecit, ut modo vidimus; et in SS. Josepho fuit etiam immensus amor post Virginem ad Christum Dominum, quia nullus pater naturalis ita filium suum unicum dilexit, sicut Joseph Christum, in lib. III. tract. XIII. probavimus; et certum sit parentem magis in filio puniri, quam in se ipso; in tali filio præcipue, quem Joseph incessanter et intensione maxima amore naturali, acquisito et supernaturali prosequebatur, et matrem ejus Deiparam Virginem similiter, cer toque sciebat, ab ipsis similiter excellentius redamari, ut latissime in lib. IV. tract. XII. XIII. et XIV. probavimus ex professo. Quis, rogo, inficias ire poterit in debita proportione ratione proportionalis amoris, Josephi piissimam animam gladium doloris ex Simeonis audito de Christi acerbissima passione vaticinio, pertransisse? Et hanc inter cæteras fuisse præcipuam rationem quare Deus voluerit Josephum ante dominicam Passionem obdormire, « Ne in morte Christi immenso dolore cruciaretur, ut asseruit D. Bernardinus Senensis, serm. de S. Josepho, ar. II. c. 3. ad finem. Quod enim de altero Josepho patriarcha typo nostri, ut sæpius probavimus, dicit Ps. CIV. *Ferrum pertransivit animam ejus, eloquium Domini inflammavit eum*, ubi Glossa interlinearis et Lyra, « *ferrum*, id est, tribulatio duræ necessitatis, *animam ejus*, ut de Maria dicitur Luc. II. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius;* elo-

Quare Joseph ante Christi mortem obdormierit.

quium Domini probavit eum, sicut aurum probatur in igne. Ideo hic ponitur, *inflammavit,* pro, probavit, » præstantius in nostro sanctissimo Josepho verificantur et quadrant.

ex Moysi de purificatione post partum am cessavit, et puerperæ ossunt stam templum igredi, nisi x devotione voluerint aliquandiu abstinere.

Forsitan percontaberis an hæc lex de purificatione post partum in novo Testamento aliquo modo vim habeat? Ad quod facile unica hac conclusione respondetur legem illam cum cæteris omnibus legalibus et cæremonialibus veteris legis antiquatam esse et abolitam, libereque puerperam posse adire ecclesiam, et Dei templum ingredi, nisi ex veneratione voluerit aliquandiu abstinere; quod illi permissum est, dummodo omnis superstitio servandi legem veterem absit, solumque fiat causa religionis, ob reverentiam loci sacri. Ita decrevit D. Gregorius Papa ad interrogationes Aug. c. 10. sic respondens : « Si mulier eadem hora qua genuerit actura gratias intrat, nullo pondere peccati gravatur; voluptas enim carnis, non dolor in culpa est; in carnis autem commistione voluptas est, in prolis vero partu dolor et gemitus; unde ipsi primæ mulieri dicitur Genes. III. *In doloribus paries.* Si filios itaque enixam mulierem prohibemus intrare ecclesiam, ipsam ejus pœnam vertimus in culpam. » Refertur in c. si mulier. dist. 5. et clarius Innocentius III. qui ad Armacanum episcopum de hoc ritu interrogantem sic respondit, in c. unico. de Purificatione post partum : « Licet secundum legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum a templi cessarent ingressu; quia tamen lex per Moysem data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est : inquisitioni tuæ taliter respondemus quod postquam umbra legis evanuit, et illuxit veritas Evangelii, si mulieres post prolem emissam, acturæ gratias ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur; nec est eis ecclesiarum aditus denegandus, ne pœna illis converti videatur in culpam; si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam. »

Quæ quidem S. summorumque Pontificum gravissima decreta, sic optime rationem reddens explicat P. Salmeron, to. III. tract. XLIII. §. etsi igitur. « Etsi igitur Ecclesia Mosaicæ legi non sit obnoxia, naturalis tamen legis nomine, et honestatis ratione possunt ad tempus decumbere. Nec judaizant propterea, cum integrum illis sit vel ipsa hora partus Deo gratias agendi causa ecclesiam intrare; quarum etiam fœtus ante octavum diem baptizantur; necessitatis studio, atque honestatis domi se continere illis convenit. Necessitatis quidem, quia per naturæ imbecillitatem non licet sacris interesse mysteriis; honestatis vero, quoniam etiam juxta legem abhorrescimus a menstruis; et congressum viri cum menstruatis uxoribus interdicit Deus, Levit. XVIII. et Ezech. XVIII. Nec enim enixæ masculum ante tempus quadraginta dierum a naturali immunditia expiantur. Lex itaque illa purgationis puerperarum fuisse secundum rationem naturalem asseri potest : nam per eam discimus liberos munere Dei concessos possidere : quia etiam non alendi modo, sed etiam rite instituendi, et mature, atque a teneris, ut Græci dicunt, ungulis, sacra religione imbuendi sunt, Deoque consecrandi simul et offerendi. » Et confirmari potest hæc ratio ex utriusque juris doctoribus recepta sententia, quod licet lex abrogata non sit lex, nec allegari possit ad causarum decisionem, imo eam adducens mulctandus sit, ut in l. ult. C. de jure veteri enucleando; tamen ratio legis jam correctæ allegari potest, quia ratio innititur jure naturali, quod tolli non potest, ut docuit Caius jurisc. in l. eas. ff. de capitis diminutione. Ita defendunt Glossa in c. novit ille, verbo, quicumque de judiciis, et ibi optime Abbas, n. 23. et Zacharias, et Ant. Francus ejus Additionatores, et Bartolus et alii relati a Bertachino, verbo, lex. n. 20. Ratio autem Mosaicæ legis de purificatione, ut Levit. XII. dicitur, hæc erit : *Immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ.* Et paulo inferius : *Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Quæ quidem ratio sufficiens in jure naturali et morali est, ut catholica Romana Ecclesia permittat et condescendat, ut puerperæ possint ex veneratione et devotione libere ab ingressu templi per dies aliquot abstinere absque ulla judaizandi præsumptione, aut nota.

Et secundum hanc ecclesiasticam veritatem, et in hunc sensum interpretanda sunt quædam verba, quæ in Missa Æthiopum leguntur in benedictione puerperæ in hunc modum : « Tu, Domine, instituisti Moysem servum tuum in lege tua, et docuisti eum constitutionem mundam, quæ convenit omni fœminæ quæ peperit. » Et infra : « Quæsumus pro ancilla tua, quæ servavit constitu-

tionem tuam, et optat ingredi in sanctum tabernaculum tuum, etc. » « Intelligitur enim, ait P. Suarez. tomo II. in 3. parte, quæstio. XXXVII. artic. III. et IV. disputat. 16. sect. 2. in fine, servasse constitutionem, quantum ad similitudinem quamdam externæ cæremoniæ, non quoad propriam rationem et obligationem legis. » Quæ sane vera et necessaria interpretatio confirmari potest ex eo quod secundum subjectam materiam, ut habetur in c. solitæ de majoritate et obedientia, et in l. damni infecti. ff. de damno infecto. Adeo quod verba impropriari debent, etiam in stricti juris materia, ut quadrent et conveniant subjectæ materiæ de qua agitur, ut habetur in l. si uno. ff. locati. et utrobique communis doctorum sententia, quam refert et sequitur Everardus in sua centuria legali, in loco a subjecta materia. n. 1. et 2. cum sequent. Et sic verba illa Missæ Æthiopum : « Quæsumus pro ancilla tua, quæ servavit constitutionem tuam, » intelligi debent materialiter et similitudinarie ratione venerationis et devotionis liberæ, non autem formaliter in observatione legis Moysi, quæ Evangelii veritate illucente, illa tanquam umbra evanuit.

Rejiciuntur hæretici circa purificationem post partum.

Secundum hanc etiam Ecclesiæ catholicæ veritatem hæretici circa purificationis materiam oblatrantes rejiciuntur facile, ut optime advertit P. Salmeron, tom. III. tract. XLI. post medium, sic inquiens : « Ex quibus aperte ruunt quæ Lutherani Catholicis affingunt; ait enim Brentius, hom. 6. in Lucam: Quia lex dicit : nihil sanctum tanget, neque ingredietur in sanctuarium, sentiunt puellas esse in potestate Sathanæ, et excogitaverunt remedia varia ad fugandum Sathanam, videlicet aspersiones aquæ benedictæ, incensiones luminum, sanctificatorum suffimenta herbarum consecratarum, et mirabiles multarum crucium characteres; et rursus habent quidem herbæ et lumina verbum Dei, quod sint bonæ Dei creaturæ, et in usum nostrum civilem sanctificatæ; sed non habent verbum Dei, quod expellat Sathanam, imo potius sic de ipsis sentiendum est, quod abutentes eis, impia superstitione advocent magis quam expellant Sathanam. Hæc ille crucis sanctæ et veteris Ecclesiæ irrisor, mentiens in caput suum, quoniam aperte tradit Pontifex licere ipso die partus puerperæ templum ingredi, si velit, ut gratias Deo agat pro se ipsa, et pro partu prolis acceptæ; seque benedicendas Deo offerunt per sacerdotes, B. Mariæ exemplo excitatæ; sed hæc omnia fingunt, ut nobis odium conflent; habent etiam aqua aspersa et lumina benedicta vim et usum in Ecclesia etiam ad fugandos dæmones, sed non ad absolvendum ab excommunicatione, ut imponunt, maxime vero signum crucis ad omnia valet; estque sacrosanctum, omni veneratione dignum, ut fatetur D. Augustinus, lib. II. de visitatione infirmorum, capite III. »

Omnia nostra per manus Mariæ et Josephi Deo offerre debemus.

Pro hujus tractatus complemento, pro nostra omnium consolatione, est advertendum quod sicut Christus Dominus oblatus in templo, æterno Patri mirifice placuit, maxime autem per manus Deiparæ Virginis offerentis, quamvis magis Deus aspiciebat ad Christum munus oblatum, quam ad ipsam Virginem offerentem, ut supra probavimus : ita etiam nos, et omnia nostra per ejusdem B. Virginis manus, sanctissimi Josephi veri sponsi ejus, et Christi Domini putativi patris; quia tunc respiciet Dominus magis ad Mariam et Josephum offerentes, quam ad modica nostra oblata; ut optime S. Anselmus, de excellentia Virginis, ca. VI. « Dum Christus a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, etsi profecto id juste facit : invocato autem nomine matris, merita invocantis non merentur ut exaudiantur, merita tamen matris intercedunt ut audiatur. Hoc denique usus quotidianus humanus probat, cum quis proposito dominico nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat, quod simpliciter sua prece nequaquam impetrare potest, » ut latissime in lib. III. tra. X. resolvimus, ubi scalam faciendam esse diximus, a Josepho ostendente Virgini sponsæ suæ callos et dura, et a Virgine ostendente Filio pectus et ubera, et a Filio ostendente Patri cicatrices et vulnera. Quid enim negabit Pater Filio? quid negabit Filius matri? et quid tandem negare poterit Maria sponsa sanctissimo et dulcissimo sponso suo Josepho? Nulli dubium profecto, quin his mediis, validissimisque intercessoribus omnia impetremus.

Maxima hominibus lætitia ex purificatione Virginis et præsentatione Christi in templo.

Prætereundum tamen hujus celeberrimi diei nobis hominibus utilissimum, et cœlestis patriæ incolis gloriosissimum, universale gaudium non putavi. De quo D. Augustinus, serm. de Purificatione Virginis, qui est 20. de tempore, sic ait: « Hodiernus dies ad habendam spem vitæ æternæ magnum contulit gaudium generi humano. Primus enim homo, quo cadentes omnes cecidimus, cujus ruina est mortalitas nostra, non est

natus, sed factus, patre nullo, nulla matre, sed Deo operante. Hæc est hominis prima conditio Adam de terra. Secunda conditio est hominis, qua creavit feminam de latere viri. Tertia conditio est hominis, qua natus est homo, ex viro et femina. Quarta conditio est Dei et hominis, qua natus est Christus sine viro de femina. In istis quatuor conditionibus una sola nobis usitata est, cæteræ tres non sunt in oculis carneis, sed in fide cordis. De terra factum hominem sine patre et matre novimus, nunquam vidimus, lecta et audita credimus. Tertia illa usitata est nobis ipsa quotidiana, de complexu maris et feminæ quotidie nascuntur homines. Jam ergo erat una sine viro et femina. Jam erat tertia de viro et femina; quarta restabat sine viro de femina : sed ista quarta liberavit tres, prima et secunda ruerunt, tertiam de ruina generaverunt, in quarta salutem invenerunt. Exultent virgines, virgo peperit Christum. Nihil in ea, quod voverunt, putent exterminatum, mansit virgo post partum. Exultent viduæ, infantem Christum vidua Anna cognovit; exultent conjugatæ, nasciturum Dominum Jesum Christum Elizabeth maritata prophetavit. Nullus gradus prætermissus est, de quo non haberet testimonium salus omnium. Habetis ergo pueri puerum, sancti senes senem Simeonem. Si autem quæritis, ut et conjugatus aliquis vir testimonium Domino præbeat, Zachariam considerate. Exultemus ergo charissimi, ab hodierno die crescunt dies, crede in Christum, et crescat in te Deus; credidisti, inchoatus est Deus; credidisti, natus est Christus in corde tuo. Sed numquid Christus natus sic remansit? Crevit, ad juventutem pervenit, sed in senectutem non declinavit; crescat ergo fides tua, robur inveniat, vetustatem nesciat, sic pertinebis ad Christum Filium Dei. »

Encomia purificationis Virginis, et præsentationis Christi in templo.

Sed mille encomiis D. Cyrillus de Domini Jesu Christi occursu, oratione 8. festivitatem hodiernam multo excellentius sic exaltat : « Lætare ex animo, filia Sion, gaudium annuntia, filia Hierusalem; choros duc, populo civitatis Dei, exultate portæ et muri Sion, totiusque adeo terræ montes et colles inclamate, magnaque gaudii significatione exultate : flumina plaudite, turba amplectere Sion, et Deum in ea præsentem contemplare. Hodie cœlestia consonas voces jungant cum terrestribus. Hodie cœlestis Hierusalem propter Christum natum lætum Osanna in ea decantet, quæ est inferne : hodie intelligentes, cœlestesque virtutes cum hominibus, qui caducam vitam in terris degunt, choros ducant, laudesque et carmina promant. Hodie gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei Hierusalem, magni Regis civitas. Hodie portas illi pandat, qui omnibus cœli portas patefecit. Hodie cœlestis sponsus, qui ex Deipara veluti ex thalamo procedit, ad templum ascendit. Filiæ Hierusalem lætabundæ obviam sponso prodite. Agedum festivas omnes vero illi lumini lampades accendamus, animarumque nostrarum tunicas Christo sponso exornemus. Omnes proinde Gentes, plaudite manibus : omnes fines terræ, venite et videte opera Dei; omnis spiritus laudet Dominum; omnis terra adoret; omnis lingua canat et psallat, et gloriose prædicet puerum ante dies quidem quadraginta natum. Deum autem æternum, puerum parvum, sed antiquum dierum, puerum lactantem, sed sæculorum effectorem. Infantem cerno, sed Deum agnosco : idem enim infans, et ubera sugit, et mundum universum pascit. Idem vagit in cunis, et mundo vitam gaudiumque impertit. Idem fasciis involvitur, et me ex peccatorum vinculis eximit. Idem carnem vere indutus matris ulnis continetur : neque a patris tamen sinu unquam recedit. Idem templum ingressus sacrificium secundum legem offert in terris, et piorum omnium sacrificia excipit in cœlis. Idem offertur et offert, sanctificatur et sanctificat omnia. Simul ergo cum eo in templum ingrediamur : Cum Angelis hymnum illum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; Pleni sunt cœli, et terra gloria tua*, personemus. »

Post Virginis purificationem, et Christi Domini in templo præsentationem, sequitur tractatio de eorum fuga in Ægyptum, de qua in tractatu VI. sequenti.

ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH DICENS : SURGE ET ACCIPE PUERUM ET MATREM EJUS, ET FUGE IN ÆGYPTUM, ET ESTO IBI USQUE DUM DICAM TIBI : FUTURUM EST ENIM, ETC. QUI CONSURGENS ACCEPIT PUERUM ET MATREM EJUS NOCTE, ETC. Matth. II. v. 13. et 14.

TRACTATUS VI.

De fuga Christi Domini in Ægyptum.

Apparitio Angeli de fuga in Ægyptum facta fuit in Nazareth post purificationem.

Euthymius in expositione hujus nostri Evangelii apparitionem Angeli de fuga in Ægyptum sanctissimo Josepho factam, cum præcedenti purificationis et præsentationis mysterio ita connectit : « Completis quadraginta diebus purificationis, sicut dixit Lucas II. adduxerunt Jesum Hierosolymam, ut sisterent illum Domino, sicut scriptum est in lege Domini; et ut perfecerunt omnia, quæ secundum legem Domini erant, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth; et exinde Angelus apparet Joseph in somnis, jubens eos in Ægyptum fugere. Quæ ergo Matthæus brevitatis amator prætermisit, hæc Lucas tanquam diligens conscripit. » Apparitio ergo hæc accidit post Virginis purificationem, et Christi Domini præsentationem in templo, et post reversionem in civitatem suam Nazareth. Nam quod S. Lucas II. ait : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth;* et specialiter particula illa *ut* indicat quamdam consequentiam et temporis continuationem, quasi apertius dixisset : Cum impleverunt quæ secundum legem erant, tunc reversi sunt in Galilæam, ubi Angelus apparuit; quod quidem satis conveniens fuisse videtur, ut redirent prius Nazareth, ubi domicilium fixum habebant : cum enim in Ægypto aliquot annis permansuri essent, tempus breve saltem datum est eis, ut quæ domi habebant, componerent, aut aliquid, quod ad tantum iter necessarium erat, inde acciperent. Et sic nulla discordia, quin et summa concordia inter Evangelistas Matthæum et Lucam reperitur et est, ut post gravissimos Patres et doctores probant nostræ Societatis Patres, Card. Toletus super c. II. Lucæ. annot. 64. et P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXXVII. art. IV. disp. 16. sect. 1. in principio; et P. Salmeron, tom. III. tract. XLIV. in principio; et P. Barradas, to. I. lib. X. cap. 8. in principio.

Gabriel, cui totum Incarnationis ministerium fuit commissum, apparuit Josepho.

Ecce Angelus Domini apparuit Joseph. Istum autem Angelum Domini fuisse Gabrielem defendit et probat Origenes, homil. 3. in diversos in hæc verba : « Qualis Angelus? ille ipse, qui ad Mariam destinatus fuerat Gabriel; ille annuntiare venit, qui ad Zachariam in templo locutus est, ipse et nunc per somnium ostendit se Joseph sanctus Angelus Gabriel : ipsi enim injunctum fuerat et commendatum generationis dominicæ sacramentum, propterea et digne Gabriel appellatus est, quod interpretatur : fortitudo Dei; illius namque Incarnationis sacramentum commendatum habebat, qui veniebat ad debellandas potestates aëras. Iste etiam Angelus ad illos bene vigilantes pastores venit, et Domini generationem eisdem annuntiavit. Iste ergo beatus et sanctus Angelus et nunc Joseph apparuit per somnium dicens : *Surge, et accipe puerum*; non tuum puerum, sed hunc puerum, cui aliquando Pater testimonium perhibuit dicens : Hic puer meus dilectus est, in quo bene complacuit animæ meæ, et ea quæ sequuntur. Hunc, dixit, puerum accipe, per quem reges regnant et potentes scribunt justitiam, per quem sapientes magnificantur, et principes possident terram. Hunc puerum accipe et matrem ejus; non tu huic puero pater; sed hæc sola virgo huic puero mater. Non indiget patre super terram; incorruptibilem enim habet patrem in excelsis. Non indiget matre in cœlis; immaculatam et castam habet matrem in terra hanc multum beatam Virginem Mariam; sine patre secundum corpus; sine matre secundum deitatem; sine patre in sinu Virginis in novissimo tempore; sine matre in sinu patris, ante omnia sæcula. »

Revelatio Josepho facta vera fuit, et ei facta, et non Virgini, quia superior erat cui Christus et Maria parebant.

Hæc autem angelica revelatio Josepho facta omnes qualitates et conditiones veris revelationibus discernendis assignatas continuit, ut latissime in lib. IV. tract. VIII. per totum probavimus. Fuit autem facta Josepho, et non Virgini incomparabiliter sanctiori, quia Joseph caput Virginis et Christi superior in æterna gubernatione erat, ut in lib. II. tra.

VIII. egimus. Et sic ad motum et imperium Josephi in hac gubernatione, incunctanter et alacriter Christus et Deipara movebantur, mirabile præbentes exemplum subditis, qui licet sanctiores et doctiores suis superioribus sint, obedientiam tamen eis præbere debent, ut in lib. III. tractatus VI. disseruimus.

Convenientiæ maximæ, ut Christus in Ægyptum fugeret.

- *Accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum : futurum est enim ut Herodes quærat puerum*, etc. Hujus fugæ et periculi evadendi difficultatem non dubitans, sed quasi interrogans P. Chrysologus, serm. 2. de fuga in Ægyptum, movet his verbis : « Ubi est illud, *Domine, refugium factus es nobis*? Psalm. LXXXIX. Et : *Deus noster refugium, et virtus*? Psalm. XLV. Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat; quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen ? Eliæ contra insidias liberi regis vidua una sufficit, III. Reg. XVII. Christo contra Herodis captivi minas Judæa tota non sufficit; Elias missos ad se cœlesti igne consumit, Christus sola fuga fit salvus : Huc usque fugæ Christi querimonias exagitasse sufficiat. » Et statim ipse respondet, et hujus fugæ causas reddit sic dicens : « Fratres, quod fugit Christus, fuit mysterii, non timoris; fuit liberatio, non periculum creatoris; divinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ, non fugit propter mortis timorem, sed fugit propter sæculi vitam : nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parvulum permisisset occidi. Christus venerat ut quos præceptis docuerat, firmaret exemplis ; et ipse faceret, quæ facienda mandaverat; et usu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat ut mundo notitiam suæ deitatis infunderet, et humani generis ignorantiam auferret. Venerat ut pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu, ut ab omnibus, et divino vinceretur jussu, et humano prosterneretur exemplo. Venerat præsentiæ suæ promissa persolvere, ut quibus scire se dederat, concederet se videre. Venerat ut veniret Judæus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem Gentes. Venerat eligere Apostolos doctores orbis, eosque cœlestibus adimplere doctrinis, munire virtutibus, armare signis, ut signis edomarent feros, sanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent, et ad summum, venerat morte rem perdere moriendo, penetranda inferna dissolvere, resurgendo sepulchra reserare, ascendendo ad cœlos cœlestibus donare terrenos. Omnia hæc utique periissent nobis, si Christus, cum esset in cunabulis, non fugisset. »

Proxima ergo ratio et litteralis causa hujus ab Evangelista assignata fuit ad mortis vitandum periculum, quod ex Herodis insidiis Christo Domino imminebat. *Futurum est enim*, ait Matthæus II. v. 13. *ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum* : erat enim a Deo prædefinitum, ut non in infantia, sed in adulta ætate post prædicatum Evangelium pro hominibus moreretur. Et ideo S. Fulgentius, sermone de Epiphania signanter dixit : « Dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere; faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena; fugit, non formidine humana, sed dispensatione divina; fugit non necessitate, sed potestate. » Quam divi Fulgentii rationem Petrus Chrysologus, serm. 150. his verbis confirmat : « Bellicosus, quod in bello fugit, artis est, non timoris; Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pavoris; potens quando se subducit infirmo, insequentem non pavet, sed foris producit : vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam; hinc est quod Christus fugit, ut cedat tempori, non Herodi. » Ita ergo puer Christus, inquiunt P. Salmeron, tractat. XLIV. paulo post principium, et P. Suarez, II. tom. in 3. p. q. XXXVII. art. IV. disputat. 16. sect. 1. §. dicendum vero; « quoad casus humanos attinet, regebatur per suos ac per Angelos, ac si non esset Deus. Quare sicut prudentis hominis nihil de futuris præscientis nisi probabiliter, fuisset fugere regnum irati regis, ita et Christus fugit, et sic licet divina providentia posset in civitate Nazareth eum custodire immunem; si tamen prudentiam humanam spectemus, non satis existimari poterat ibi esse securus, quia cum Herodes tunc esset utriusque provinciæ rex, facile poterat inquirere, et perscrutari diligenter, donec intelligeret feminam quamdam peregrinam et advenam Bethlehem peperisse, ac postea discecisse, ac ita paulatim poterat Salvatorem invenire, præsertim cum, ut notat D. Hieronymus circa illa verba Matth. II. *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri*, non solum Herodes, sed etiam Scribæ et Pharisæi, ut illi mor emgererent, Christi necem procurarent : voluit ergo Deus totum hoc negotium non juxta

præscientiam suam, sed juxta periculi gravitatem, prout modo hominibus accommodato vitari poterat, gubernari. » Non enim omnipotens Deus humana media, quando adsunt, intendit excludere, ut in hujus lib. V. tract. IV. diximus.

Fugit Christus in Ægyptum, ut adimplerentur prophetiæ.

Secunda autem hujus fugæ ratio ab eodem Evangelista Matthæo assignata, ea est : *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.* Omnia enim divinæ deserviunt voluntati et intentioni, quia judicia ejus abyssus multa, ut in hujus libri V. tract. I. resolvimus. « Si enim, ait Petrus Chrysologus, serm. 150. in Ægypto non fuisset, ex Ægypto vocari non potuisset. » Simulque adimpleta fuit Isaiæ XIX. prophetia : *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus* ; ut explicant D. Athanasius, de Incarnatione Verbi ; et Chrysostomus, hom. 2. imperfecti ; et D. Ambrosius de institutione Virginis ; et D. Hieronymus, et Procopius super Isaiam XIX. per hanc nubem levem inteligentes Christi carnem ex Spiritu sancto conceptam ; beatissimam etiam matrem ejus Mariam, cujus ulnis in Ægyptum Salvator invectus est : quæ quidem meritissime nubes appellatur, quia per eam Deus copiosissimam Christi gratiam in terras pluit. Levis etiam jure optimo nuncupatur, quia virili semine prægravata non est, et quia nullum peccati, nec passionis, aut fomitis pondus habuit. Per hanc etiam nubem levem suo modo intelligi potest sanctissimus Joseph ab æterno electus, in utero matris sanctificatus, a peccati fomite per extinctionem liberatus, in gratia confirmatus, a peccato mortali semper immunis, et duobus tandem gratiæ principiis, Christo videlicet et Virgini maxime conjunctus, qui currus et auriga Christi effectus, brachiis etiam suis vicissim cum Virgine Christum in Ægyptum deferens, Ægyptiis Salvatorem evangelizavit, ut in lib. III. tractat. II. usque XII. luculentissime ex professo resolvimus.

Christus fugiendo adversarios docuit nos fugere inimicos in illorum utilitatem.

Quod si roges, cum Christus posset facilioribus aliis ad se tuendum uti mediis, quare tantis, quare talibus se submisit difficultatibus et injuriis? P. Chrysologus, ser. 11. in festo Sanctorum Innocentum, sic quæstionem hanc proponit, et solvit : « Sed auditor dicas, cum posset aliter, quare tantis, quare talibus se submisit periculis et injuriis ? Quare? Primum, quia neque sine homine poterat salvari homo, neque sine humanis injuriis, injuriæ humanæ poterant amputari. Causam suam facit, qui alterius vult cavere: qui non compatitur, amputare non potest passiones. Christus nos in se suscepit, ut se daret nobis ; pertulit passiones nostras, ut nostras tolleret passiones. Hinc est quod Christus fugit, ut nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam ; non comprehensus debet fugere persequentem, ut et persecutori indulgeat resipiscendi tempus, et sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino Matth. X. *Si vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam.* Persecutorem qui provocat facit, corrigit qui declinat. Fugere debemus ergo, provocare non debemus, si salvari persecutores nostros volumus. Pro quibus præceptum est nos orare. *Orate*, inquit Dominus, Matth. V. *pro persequentibus vos.* Orandum est, fugiendum est, ut et ille, qui per ignorantiam furit, sanetur et ille qui patitur, de patientia palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres, si Paulum martyres non fugissent, Paulum non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exemplum, ut fugiente Domino, fugere indignum non putet servus. »

Aggressus quando possit vel teneatur aggressorem fugiendo evitare.

Ex qua Christi Domini fuga, et ex doctrina D. Petri, I. epistola canonica, cap. II. v. 21. 22. 23. et 24. *In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus ; qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus ; qui cum malediceretur, non maledicebat ; cum pateretur, non comminabatur ; tradebat autem judicanti se injuste ; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus ; cujus livore sanati estis.* Colligitur quod licet defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ a jure naturæ sit licita et permissa, ut habetur in l. 3. ff. de justitia et jure in hæc verba : « Ut vim atque injuriam propulsemus : nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. » Idque absque ulla controversia est apud omnes. Tunc autem tutelæ moderamen justum esse judicabitur, quando, nisi occiso aggressore, vitam suam aggressus servare nulla ratione posset. Unde si posset aggressus fugiendo illæsus evadere, id facere teneretur, nisi in casu quo inimicus aggressor esset prope, et aggressus fugiendo et terga vertendo, posset

facile ab eo percuti ; quia tunc non tenetur fugere, sed suam salutem tueri. Vel in casu quo aggressus esset princeps , aut vir alias nobilissimus, qui ex fuga notabile sui honoris et famæ detrimentum pateretur. Hujusmodi enim clarissimi viri honor alterius inferioris vitæ comparatur; quamvis alias inter vitam et honorem longa sit differentia : membrorum enim et vitæ , quæ ipse neque acquisivit, nec semel amissa recuperare potest, non est dominus ; famæ autem et honoris , secundum receptiorem sententiam, unusquisque dominus est, quia ab eo acquiri et recuperari possunt , ut in lib. II. tract. IX. probavimus. Sic censent doctores, juris Cæsarei præcipue, in l. 1. C. unde vi. et tradit D. Antonius Gomez. de delictis. c. III. de homicidio. n. 23. Circa quod tamen semper mihi placuit gravissimi Alexandri jurisconsulti, consilio 119. lib. 7. sententia , existimantis, « defensionem illam, amissa a quocumque possibili fuga, immoderatam et inhumanam Barbaris potius quam viris ratione præditis et religione christiana institutis convenientem esse.» Quem adducens et laudans episcopus Covarruvias in Clement. Si furiosus, de homicidio. p. 3. §. unico. num. 4. in fine , his verbis confirmat : « Et sane præter ipsum Alexandrum ego considero iniquam esse hanc commutationem, saltem non omnino æquam, quod ob tutelam honoris proprii vitam quis adimat alteri, præsertim ob honorem ad mores probos minime pertinentem, nec reipublicæ utilem ac religioni catholicæ commodum, quod poterit ex D. Thoma, 2. 2. q. CXXXI. art. I. probari. »

Aggressus suum occidens aggressorem efficitur irregularis.

Quod etiam satis confirmatur, quia qui poterat mortem vitare fugiendo, si omissa fuga invasorem occiderit , irregularis efficitur, non solum si aggressus clericus fuerit, juxta Glossam in dicta Clement. si furiosus. et in c. suscepimus, de homicidio. et communem doctorum sententiam , sed etiam in eo qui cum esset laicus tempore aggressionis , poteratque fuga mortem effugere , et nihilominus aggressorem occidit ; hic enim licet secundum propositam distinctionem quoad pœnam temporalem , et quoad ejus diminutionem et moderamen non sit obnoxius, quoad irregularitatem tamen verius videtur quod laicus iste, cui ignominiosum esset fugere, homicidii culpam aliquam habeat. Quæ etsi gravis non sit ratione honoris , nihilominus culpa est quæ quoad irregularitatem sufficit, præsertim quod constitutio illa Clementina si furiosus. de homicidio. tunc tantum liberat ab irregularitate, cum aliter mors vitari non potest, cujus verba sunt : « Si furiosus aut infans , seu dormiens hominem mutilet, vel occidat , nullum ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens , suum occidit, vel mutilat invasorem. Ubi Glossa verbo, non valens, ita explicat : « Inangulatus est , vel sic arctatus, quod fugere non poterat, nec se juvare clamore, vel aliter, » ut optime tradit Covarruvias ibid. 3. p. §. unico. num. 4. Christus enim, cujus vestigia sequi debemus, ut ex Petro Chrysologo vidimus , nobis reliquit exemplum, ut fugiente Domino fugere indignum non putet servus.

Maxime cum licitum et laudabile sit vitam propriam corporalem morti exponere, non solum pro vita spirituali amici, in quo nullum est dubium, sed etiam pro temporali : Christus enim Dominus, Joan. XV. universaliter et absque ulla distinctione dixit : « Majorem hanc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. » Ita docet S. Thomas, 3. dist. XXIX. art. V. ad 3. et lib. I. de regimine Principum, c. X. et 22. q. XXVI. art. V. ad 3. quem sequuntur Victoria in relect. de homicid. n. 25. et Corduba, lib. I. quæst. theol. q. XXVIII. ad 4.

Unde ad nostrum peculiare propositum opus perfectionis est, ut invasus sinat se occidi ab injusto invasore, quando nullum refugium remaneret, nisi invasorem occidere, ut late probant Victoria, ubi supra n. 24. et Cajetanus, 2. 2. q. LXIV. ar. VII. et Sylvester, verbo, bellum, II. q. III. et alii plures Neoterici. Quid ergo dicendum nobis est, quando per solam fugam utriusque invasoris et invasi potest vita incolumis conservari? in quo quidem imitandum nobis exemplum sanctissimus præstitit ac reliquit noster Joseph, qui propriis videns oculis sponsam suam prægnantem, et potens vel illam ut adulteram accusare, vel saltem ad maledictionis et probationis aquas ad sacerdotem traducere, ut in tract V. per totum ex gravissimorum auctorum sententia, lib. IV. retulimus, pro bono pacis fugam eligere cogitabat.

Joseph autem, ait Evangelista Matthæus, I. v. 19. *vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere voluit occulte dimittere eam.* Omnes enim Christi fideles secundum uniuscujusque status rationem ad perfectionem curandam

sumus obnoxii, docente Domino, Matt. v. *Estote perfecti sicut pater vester cœlestis perfectus est*, ut post S. Basilium, Chrysostomum, Cyprianum et alios probat eleganter P. Hieronymus Plati. lib. I. de bono statu religiosi. cap. XII. per totum.

Heroica Josephi fides multis probatur, et quod nunquam passus fuerit scandalum.

Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum, etc. Cum Athalia mater Ochosiæ vellet interficere omnè semen regium, Josaba filia regis Joram, soror Ochosiæ, Joas filium Ochosiæ furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, et nutricem ejus de triclinio, et abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur, eratque cum ea sex annis clam, nec destitit, donec regem Israël illum constituit; ut IV. Reg. XI. habetur. Noster autem Joseph præstantius quam Josaba, in qua figuratus est, infantem Jesum et matrem ac nutricem Mariam, ne ab impio Herode interficeretur, surgens accepit clam, in ipsa nocte, et secessit in Ægyptum ubi sex annis commorati sunt, ut infra in hoc eodem tractatu dicemus, eumque nutrivit et aluit, donec Rex regum et Dominus dominantium, cui data fuit omnis potestas in cœlo et in terra, factus fuit, ut ex Isolano diximus, lib. II. tract. I. In hoc Joseph suam stabilem fidei firmitatem ostendit, ut elegantissime, ut solet, S. Chrysostomus, hom. 1. de Innocentibus, annotavit, dicens: « Quæ cum audisset Joseph, nequaquam passus est scandalum, nec dixit: incerta res est, ac prorsus ambigua; tu paulo ante dicebas quia salvabit populum suum, et nunc seipsum quidem non potest de periculis liberare; aut si potest, quid nobis est opus labore, ac transmigratione longinqua? contraria omnino sunt facta promissis. Sed horum nihil prorsus opponit, vir enim erat fidelis. Nec curiose reversionis tempus inquirit, quod utique ab Angelo non signate fuerat expressum, *sed esto ibi*, inquit, *usquequo dicam tibi*. Et P. Chrysologus, ser. 145. « In revelationibus, inquit, per Gabrielem Archangelum illi factis, Josephi excellentia et dignitas ostenditur, et maxime ejus fides et obedientia declaratur. Nam Angelo prius Incarnationis mysterium revelanti, et postea fugam in Ægyptum præcipienti, quamquam mysterium esset altissimum, et externa specie res ipsæ inter se non multum cohærere viderentur, promptissime et sine ulla hæsitatione credidit, et obedivit. » Quapropter Rupertus, lib. I. de gloria et honore Filii hominis, super c. 1. Mat. post med. in illa verba: *Joseph fili David, noli timere*, etc. comparat Josephi nostri quidem fidei David et Abrahæ; luculentius tamen archiepiscopus Christophorus a Capitefontium, lib. de perpetua virginitate Mariæ et Joseph, pag. 249. et 250. cum seq. « Consideremus, ait gravissimus iste vir, oportet, magnam admodum fuisse fidem Joseph. Non enim vix aliquid magni de Deo credere volumus, vel illum plus posse quam rerum natura patitur, et ideo ille maxime gratus est Deo, qui illi dicenti aliquid secundum naturam incredibile statim credit; qua ratione multum Deo placuere Abraham, Isaac et Jacob, et alii similes, qui prompte in difficilibus crediderunt. E converso autem Moyses, Aaron et Zacharias displicuere, quia non statim Deo crediderunt. Ex his cogitemus quam magna nostri Josephi fides eximia, cui vix alterius sancti poterit comparari, quam magna de Deo constanter, et perseveranter credidit. Magna, quia ex ea magna secuta sunt opera. Magna, quia inter innumeras tentationes semper firma perstitit: quæ tentatio, obsecro, fuit videre uxorem gravidam, non a se cognitam? quam difficile creditu quod sine virili congressu gravida facta esset; cujus tentationis materia et occasio, ex ipsa rei qualitate, duravit, quamdiu vixit. Et in particulari magnitudo ejus fidei per dilectionem operantis manifesto constat. Primo, statim a partu Virginis jubetur fugere in Ægyptum et puerum secum tollere, cujus cunæ et vagitus quantum hominem ostendebant, tantum Deum abscondebant. Secundo, ex hac inconcussa fide factum est ut tantam curam haberet filii quem sciebat non esse suum, et tot pro eo labores et pericula subiret, et tot pro eo pateretur, et tantum illi timeret; certe, si Joseph adulteram sponsam suam credidisset, non fuisset illi ingratum, filium ex adulterio conceptum a rege occidi. Tertio, annon tentabatur ad credendum non esse Dei filium, cum jubebatur hominem Herodem fugere? Quarto, cum Joseph videbat puerum vagientem in cunis cæterorum more puerorum, et nihil magni in eo apparere, idque per multos annos, annon maxima ei tentationis materia erat? Quinto, in somnis locutus fuit ei Angelus, et statim credidit Mariam Virginem concepisse, quod miraculorum est miraculum; Zachariæ sacerdoti vigilanti, et in templo oranti apparuit Angelus annuntians futuram et miraculosam filii Joannis con-

ceptionem, et ob incredulitatem mutitate punitur; at nostro Josepho dormienti et non vigilanti, in lecto, non in templo oranti loquitur Angelus, et statim credidit. Ex quo moraliter evidenter patet Josephum antea Mariam innocentem et virginem credidisse; alias enim non ita cito credidisset Angelo; imo quilibet maritus suspiciosus dixisset: somnia ne cures, et illusionem potius dæmonum esse existimasset. Sexto, magnitudo fidei colligitur ex amore et dilectione maxima quam habebat, et operibus ostendebat puero et Virgini per tot annos, et absque ullo præmio præsenti. Et licet certo sciret Christum non esse filium suum, nec ejus matrem esse conjugem suam quoad usum; utriusque tamen tantam curam habebat, ac si sui essent filius et ejus mater. Sed dices, quid mirum omnia hæc, quia Joseph sciebat illum esse Filium Dei? fateor libenter, et hoc est quod fidem ejus maxime commendat, quoniam unicæ tantum et nocturnæ Angeli apparitioni ex Spiritu sancto conceptum Christum credidit, et in hac fide perseverans, semper cum Maria mansit, semper illi ut dominæ suæ et filio ejus servivit. »

Josephi cæca et promptissima obedientia in omnibus etiam difficillimis.

In hoc etiam nostri Josephi promptissima et cæca obedientia, quæ illuminatissima et oculatissima potius dicenda est, splendet. *Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum.* Attende ergo incunctantem Josephi obedientiam, cui unice competit illud Prov. XXII. *Vidisti virum velocem in opere suo, stabit coram regibus :* non enim causatur Joseph itineris longitudinem et difficultates, nec dulcis amor patriæ, cognatorum et amicorum eum aliquo modo detinuit diutina consuetudo. Nec etiam acerrimorum hostium rabies, furor, ac effrænatus impetus retardavit : eorum enim mala non timebat, quia secum Christum deferebat, sed obedit ut Abrahæ verus filius, qui, Gen. XII. exivit de terra sua. Adhæsit igitur verbo Dei, etiamsi contrarium videbat, nec dixit : qui fieri potest ut aliorum Salvator sit, qui ut vitam propriam servet, Ægyptum petit ac fugit? Quam Josephi obedientiam P. Salmeron, to. III. tract. XXX. sic ponderat, et in omnibus exaltat: « Fuit Joseph obediens, tum Deo in præceptis legis : nam ascendebat ad stata tempora de more Judæorum; tum Angelis quorum monitis prompte et alacriter obtemperabat; tum Cæsari proficiscendo in Bethlehem cum sponsa sua ut profiteretur. Neque in iis modo, quæ levia erant ac facilia factu, obedientem ac morigerum se præstabat; verum etiam in duris et asperis, atque in laboriosis; ut in solutione census, in fuga in Ægyptum, in reditu cum metu Archelai regis : præstabat etiam obedientiam cæcam non responsans, neque se excusans; ideo ab Evangelista inducitur semper silens ac taciturnus, ac reipsa quod imperatum est, adimplens. » De qua Josephi cæca et promptissima obedientia in lib. IV. tract. IV. et in tract. XXV. ejusdem libri quarti, et in hujus lib. V. tract. I. fusius disseruimus.

Fuga in Ægyptum terra et non mari facta fuit.

Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Per quam autem viam in Ægyptum sanctissimus Joseph cum puero et matre ejus profectus fuerit, P. Salmeron, tom. III. tract. XLIV. ante medium, defendit non navigatione maritima, sed terra iter peregisse his verbis : « Quod si pergas inquirere qua via descenderit Joseph in Ægyptum, dicendum est Ægyptum terram esse quasi inaccessam ex omni parte, et tantummodo per mare ex parte Occidentis ad eam esse aditum; et ita facilior via descendendi in Ægyptum erat in Joppem portum ad mare interius pervenire, quod novem tantum leucis distat a Bethlehem : inde vero ad Ægyptum sunt octoginta leucæ. Sed ne diu expectare in portu illo cogerentur, et maris navigatio infanti noceret, in Gazam Palestinæ oppidum venerunt, quod intra terram promissam continetur, distatque a Bethlehem viginti leucis; a Gaza vero ad Babylonem Ægyptiam, primam terræ Ægypti civitatem cultam censentur quinquaginta leucæ, sive ducenta milliaria italica; et hoc iter potius tenuerunt, tametsi deserti pars magna esset emetienda. »

In fuga et itinere ingentes labores Jesus, Maria et Joseph perpessi sunt, a Deo tamen consolationes receperunt.

In qua itineris longinquitate Jesus, Maria et Joseph pauperes et peregrini ingentes labores, difficultates, et rerum temporalium incommoditates perpessi sunt, ut optime contemplatur D. Bonaventura in opusculo de meditationibus vitæ Christi, cap. XII. post principium, dicens : « Fugiebat Dominus ante faciem servi, imo potius servi diaboli; portabat eum mater tenera et juvenis valde, et S. Joseph vir ejus in Ægyptum per viam sylvestrem, obscuram, nemorosam, asperam et inhabitatam, per viam etiam valde longinquam. Dicitur quod ad iter cursoris, sunt duodecim vel quindecim dietæ; pro eis autem fuit forte iter duorum mensium et plurium. Sed quomodo faciebant de victu secum portando? ubi etiam et quomodo de

nocte quiescebant et hospitabantur; raro enim domos in illo deserto inveniebant ? » Secundum tamen multitudinem laborum, cœlestes consolationes animas eorum lætificabant, cantantes adinvicem canticum Domini in illa aliena, deserta, invia et inaquosa terra, facti ambo vicissim currus et auriga Christi Domini, ut in lib. III. tract. IV. et XIV. et in tract. I. hujus libri quinti probavimus. Sed præcipue sanctissimus Joseph in itineribus istis sæpe in Ægypti detentione, in reditu ex Ægypto semper et ubique omnia novem ordinum Angelorum officia et ministeria cum Virgine et Jesu diligentissime et amabilissime exercebat, ut in lib. III. tract. XIII. resolvimus.

Arbor Christum in Ægyptum intrantem adoravit, et idola corruerunt.

Intrantes autem Ægyptum, Hermopolim civitatem pervenerunt, et, ut Sozomenus, lib. V. Historiæ ecclesiasticæ, cap. XX. refert, cum portæ civitatis appropinquarent, arborem quamdam plane maximam adventu Christi turbatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, et Christum adorasse, cujus arboris fructus, aut folium, aut particula aliqua corticis ægrotis admota morbos a compluribus depulerit. Atque hæc quidem de hac arbore, sicut a multis audivi, a me commemorata sunt : hæc Sozomenus ; et tradit P. Barradas, lib. X. cap. IX. §. Hermopolis civitas. statimque omnia idola provinciæ Ægyptiorum corruerunt, juxta Isaiæ vaticinium, cap. XIX. de quo D. Bonaventura loco proxime citato, et alii quamplurimi agunt.

Ministeria Mariæ et Josephi in Ægypto.

Isto autem tempore, ait D. Bonaventura, ubi supra, Domina colo et acu, Joseph autem arte lignaria sibi et filio necessaria quæritabant. Quid autem propter artis carpentariæ strepitum et rumorem cum vicinis suis accidere, moraliter loquendo, potuisset, et qualiter verbis suavibus, humilitate et mansuetudine omnes fuerint lucrati, et ad suum attraxerint affectum et amorem, diximus in lib. III. tract. XV.

Cum enim Jesus, Maria et Joseph essent speciosissimi et pulcherrimi ; in lib. II. tra. X. per totum resolvimus; cum accideret beatissimum Josephum publice per Ægyptum puerum Jesum deferre, omnes Ægyptii pueri pulchritudinem admirantes, ad eum confluebant, rogabantque : Cujus filius est hic puer candidus et rubicundus, electus ex millibus? quibus Joseph ingenti humilitate et modestia respondebat : Filius meus est ; erant enim decore similes, et Joseph multo pulchrior Josepho altero patriarcha, ad quem videndum Ægyptiacæ mulieres discurrebant per murum, de quo in lib. II. tract. XIX. egimus.

Jesus, Maria et Joseph quamdiu apud Ægyptum commorati fuerint.

Cum ergo apud Ægyptum Jesus, Maria et Joseph commorati essent duobus annis, secundum Epiphanium, aut tribus annis, secundum Nicephorum, aut septem annis, secundum receptiorem sententiam Ammonii, Origenis, D. Anselmi, D. Thomæ, D. Bonaventuræ, et aliorum plurium, quos referunt et sequuntur P. Suarez, to. II. q. XXXVII. ar. IV. dis. 17. sect. 2. fere per totam, et P. Barradas, lib. X. c. IX. §. Quod attinet. *Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël: defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri*, etc. Cui statim obsequentissimus obedivit Josephus, ut in tract. sequenti explicabimus.

DEFUNCTO AUTEM HERODE, ECCE ANGELUS DOMINI APPARUIT IN SOMNIS JOSEPH IN ÆGYPTO, DICENS : SURGE, ET ACCIPE PUERUM ET MATREM EJUS, ET VADE IN TERRAM ISRAEL, ETC. AUDIENS AUTEM QUOD ARCHELAUS REGNARET IN JUDÆA PRO HERODE PATRE SUO, TIMUIT ILLO IRE; ET ADMONITUS IN SOMNIS SECESSIT IN PARTES GALILÆÆ, ET VENIENS HABITAVIT IN CIVITATE, QUÆ VOCATUR NAZARETH, ETC. Matth. II. a v. 19.

TRACTATUS VII.

De reditu Christi ex Ægypto.

Joseph Angelorum amicus fuit.

Completis septem annis, ait D. Bonaventura in opusculo meditationum vitæ Christi, cap. 13. in principio, quibus Deus peregrinatus est in Ægypto, Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens : Tolle puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël : defuncti enim sunt, qui quærebant animam

pueri. Qui accepit puerum et matrem ejus, et rediit in terram Israël, et cum pervenit ibi, audiens quod Archelaüs filius Herodis regnaret ibi, timuit illo ire ; et iterum admonitus ab Angelo ivit in Galilæam, civitatem Nazareth. » Quis non videat ex tam frequenti Angelorum apparitione Josephum nostrum eorumdem Angelorum valde amicum fuisse? etc.

Joseph prudentiæ virtute claruit.

Inter reliquas sanctissimi nostri Josephi virtutes præclaras, quæ incomparabilem ejus sanctitatem, dignitatem et honorem ostendunt, et in nostram omnium utilitatem et ædificationem cedunt, illa in hujus Evangelii limine magis splendet et apparet, ejus scilicet prudentia et sapientia, actus dirigens in particulari : est enim *scientia Sanctorum prudentia*, Proverb. IX. v. 11. nam cum ab Angelo mandatum habuisset veniendi in terram Israël, audiens quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre suo, prudentia ductus timuit illo ire, quia cum Archelaüs institutus fuisset hæres et successor regni, ac totius terræ Israël ab Herode patre suo, et quod verisimiliter fauturus esset voluntati et factis paternis ; cum filii soleant ut bonorum, ita et inimicitiarum paternarum hæredes existere. Qua ratione imperatores Arcadius et Honorius in l. quisquis. §. filiis. C. ad legem Juliam majest. ita decreverunt : « In filiis paterni, hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur, » de quo in lib. I. tract. IX. latissime egimus, ut optime P. Salmeron, tomo 2. tract. 30. his verbis adnotavit : « Prudenter enim Joseph fugit Herodem et Archelaüm, qui necem Christi Jesu meditabantur : prudentior etiam multo fuit quam Joseph princeps Ægypti, qui frumentum pro futuræ sterilitatis annis provide conservavit : hic autem verum granum frumenti, quo justi omnes et beati satiantur, servavit ac custodivit, ut pulchre descripsit D. Bernardus homil. 2. super *Missus est.* » Et idem P. Salmeron in eodem tomo III. tract. XLV. ad principium : « Fidelis et prudens, atque diligens servus fuit Joseph, cui Deus tantam commisit familiam : itaque humanum studium erga puerum adhibebat, ac si puer divinas non haberet vires ; quoniam vere homo erat, et miracula a Deo sine causa expectanda nequaquam sunt ; merito timuit Joseph, uti Angelus confirmavit : nam *admonitus in somnis secessit in partes Galilææ, et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam ; quoniam Nazaræus vocabitur ;* nam Dei consilium est in his, ubi non præcepit contraria, ut nos prudenter periculis occurramus, et cum oportet, timeamus etiam ; semper enim nobis aliquid relinquitur, quo Deo operari possimus, et utamur rationis munere, ne data videatur frustra. »

Deus aliqua humanæ prudentiæ relinquit, ut homo cooperans mereatur exemplo Josephi.

Providentia enim divina gestum esse non dubitamus, quod hic Angelus Domini locum aliquem Josepho in particulari non assignaverit, in quo ex Ægypto rediens posset tuto cum puero et matre Virgine habitare, sed in universali, dicens : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël.* Cujus rei rationes assignat P. Salmeron, tractat. XLV. post principium, in hæc verba : « Non determinat autem locum Angelus, ne ad unum dumtaxat locum videatur adstrictus ; verum generice ait : Revertere in terram Israël : tum ob consolationem Joseph, nam ex visione Angeli significantis ei quid facto opus esset, solatium accipiebat et securus erat ; deinde ut Joseph postea dubius cogeretur ad eum confugere consilii gratia, nam si Angelus præscripsisset locum certum, nequaquam dubitaret, itaque non esset ei opus orare et consulere Dominum ; qua ille occasione merendi caruisset. *Nam, cum ignoramus quid agere debeamus,* aiebat bonus ille Josaphat, II. Paralip. XX. *hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad Dominum ;* ad hoc, Deus sicut non deficit homini in necessariis, sic in his quæ non sunt necessaria, haud providet modo plusquam naturali. Omnes autem revelationes supra naturam sunt ; ideo desiderari solum debent in his rebus, in quibus homo nullo modo potest prospicere per humanam prudentiam. Aderat tamen in dubio isto facultas providendi Josepho ; sed tamen quia contingere poterat ipsum dubitare et timore affligi, rursus eum Angelus per quietem admonuit ut iret in Galilæam : *defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Pluralis numerus pro singulari ponitur : vel sceleris administros consiliarios computat Herodis, qui sicut squamæ illi uniebantur, et mortui erant. »

Joseph potuit et usus fuit justa epichæia ; quia lex non in verbis, sed in ratione consistit.

Timuit ergo Joseph, audiens quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre suo, reverti, et habitare in terra Israël. Et prudenter quidem timuit, quia, ut superius diximus, filii parentum suorum facta imitaturi præsumuntur. Poteratque, angelica monitione cessante, utens prudentia sua,

terram Israël non intrare, aliamque eligere tutiorem. Certum est enim et in confesso apud omnes inferiorem quemquam, ex rationabili causa denuo supervenienti, quam vel superior ignoravit, vel ei non providit, posse epichæiam exercere, idemque facere, quod ipse superior re cognita prudenter et verisimiliter esset facturus, quia, ut docet S. Thomas, 2. 2. q. CXX. art. I. in corpore, « in his et similibus casibus, malum est sequi legem positam. Bonum autem est prætermissis verbis legis sequi id quod poscit justitiæ ratio, et communis utilitas : et ad hoc ordinatur epichæia, quæ apud nos dicitur æquitas. » Pro quo elegans Juliani jurisconsulti extat determinatio in l. si hominem. ff. mandati. ubi procurator generalis ea potest impedire, quæ dominus conficienda speciatim demandarat, ex justa causa, quam dominus ignorabat, teneturque qui hujusmodi procuratori justam causam proponenti non paruerit, ad interesse. De quo plures casus contingentes referens agit latissime Tiraquellus, in tract. de pœnis temperandis in præfatione, a num. 25. usque 70. ex quo etiam principio et radice in legibus, statutis, contractibus et ultimis voluntatibus illud censetur expresse determinatum et conventum, quod verisimiliter hominum prudentum consilio, si disponens fuisset interrogatus, ita respondisset; ut docuit Glossa ultima in l. tale pactum. §. finali. ff. de pactis; ubi cum Jasone n. 16. est communis doctorum sententia, « quia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. CXX. art. I. in corp. in principio, humani actus, de quibus leges dantur, in singularibus contingentibus consistunt, quæ infinitis modis variari possunt. Non fuit possibile aliquam regulam legis institui, quæ in nullo casu deficeret: sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes : quam tamen in aliquibus casibus servare est contra æqualitatem justitiæ, et contra bonum commune quod lex intendit; sicut lex instituit quod deposita reddantur, quia hoc ut in pluribus justum est; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium et eum reposcat, dum est in furia : vel si aliquis reposcat depositum ad patriæ impugnationem, etc. » Unde merito dixit jurisconsultus Celsus : « Scire leges non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. » l. scire. ff. de legibus. Et Paulus itidem jurisconsultus. « Contra legem facit, quid id facit quod lex prohibet : in fraudem vero legis, qui salvis verbis legis, sententiam ejus circumvenit. » l. contra. ff. de legibus.

Joseph ingenio, prudentia et consilio omnes excelluisse probatur.

Ex his luce meridiana clarius colligitur sanctissimum nostrum Josephum fuisse ingenio et prudentia præstantissimum, ut scite satis ponderavit Isolanus, I. p. c. XVI. « Joseph nobilissimus ergo intellectu præstantissimas illuminationes quoque ab Angelis frequenter accipiebat, ut in Evangelio legitur. A beatissima itidem Virgine et a Christo erudiebatur. Quis regum, quæso, nisi mentis inops, gratissima sibi gubernanda committeret viro non sapientissimo, solertissimo, fidissimo? Deus cujus sapientia incomprehensibilis est, Christum finem totius universi, ac toto universo pretiosiorem gubernandum, custodiendum, enutriendumque dedit sancto Josepho. Illum igitur ingenio fulgentem præclarissimo inter omnes homines suæ tempestatis recta affirmaverim ratione, litteris mandaverim. Hinc Joseph voluntas charitate in flammas divinas erumpebat, qua omnia illius opera, verba, motus, obsequia quam excellentissimo decorabantur. » Et longe inferius, III. p. c. XII. §. sequitur. « De dono consilii inquit B. Gregorius, lib. II. Moralium, quod prohibet esse præcipitem respectu præsentium, et ratione animum replet respectu futurorum : exhibet enim lumen, quo initiantur discursus multiplices ad excogitanda, penetranda et tandem perficienda quæ se se agenda obtulerint. Quod autem donum consilii præstantius fuerit in Joseph post Virginem probatur, primo : ex parte subjecti, scilicet Christi, cujus gratia tantis affecit muneribus Deus Joseph. Nam sapientissimus rex maximis in rebus agendis sapientissimos deligit consultores; sed omnium supremum entium est Christus, utpote totius conditor universi, reparator et finis. Si ergo Deus ipse delegit Joseph ut Christum custodiret et conservaret, præsertim inter potentes, astutos et crudeles, sana cogimur ratione, nec obnubilata fateri illum quoque donasse præstantissimo munere doni consilii; et hoc post beatam Virginem, quæ immediatius ad Christum ordinata fuit. Adhuc mysteria consiliorum quanto altiora, tanto solent a sapientissimis regibus majori vigentibus consilio revelari; sed supremum omnium mysteriorum fuit Incarnatio Filii Dei, quæ post beatam Virginem reginam, profundius declarata fuit Josepho per Angelum; pariter igitur post

eam, dono consilii præstantissimo claruit Joseph. Secundo, ad idem principaliter arguitur ex parte Angelorum sic : Illuminatio Angelorum mentem purgat, conversatio eorumdem mirum in modum erudit, eruditio vero angelica omne humanum superat consilium, utpote a Deo descendens : ergo clarus propter illuminationem angelicam, clarus quoque erit in dono consilii ; sed nullus clarior habetur in præfatis post beatam Virginem ipso Josepho, ceu sacra docent Evangelia : dono igitur clariori consilio præcelluit Joseph. Tertio, ad idem arguitur ex parte Virginis sic : Caput mulieris est vir, ut ipsam suo gubernet consilio ; sed Joseph datus fuit a Deo caput beatissimæ Virginis ; ergo aut fuit illa sapientior, aut æque, aut minus. Sed non primum, nec secundum asseverandum est, et hoc propter singularis hujus matrimonii divinam gratiam ; ergo saltem minus illa, et hoc immediate, ut sponsus convenientissime tantæ jungeretur mulieri. Et paulo inferius sic colligens concludit : Minus profecto perspicax esse videtur qui dubitat Josephum haud ignobilis fuisse ingenii virum, et cum sapientia ipsa multos per annos demoratum præstantissimo scientiæ dono non claruisse. Qui præstant ingenio, qui prudentia vigent, qui mysteria rerum divinarum inter humana gesta experientia teste didicerunt, fideli voce pronuntiabunt Josephum scientissimo Dei munere præcelluisse, » adeo quod Joseph præstantissima sua prudentia poterat facillime totum gubernare mundum, qui, quod majus incomparabiliter est, Christum et Virginem gubernabat, ut in lib. III. tract. VIII. resolvimus.

Joseph timoris donum perfectissime habuit, et declaratur quotuplex sit donum timoris.

In eo autem quod noster Evangelista Matthæus ait : *Audiens autem quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire.* In eo etiam quod videns conjugem suam prægnantem, timens nolebat eam traducere, volens occulte dimittere eam; cui Angelus dixit : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ;* aperte constat sanctissimum Josephum cœleste timoris donum in gradu heroico habuisse, ut optime Isolanus loco proxime citato, cap. XII. ad finem, in hunc modum : «Timorem triplicem scimus, servilem, qui in peccatore futuro justo donum Spiritus sancti præcedit; initialem, qui oritur illico post infusam gratiam Spiritus sancti ; ac castum, qui cum charitate semper perseverat. Timor servilis ideo dictus est, quemadmodum servi se habebat, qui divinos oculos offendere perhorrescit, ne ab eo flagelletur. Hic est timor de quo, I. Joan. IV. dicitur : *Timor non est in charitate;* et D. Augustinus, in epistolam Joannis scribens, ait : Sicut seta introducit filum, ita timor charitatem. Hunc timorem Joseph a se abjecit; bonus enim erat, et virtutis amore, non formidine pœnæ peccare metuebat. Divinam quidem ultionem noverat severam, et horrendum esse incidere in manus punientis Dei : sed divino saucius amore, oculum mentis in divinæ radios dilectionis figebat pœnarum oblitus; inde timor Josephi respectu culpæ erat initialis, de quo dicitur Prov. VIII. *Timor Domini odit malum ;* hic timor comparatus timori casto imperfectus est; perfectior in dies perfectus ipse idem timor castus efficitur. Castum hunc timorem vocat Apostolus Paulus filialem, ad Rom. VIII. scribens : *Non enim*, inquit, *accepistis spiritum servitutis iterum in timore ; sed accepistis spiritum adoptionis in amore, in quo clamamus Abba, Pater.* Divus ait Augustinus castum hunc timorem assimilari timori castissimæ uxoris, quæ cavet ab omni offensa in sponsum, verita solam dilectionis minorationem. Duo sunt hujus timoris actus : primus est separari a Deo ; secundus, Deum eumdem venerari, vel revereri; est autem reverentia mixta cum dilectione subjectio. Hic est timor quo claruisse Joseph excellentissime non ambigimus. Hic nempe timor ab amore nascitur, quia illius radix est charitas, propter amorem itaque ferventissimum, propter laborem frequentatissimum, et propter Dei cultum purissimum, quibus oppido Joseph emicuit. In eo quoque timorem castum pari fuisse gradu colligimus; hoc timore perciti sæpenumero timemus quæ minime timenda forent. Bonarum enim mentium est ibi timere culpam, ubi culpa non est. Neque dicimus ab hoc timore inane quicquam pervenire; sed quia hoc timore pollentes dubia aggredi horrent, donec certo certius noverint an ea in opere offensa Dei comperiatur. His demum divina suffragatur bonitas, internæ lucis solatia præstans. Hinc Joseph timuit accipere Mariam conjugem suam. At Angelus lucis ad eum veniens dixit : *Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam ; quod enim in ea natum est de Spiritu sancto est.* Castus itidem timor parit notitiam rerum mundanarum; quoniam timor Domini principium est sapientiæ; et ab ea nunquam separatur : a qua prudentia mira-

bilis in rebus agendis ad divinum præsertim cultum spectantibus profluit. Qua de re de Joseph Evangelista refert : *Audiens autem quod Archelaüs regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire.* Verum reverentiam Joseph erga Christum scimus ex justitia ejus ab Spiritu sancto in Scripturis approbata; ex laborum frequentia, quam pro illo pertulit; ex templi frequentia, qua consueverat Deum adorare; Hierosolymam enim ascendere illi mos erat, secundum consuetudinem diei festi. Fuit igitur Joseph templum lucernas Spiritus sancti continens, semper ardens, septem excissis columnis sustentatum; fuit, inquam, vir unus, id est, singularis, propter electionem, propter operationem, et propter secutam glorificationem; quem septem mulieres apprehenderunt, id est, septem dona Spiritus sancti, merito mulieris nomine propter fœcunditatem significati; deferunt vero secum vestimenta ac cibos, quibus animam nutriant et exornent. »

Prælatis quando liceat loca mutare, grege relicto

Ex hoc autem quod Angelus bis Josepho præcepit, ut locum mutaret : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum; et esto ibi usquedum dicam tibi : futurum est enim*, etc. Et postmodum : *Defuncto autem Herode, ecce Angelus*, etc. *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël*, etc.; colligitur aperte, justa causa existente, tam imperfectis quam etiam perfectis hominibus licitum esse loca mutare, ac de una in aliam transmigrare civitatem, juxta Christi Domini sententiam, Matth. x. v. 23. *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam;* ubi S. Thomas sic docet et explicat : « Hoc infirmis expedit, ne incaute se periculis exponentes deficiant : item docet etiam perfectos, etsi non propter seipsos, tamen propter aliorum salutem, ut habetur ad Philipp. I. v. 24. *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos*; istud autem ostendit Dominus, quando propter Herodem fugit in Ægyptum, ut habetur Matth. II. et hoc idem fecerunt discipuli, sicut habetur Actor. VIII. in principio. » De prælatorum autem ab ovibus recessu distinctionem esse faciendam docet idem S. Thomas, 2. 2. q. CLXXXV. art. v. his verbis : « Ubi subditorum salus exigit personæ pastoris præsentiam, non debet pastor personaliter suum gregem deserere, nec propter aliquod commodum temporale, nec propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis : si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia pastoris per alium provideri, tunc licet pastori vel propter aliquod commodum Ecclesiæ, vel personæ periculum corporaliter gregem deserere. » Quod S. Augustinus, epistola 180. post principium, adductus a S. Thoma, clarius expressit dicens : « Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisque specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent : si enim perniciosum est nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus? ut dicit Nicolaus Papa in c. sciscitaris. 7. q. 1. » Prælatus igitur qui ob subditorum utilitatem, vel ob temporale, aut spirituale proprium damnum vitandum, substituto relicto sufficienti, aufugit, mercenarius censendus non est, nec in Salvatoris nostri sententia comprehensus, de qua Joan. x. *Mercenarius et qui non est pastor, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit, quia mercenarius est*, etc. Sed ille tanquam mercenarius fugit, qui commodum temporale, vel etiam salutem corporalem spirituali saluti proximorum præponit; ut docet S. Thomas, in d. art. v. ad 1. Et sic intelligi debet concilium Tridentinum, sess. VI. c. I. et II. de reformatione, et residentia prælatorum, et sess. XXIII. c. I. de reformatione; et hinc beatus Joseph videns sponsam suam prægnantem, et non ex se, potuit justus juste cogitare de ea dimittenda, propter ipsiusmet Virginis sibi subditæ utilitatem, ne eam traducendo molestiam pateretur infamiæ : vel ob humilitatem propriam secum tanta Virgine habitare indignum reputans; unde *Joseph vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.*

Subditis quando liceat loca ex superiorum præscripto mutare.

De subditis autem religiosis præcipue, in locorum mutatione longe alia ratio attendenda est : his enim propter periculum aliquod [temporale, vel spirituale conveniens, imo locorum mutatio necessaria multoties est, ut S. docet Isidorus, lib. II. Sententiarum, c. I. in fin. « Valet, inquit, interdum conversis pro animæ salute mutatio loci, plerumque enim dum mutatur locus, mutatur et mentis affectus; congruum est enim inde etiam corporaliter avelli, ubi quisque illecebris deservivit : nam locus, ubi prave quis-

que vixit, hoc in aspectu mentis opponit, quod semper ibi vel cogitavit, vel gessit. » Cujus rei defectu multi in eadem damnatione permanent, et in eodem luti volutabro volutantur, juxta illud Hieremiæ XLVIII. v. 11. *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, et requievit in fœcibus suis, nec transfusus est de vase in vas, et in transmigrationem non abiit; idcirco permansit gustus ejus in eo, et odor ejus non est immutatus.* Mutatione loci Saül mutatus est in virum alterum, I. Regum X.v.6. Angeli eductum Lot ex Sodomorum civitate sic fuerunt allocuti : *Salva animam tuam ; noli respicere post tergum,nec stes in omni circa religione, sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas*; Genes. XIX. v. 17. Quæ quidem mutationes non ex levitate, non ex propriæ voluntatis affectu, sed ex Dei, et locum Dei tenentis præscripto faciendæ sunt, ut sint dexteræ Excelsi, et non hominis mutatio : alias enim quæ putatur medicina, in venenum facile convertetur, et suæ levitatis debitas luet pœnas, juxta illud Hieremiæ XIV. v. 10. *Hæc dicit Dominus populo huic, qui dilexit movere pedes suos et non quievit, et Domino non placuit*, semper inquietus, semper ut luna mutatur; *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est*, Threnorum I. v. 8. et unde gloriam quærebant, ignominiam adepti sunt. *Omnes qui glorificabant eam, speverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus;* Threnorum I. v. 8. Quod, proh dolor! tristitiæ, imo a vocatione recessus aliquando causa esse solet, ut in eodem loco immediate dicitur: *Ipsa autem gemens et conversa est retrorsum.* Et in his adimpletur illud Job XL. v. 6 et 7. *Contere eos in loco suo*, in eodem loco, in eadem re, quam ipsi sollicite curarunt, confundentur; *Gloriamque eorum in ignominiam commutabo*, dicit Dominus Oseæ IV. v. 7.

Mutatio loci ex obedientia facta revocari debet, quando signatus locus subdito videretur esse nocivus.

Unum tamen circa hoc est maxime advertendum, quod licet subditus non nisi ex sui superioris ordinatione mutandus sit ; *Animalia*, ait Ezechiel I. v. 12. *ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis; ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur cum ambularent*; et in loco signato commorari quiete debeat, donec idem superior aliud decreverit, ut nostro Josepho ad nostram doctrinam et ædificationem dixit Angelus: *Et esto ibi usque dum dicam tibi*; tamen quando signatus ex obedientia locus subdito nocivus esse appareret, ab eodem superiore in pristinum locum restituendus est, ut decrevit S. Gregorius Papa, libro XI. epistola 34. sic episcopo Syracusano rescribens in hæc verba : « Quorumdam ad nos relatione pervenit Cosmam, qui ex monacho monasterii sanctæ Luciæ a decessore vestro memorandæ memoriæ Maximiano in ecclesia Syracusana factus subdiaconus, atque a vobis postea in possessione, quæ Juliana dicitur, presbyter est ordinatus, ita nimia tristitia et loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam sibi pœnam existimet, et contritionis suæ fugam quærat auxilium. Et ideo, quia tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros volueramus esse præpositos, magnæ benignitatis est, si eum in ecclesiam, ubi subdiaconi est functus officio, sanctitas vestra reducere, atque illic presbyterum voluerit constituere cardinalem; quod et facere, quantum arbitramur, debetis, etc. » Refertur in c. quorumdam. dist. 74. Quæcumque ergo loci mutatio, maturitate, prudentia et non levitate facienda est, juxta illud Proverb. XIV. v. 15. *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos.* Quem locum sic explicat Jansenius ibidem : « Innocentis nomen non ponitur hic in laudem, sicut nec astutus in vituperium, sed sicut astutus hic et alibi ponitur pro prudenti et circumspecto, ita innocens pro simplici et imperito. »

Justis prospera et adversa tribuit Deus, quod in Josepho servavit.

Ex nostri Evangelii contextu, et ex his quæ in hoc et in præcedenti tractatu diximus, satis manifeste colligitur usitatus mos, quem Deus benedictus in sæcula cum suis maxime dilectis servare solet, scilicet visitandi et probandi, mortificandi et vivificandi; quod quidem cum sanctis omnibus fecit, quos nec tribulationes, nec jucunditates sinit habere continuas, sed tum de adversis, tum de prosperis, justorum vitam quasi admirabili varietate contexuit. Sed præcipue cum sanctissimo suo putativo patre, et vero nutritio Josepho suam hanc servavit consuetudidem, ut in lib. IV. tract. VI. ex S. Chrysostomo probavimus.

Christus quid fecerit post reditum ex Ægypto usque ad duodecimum annum.

Quid autem Dominus Jesus fecerit a reditu ex Ægypto usque ad annum duodecimum, quando in templo remansit, S. Bonaventura, opusculo mediationum vitæ Christi , capite XIII. in fi. sic ait: « Ecce reduximus puerum Jesum de Ægypto, et ipsi Nazareth quiescunt, et pauperem vitam ducunt; exinde autem usque ad duodecimum ætatis annum pueri Jesu, aliquid non legitur de ipso. Dicitur ta-

men et verisimile est quod adhuc ibi est fons, de quo puer Jesus deferebat aquam matri; faciebat enim hujusmodi servitia humilis Dominus : non enim habebat alium servientem.

Cum ergo, ut modo diximus, de puero Jesu nihil ab Evangelistis a reversione ex Ægypto usque ad duodecimum annum, quando in templo remansit Hierusalem, dictum sit, restat ut de hoc in sequenti tractatu fiat sermo.

ET CUM FACTUS ESSET ANNORUM DUODECIM, ASCENDENTIBUS ILLIS HIEROSOLYMAM, ETC. REMANSIT PUER JESUS IN HIERUSALEM, ETC. ET DIXIT MATER EJUS AD ILLUM : FILI, QUID FECISTI NOBIS SIC ? ECCE PATER TUUS ET EGO DOLENTES QUÆREBAMUS TE. ET AIT AD ILLOS : QUID EST QUOD ME QUÆREBATIS ? ETC. ET DESCENDIT CUM EIS NAZARETH, ET ERAT SUBDITUS, ETC. ET JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA ET ÆTATE, ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. Luc. II. v. 42. cum seq.

TRACTATUS VIII.

De amissione et inventione pueri Jesu in templo.

Qualiter Judæi in templum Hierusalem ascendere tenebantur; feminæ et pueri non tenebantur.

Pro nostri Evangelii, et dicendorum intelligentia supponendum est Deum optimum maximum populo suo præcepisse, Deut. XVI. v. 13. et 17. ut omne masculinum ter in anno appareret in conspectu Domini, in loco quem elegerit in solemnitatibus azymorum, hebdomadarum et tabernaculorum, in hæc verba : *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit : in solemnitate azymorum, in solemnitate hebdomadarum, et in solemnitate tabernaculorum.* In solemnitate azymorum, id est, in Paschate ; et in solemnitate hebdomadarum, id est, in Pentecoste ; et in solemnitate tabernaculorum. Ter ergo singulis annis Judæi hoc præcepto obstricti Hierosolymam petebant, in qua templum erat unicum in toto regno. Feminæ vero hoc præcepto non tenebantur, cum de maribus solum decretum extiterit : unde liberum erat illis domi manere. Intemerata tamen Virgo non manebat domi, sed singulis annis cum Josepho ad agendum Paschale festum Hierosolymam venire solebat, e civitate Nazareth, quæ, ut Borcardus ait, viginti septem leucarum spatio distabat; et hoc est quod noster ait Evangelista : *Et ibant parentes ejus*, id est, Maria et Joseph, *per omnes annos in Hierusalem in die solemni Paschæ*, ut optime explicant P. Salmeron, tom. III. tract. XLVI. post principium, §. ascendentibus illis, et P. Barradas, tom. I. Concord. lib. X. ca. 14. in principio. In hac autem templum intrandi, et exinde revertendi consuetudine, « filiis Isrël moris fuit, teste Beda, in hujus Evangelii expositione, et Glossa ordinaria, ut temporibus festis vel Hierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsum viri, seorsum autem feminæ choros ducentes incederent : infantesque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint. »

Christus verus Salomon in duodecimo ætatis anno sapientiam suam demonstrare cœpit, et mirabilia fecit.

In lib. Sapientiæ, cap. VIII. v. 10. et 11. de sapientissimo rege Salomone dicitur : *Propter hanc sapientiam habebo claritatem ad turbas, et honorem apud seniores ; juvenis et acutus inveniar in judicio, et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me : tacentem me sustinebunt, et loquentem me respicient, et sermocinante me plura, manus ori suo imponent.* Aliqui ponderantes verbum illud, *juvenis*, et quod de eodem Salomone, I. Paral. XXII. dicitur : *Salomon puer parvulus et delicatus*, defendunt a duodecimo suæ ætatis anno Salomonem regnare cœpisse. Ita D. Hieronymus, epist. 132. ad Vitalem, in medio : « Ad summam, inquit, illud dici potest quod in regno David Salomon cum duodecim esset annorum, solium patris obtinuerit. » Et refert Lyra, I. Para. XXII. in lit. C. et non mirum profecto, cum Manasses duodecim etiam annorum regnaverit in Hierusalem, IV. Reg. XVI. et II. Para. XXXIII. et Josias cum octavum degeret annum. IV. Reg. XXII. et II. Para. XXXIV. De aliis etiam regnantibus pueris refert diligens Tiraquellus, lib. de jure primogeniorum, q. XL. nu. 211. Salomon autem rex Christi Domini, qui plusquam Salomon, typus fuit, et ideo illorum verborum, *propter hanc sapientiam habebo claritatem ad turbas, et honorem apud seniores, juvenis*, etc. hodierna luce integrum

complementum et sensus perfectissimus in Christo Domino extitit. *Invenerunt illum*, ait Evangelista, *in templo in medio Doctorum audientem illos et interrogantem eos ; stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus, et videntes admirati sunt.* Ecce plus quam Salomon hic, incipiens ab anno duodecimo in templo, et in medio Doctorum suam ostentare sapientiam, quasi lux splendens procedens usque ad perfectum diem. Habebat enim in potestate et manu sua sapientiam occultare, et pro volito eam ostendere, juxta illud Job. XXXVI. v. 32. *In manibus abscondit lucem, et præcipit ei ut rursus adveniat; et annuntiat de ea amico suo.* Absconderat Dominus meus Jesus sub pannis, sub fasciis, sub vagitibus, sub cunis, sub stabulo et præsepio sapientiæ suæ claritatem. *In manibus abscondit lucem.* Crescente tamen ætate, paulatim majora gratiæ et scientiæ opera ostendebat, præcipiens ei ut rursus adveniat, et annuntians de ea legis doctoribus in templo, cum eorum et omnium astantium stupore et admiratione; *stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia et responsis ejus, et videntes admirati sunt.* Quam doctrinam P. Salmeron, tract. XLVI. in principio, appositissimo hoc simili explicat, et confirmat. « Hæc Christi pueri disputatio, qua tantum sapientiæ lumen ostendit et divinitatis suæ magnitudinem ex parte declaravit, haud absimilis est pyropo lapidi, quem animal quoddam in fronte gestat, et noctu solet splendorem mirabilem emittere; sed dum venatores ejus vitæ insidiantur ut capiant, tegit gemmam illam, et splendorem suum celat, et parvitate sua se a venantibus tuetur. Ita puer Jesus disputando exeruit thesauros suæ sapientiæ; sed protinus ne caperetur, sua se parvitate et humilitate, qua parentibus subditus erat, occultavit, et evasit. Quod si sacræ historiæ multa admiranda narrant, quæ pueri in ipsa sua tenera pueritia egerunt; quid igitur putemus de ipso puerorum omnium purissimo Domino Jesu? Multa præclara dona habuit Joannes Baptista puer, multa præclara Samuel, et Salomon puer igeniosus : sed quanto major creator creatura, tanto major est Christus Joanne, atque aliis. »

Promiserat olim Deus quod in plenitudine temporum, in primo suo in mundum adventu factus homo, ea mirabilia facturus erat opera, quæ nullus alius fecisset. *Aperiam*, ait per Isa. XLI. *in supinis collibus flumina, et in medio camporum fontes, et dabo in solitudinem lignum olivæ, ut videant et intelligant quia manus Domini fecit hoc, et sanctus Israël creavit illud.* Ubi Origenes, S. Hieronymus, S. Cyrillus, et Theoderetus in adventu Christi hæc fuisse spiritualiter adimpleta testantur. Promiserat etiam, eomet tempore, se mundo mirabilia locuturum, Ps. LXXVII. *Attendite, populе meus, legem meam : inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum; loquar propositiones ab initio.* Hodierna die hæc duo adimplet promissa Dominus Jesus, incipiens facere et docere, Actorum I. Primum ab Evangelista factum nobis ostensum fuit parentibus et cognatis insalutatis remansisse in Hierusalem; *Remansit puer in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Ubi post triduum invenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos et interrogantem.* Primum itidem ejus verbum, quod Spiritu sancto dictante, nobis innotescit, est : *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* in quibus facto et verbo vitam perfectam religione Deo dicatam aperte docuit, ut inferius dicemus.

In Virgine et Josepho nulla omnino culpa fuit, quod ipsis nescientibus Christus remanserit in Hierusalem.

Magnum est absque dubio, quoad nostrum de Jesu, Maria et Josepho peculiare institutum attinet, et admirabile sacramentum, quod Evangelista Lucas amissionem et inventionem pueri Jesu in templo nobis ostendit. Nam in primis, ejusdem nescientiæ paritas attribuitur Josepho ac B. Virgini, cum dicitur : *Remansit puer Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus.* Nescierunt ergo Joseph ac Maria Hierosolymis remansisse Jesum. Nescierunt pariter illum esse in comitatu, vel non fuisse; sed quod non erat, utrique arbitrati sunt; Maria opinante quod in comitatu virorum cum Joseph esset; Joseph vero existimante quod in mulierum caterva cum Maria matre foret. Neque hæc nescientia crimini adscribenda est, quippe quæ neque incuriæ defectu, neque negligentiæ, neque imprudentiæ evenit, qui summa charitate, toto studio, totaque mente, curæ divini evigilabant infantis. Existimabant enim rem factu haud difficilem : et ideo non fuit error in Maria, sicut neque originale crimen, sed incogitantia, vel pura nescientia, ut sic loquar, quam etiam in Angelis ponit Sacer Dionysius, c. VII. de cœlesti Hierarchia, quia, ut B. Virgo nullum habuit actum appetitus,

vel voluntatis inordinatum, ita verisimile est nullum habuisse actum intellectus a recto judicio alienum.

Maxime quod uterque, Maria et Joseph, ex probabilibus conjecturis, sufficientibus rationibus prudenter collegerunt verisimile esse puerum Jesum esse in uno, vel in altero comitatu. Hoc vero non est decipi, sed vere judicare. Non enim decipitur qui probabilibus rationibus ductus, probabiliter aliquid existimat, absque firmo assensu. Efficax enim argumentum et probabilis admodum præsumptio apud utriusque juris doctores est pro his quæ communiter solent accidere; etiamsi aliquando abesse contingat, ut juribus et doctoribus adductis probat Everardus in sua Centuria, in loco a communiter accidentibus. Cura enim hujusmodi diligentis, diligentioris, imo et diligentissimi hominis est sufficiens eum in quocumque casu ab omni culpæ nota liberare. De quo videndi sunt P. Salmeron, tract. XLVI. §. Existimantes autem; et super eadem verba P. Barradas, lib. X. cap. XIV. paulo post principium, ubi refert P. Suarez, Medinam, et alios.

Ordinatione divina Christus parentibus ignorantibus remansit in Hierusalem.

Præcipue quod altius considerando, voluntas Dei fuit ut inter supremam sollicitudinem de puero Jesu Dei Filio, eumdem Maria et Joseph amitterent, ut ex ejus absentia gloria Dei, parentum meritum, altissimumque divinæ providentiæ consilium simul explorata redderentur. « Tenebræ igitur, ait Isolanus, II. part. cap. XIV. §. verum, hujus nescientiæ similes extitere tenebris noctium æstivarum; quæ absentia solis rorem terræ nascentibus subministrant, quo nutriuntur, frondescunt, magis magisque fructificant. Nescire ergo meritum, non crimen aliquando est; et a Christo anathema esse pro fratribus, pro illius gloria, pro divinæ voluntatis imperio. »

Anxietas et dolor Mariæ et Josephi in amissione Jesu.

In maximam etiam B. Josephi gloriam eximiumque honorem cecidit, quod in anxietate, labore et dolore Christum quærendi, beatissimæ Dei matri æquiparetur, dicente Evangelista : *Requirebant eum inter cognatos et notos, et non invenientes regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum; et factum est post triduum invenerunt illum in templo.* Et paulo inferius divina mater communis doloris exprimens anxietatem, dixit : *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* Par labor, par dolor, par sollicitudo a simili fluxerunt charitate. Dolebant Maria et Joseph, metuentes ne puer Jesus forte in manus Archelai Herodis filii, qui Hierosolymis imperabat, devenisset, vel alia quapiam de causa eos deseruisset, ut divus censet Antoninus, I. part. tit. v. c. 1. §. 5. et P. Salmeron, tract. XLVI. in illa verba : *Dolentes quærebamus te.* « Post triduum, inquit, dolor hic duraverat, natus imprimis ex privatione consolationis tam dulcis pueri Emanuelis amati; deinde ex amore et commiseratione, ne puer tener ac delicatulus illo triduo aliquid inhumanitate pateretur incommodi, nisi uti vellet miraculo; ad hæc ex timore negligentiæ propriæ in custodiendo tali deposito. Bonarum enim mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non sit; cœpitque Virgo B. doloris gladium a Simeone prophetatum experiri. » Nam si Tobiæ mater, moras filio faciente, flebat irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: *Heu, heu me, fili mi, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis*, Tobiæ X. quid obsecro B. Virgo pro filio et tali filio diceret? Quod si Ruben, quando ad cisternam non invenit puerum, et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait : *Puer non comparet, et ego quo ibo?* Gen. XXXVII. v. 30. quid piissimus Joseph puerum Jesum non inveniens clamitasse credendus est dicens : Puer non comparet, et ego quo ibo?

Invento puero Jesu, maxima lætitia fuit in Virgine et Josepho; et insuper a terno Patri et Angelis.

Eximium præterea Josephi nostri decus et ornamentum est, unius ejusdemque termini ipsi cum Virgine communis hilaritas et lætitia, diverso namque itinere, uno tamen vero affectu Jesum perquirentes, illum pariter invenere. Inde Evangelista ait : *Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.* Qui pariter Jesum quærunt, ac pariter inveniunt, pari laude digni existunt : « Cogita, inquit Isolanus, invento gaudii auctore, in qua mentis jucunditate, quibusque verbis Maria et Joseph lætabantur, exultabant, gestiebant, ambulantes, et domum redeuntes. Virgo pueri dextram tenebat, Joseph sinistram, quasi pavidi ne illum denuo amitterent. Quod si non timentes amissionem, saltem fruentes ejus præsentia, qua triduo caruerant; et forte illis dies unus fuit sicut mille præ doloris magnitudine. Finge solem mundi hujus visibilis nunquam biduo ortum aut triduo, quam ob rem mortales lumen vidisse nunquam, nisi nocturnum, ceu poëta refert dicens :

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem;

tertio itaque die, quales credimus hominum cogitationes, timores, suspiria, anxietates fore? quæ quæso vota? quæ lacrymæ, quæ voces, qui clamores cœlum ascenderent? Jesus puer duodecim annorum charior, jucundior, ac gratior erat divinis parentibus sole sensibili, quem ipsius solis creatorem esse certo certius tenebant. Illo ergo amisso, quantum doluisse illos, tertia præsertim die, credimus; at ubi eum viderunt, quanta affectos pariter jucunditate arbitramur? eadem igitur erat jucunditas unius itineris, eadem exultatio, idem mentis tripudium. »

Nec tantum Virgini et Josepho ex hac pueri Jesu inventione gaudium resultavit, ut vidimus, sed etiam spiritibus cœlestibus, imo et ipsi æterno Patri, hortante ad hoc ipso Spiritu sancto, Prov. XXIII. v. 25. *Gaudeat pater tuus et mater tua, et exultet qui genuit te.* Prius patrem putativum nominavit, et deinde matrem Virginem, *Gaudeat pater tuus et mater tua.* Quo etiam ordine B. Virgo ab eodem edocta Spiritu sancto dixit: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.* Gaudeat ergo, Jesu sanctissime, pater tuus Joseph in omnibus, excepta tantum generatione naturali, verus pater, verus nutritius, verus tutor et verus amator. Gaudeat ergo, Jesu dulcissime, Mater tua, vera et naturalis mater, simul et integerrima Virgo. Gaudeat tandem æternus Pater, qui te ab æterno genuit. *Et exultet qui genuit te*; Deus ex patre sine matre, et homo ex matre sine patre. Et Psalmo II. v. 7. *Dominus dixit ad me : filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ubi Glossa interlinearis : « Æternaliter, » et Glossa ordinaria ex Augustino : « de sempiterna generatione sapientiæ Dei accipiatur; » et Lyra n. 8. « *Ego hodie genui te*; id est, æternaliter; in æternitate enim nihil transit in præteritum, nec expectatur futurum, et ideo æterna generatio filii a Patre convenienter exprimitur per præsens tempus, cum dicit hodie. » Exultet ergo qui ab æterno genuit te; Deus ex patre sine matre, et homo ex matre sine patre.

Christus Josephum patrem appellare solebat, et Josephus Christum filium.

Præcipuum tamen gloriosissimi nostri Josephi encomium incomparabile illud est, quod ex Christi Domini responso; *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* ei provenit et resultat. Qua quidem responsione Josephum et Virginem communi parentum dignitate, pari honorabilitate et laude Jesus veneratur. Et quid, inquit, est, quod me quærebatis, o pater meus et mater mea? Hic sane locus est singularis, ubi Christum semper parentis nomine prosecutum fuisse S. Josephum suspicamur; at morem hunc loquendi Christi expressius innuit Virgo beatissima, cum ait : *Ecce pater tuus et ego.* Illa virum vocat Josephum; Jesus vero patrem. Conjugis nomen familiare Virgini erat; Christo vero parentis vox assidua. Quare familiaris elocutionis Christi consuetudinem Virgo secuta dixit : *Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

Magna dignitas Josephi, quod ei æqualiter cum Virgine Christus obedierit.

Ultima denique Josephi sublimitas sit, quod ei et Virgini fuerit Christus Dominus subditus. *Descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subitus illis*; Lucæ II. v. 51. Quæ sane laus probat et ostendit sanctiorem fuisse Josephum quam ulla mortalium ingenia excogitare queant : quis enim intelligere poterit illius majestatem, qui Deo imperavit, cuique Deus ipse subjectus fuit? Hebetis sunt ingenii, qui Joseph munera a Deo concessa non esse peculiaria, summam arguentia sanctitudinem, innocentiam, charitatem, gloriam, negaverint. *Et erat*, inquit Evangelista, *subditus illis.* Fatemur Angelum Angelo obedire apud superos, et modum ignoramus, quia alterius existunt ordinis obedientiæ illius actus a nostris; ingenium, amor, reverentia Josephi ac Virginis beatissimæ, divinitas sola in Christo, quæ eos delegerat parentes. Hæc nobis inexplicabilia affirmant, exclamant, sole clarius ostendunt. Josephi autem excellentia demonstratur in hoc, quod Christus obediebat Virgini ut matri, et Josepho ut nutritio et putativo patri : uterque tamen Jesus et Maria obtemperabat Josepho, ut utriusque superiori, in quo patriarchas, prophetas, apostolos et omnes Angelos superavit, ut latissime in lib. III. tractatu. VI. et VIII. probavimus, et in tractatu sequenti dicemus.

Christus in triduo emendicavit.

Post triduum invenerunt illum in templo. Hoc triduo mendicasse Christum Dominum, juxta illud Ps. XXXIX. *Ego autem mendicus sum et pauper*, defendunt S. Basilius, interrogatione 262. et S. Bernardus hic, et S. Bonaventura in apologia pauperum, respons. 3. artic. I. et Alexander de Ales IV. part. quæst. CVII. artic. I. Quod si S. Thomas, 2. 2. quæst. CLXXXVII. artic. V. Christum aliquando mendicasse docet et concedit, cur non in hoc triduo? cur non in hac tenera duodecim annorum ætate? ut late in lib. IV. tract. XII. resolvimus.

Plurima nobis, maxima et salutaria docu-

Christus religiosæ vitæ fundator, in templo manens irrequisitis parentibus docuit filios posse sine parentum consensu religionem ingredi.

menta ex hujus Evangelii contextu colligere conveniet, et in primis Christum Dominum in templo, in medio Doctorum, parentibusque irrequisitis, remanentem, prima vitæ religiosæ fundamenta suo jecisse facto et exemplo, docuisseque filiosfamilias posse, parentibus invitis, a tenera ætate religionem ingredi, et debito tempore profiteri. P. Salmeron, tom. III. tract. XLVI. post medium, sic parentes exhortatur. « Parentes ne existiment filios vel filias perditum iri per religionis ingressum, quoniam non secus quidam eos deplorant, atque insaniunt, quam si publice et in loco infami pudicitiam prostituissent. Filii vero edocti Christi hoc exemplo, qui insciis parentibus remansit in Hierusalem, caveant parentes in hujusmodi rebus consultare; quod enim consilium præstabit caro et sanguis? Ideo audi Hieronymum, epistola I. tom. I. Licet sparso crine et scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater jaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem, etsi curandum sit per eos, quoad ejus fieri poterit, ut cum bona eorum venia et benedictione religionem adeant. Præsertim vero caveant parentes, ne vel ad religiosam vitam invitos et reluctantes cogant filios et filias, ne post aliquot annos, ementitis ac fictis de causis, cogant eos magno cum scandalo egredi ad matrimonia contrahenda, ut non semel alicubi factum vidimus. » De quo late, et cum distinctione in lib. I. tract. XI. egimus. In hoc etiam nos Christus Dominus docuit religiosum statum non ab homine, nec per hominem fluxisse, sed ab ipsomet Dei Filio, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, qui inter reliqua salutis documenta hanc quoque vivendi formulam, quo perfectiorem, eo certe diligentius et accuratius suo primum exemplo, deinde voce ac præcepto expressam reliquit, ut post Waldensem, Clitovæum et alios probat multis P. Platus, lib. II. de bono status religiosi, c. XX. per totum. « Unde si necessitas venerit ut amor parentum seu filiorum amori Dei comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas in Deum servanda est. » Debentque filii ad crucis vexillum evolantes, Christi hodiernum exemplum sequentes, omnibus parentum suorum suasionibus respondere : *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Lucæ II.

Divina consolatio subtrahitur aliquando, ut avidius quæratur et æstimetur, et ipse revocar vult.

Secundo, ex quo Christus Dominus in die solemni Paschæ remansit in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus, colligitur quod quemadmodum Deiparam sanctissimam, et B. Josephum, qui nullam in dimissione culpam commisere, ut supra diximus, in triduo hoc Christus deseruit; ita etiam amicos suos, hominesque spirituales solet nonnunquam deserere, ut avidius quæratur, et dulcius inveniatur. Ad quid enim apud Emaus simulabat se longius ire? nisi quia a discipulis audire volebat : *Mane nobiscum, Domine;* Lucæ XXIV. et S. Bernardus, serm. 74. in Cantica : « Forte, ait, ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, tenereturque fortius. » Subtrahitur equidem hæc divina consolatio, quo agnoscatur donum Dei esse, diligentiusque custodiatur, dum habita est; sapiat dulcius inventa, tum ut fugiamus leviores defectus, ac terrenas consolatiunculas, quas si aliquando interrumpimus, quorum causa amittitur plerumque hæc divina consolatio; et ut utentes jam solido cibo, discamus etiam sine consolatione divinis mandatis incumbere; et tandem ut Mariæ illuminatæ et Josephi augmentati imitatores effecti dolentes Domini præsentiam quæramus et consolationem : « Vide obsecro, et attente considera, ait P. Barradas, lib. X. c. XVIII. prope fin. quanta sollicitudine, quanta aviditate, et animi anxietate sponsum, qui aberat, quæritat. *Surgam*, inquit Cant. III. et V. *et circuibo civitatem; per vicos et plateas*, per vulnera etiam, dum ait : *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem; percusserunt me, et vulneraverunt me : tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Post vulnera amore inflammata, filias Hierusalem sic adjurat : *Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.* Vides quam avide quærat; avide quæsivit, et dulciter invenit. Cant. III. postquam vicos et plateas percurrit, et in vigiles incurrit, rogavitque : *Num quem diligit anima mea, vidistis?* dilectum invenit, dulciterque complexa : *tenui*, dixit, *illum, nec dimittam.* Cur non dimittes? quoniam mihi adhærere Deo summo bono, bonum est; adhærere totius dulcedinis fonti, dulcissimum est; gustare et videre, quam suavis est Dominus, suavissimum. » Disparet ergo puer Jesus, abit et recedit, sed revocari vult. S. Bernardus, ser. 74. in Cantic : « Christus abiens revocari vult. Nec enim hoc irrevocabile est verbum, it et redit pro

beneplacito suo, quasi visitans diluculo, et subito probans. Et ire quidem illi quodammodo dispensatorium ; redire vero semper voluntarium est. O modicum longum ! longum fuit Deiparæ illud modicum : nam modica Jesu amati absentia, longa est amanti ; longa Jesu absentia, modica est non diligenti. »

In diebus estivis solet Deus amitti, etiam a religiosam vitam profitentibus

Tertio, a B. Virgine et B. Josepho fuit Christus amissus, cum ad festum Paschale celebrandum religiose admodum venissent ; et quamvis absque ulla eorum culpa, ut modo vidimus, tamen hinc experientia quotidiana teste colligimus, temporibus festivis, lætis et prosperis amitti Christum sæpe contingere. Quod Davidis exemplo satis comprobatur : is enim in prosperitate succubuit. S. Augustinus super Ps. L. sic annotavit : « Pressura caruit David, tumor excrevit. Periculosior est res prospera animo, quam adversa corpori ; prius corrumpit prospera, ut inveniat quod frangat adversa. » Et S. Gregorius ibidem : « Quis, ait, sanctior David ? qui cum Saulis persecutione urgetur, non solum persecutorem occidere non voluit, sed ipsi persecutori, cum occidere posset, pepercit. Verum ubi devictis hostibus, pressuris caruit, homicidium adulterio incaute securus adjecit. » Nec minus Salomonis, ejusdem Davidis filii et successoris miserabili casu patebit, qui prosperitatis tempore misere Deum perdidit, ut optime S. Gregorius in Pastorali, III. p. admonit. XXVII. sic advertit : « Salomon, qui post tantam sapientiam usque ad idololatriam cecidisse describitur ; nihil in hoc mundo, priusquam caderet, adversitatis habuisse memoratur ; sed concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla vel minima tribulationis disciplina custodivit. » Et S. Augustinus, lib. XVII. de Civitate Dei, c. XX. eodem intentu ait : « Secundæ res, quæ sapientum animos fatigant, magis Salomoni obfuerunt, quam profuit sapientia. » Quod etiam religiosis viris, in diebus corporali recreationi ad disciplinæ rigorem temperandum concessis, solet aliquando contingere. S. Bernardus, de interiori domo, c. LVIII. « Equitandi occasionem quærunt et inveniunt, parantur equi, hospitia eliguntur, et quæ sunt necessaria in via parantur ; vocor, vocatus venio. Injungitur mihi obedientia illa ; ego vero metuens ex meo desiderio vilescere, recuso ore, quod corde desidero ; acquiesco tanquam coactus, et ideo lætus ascendo, et iter arripio. Proh dolor ! religio relinquitur, et silentium rumpitur ; hinc inde volant verba vana et inutilia, forsitan et detrectatoria. Sic confabulando sæpe consumitur dies integra. » De quo in lib. I. tract. II. diximus.

Deus in adversitate solet ab hominibus quæri.

E converso autem Christus in prosperitate amissus, in adversitate et dolore quæritur, et invenitur. *Dolentes*, ait Virgo in nostro Evangelio, *quærebamus te*. Et sanctus docet David, Ps. LXXVII. *Cum occideret eos, quærebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum.* Filius ille prodigus non in prosperitate, sed in adversitate suum quæsivit patrem ; Luc. XV. In prosperitate miser homo sui oblitus fera efficitur pessima, in adversitate vero redit ad cor, et humilis et mansuetus efficitur. Quod satis Danieli prophetæ in prima illa bestia, quasi leæna ostensum aperte fuit. *Prima*, ait, *quasi leæna, et alas habebat aquilæ : aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, et sublata est de terra, et super pedes quasi homo stetit, et cor hominis datum est ei.* Dan. VII. v. 4. Alæ sunt honores, alæ sunt dignitates, alæ sunt prælationes, alæ sunt divitiæ, alæ denique sunt continui rerum temporalium successus prosperi, quibus sublatis et evulsis, homo ad se reversus super pedes fictiles suos stat, et datur ei cor humanum, mansuetum et humile. Dum enim Jonas propheta dormiebat sopore gravi, in interiori et securiori navis parte, nec Deum quæsivit, neque inobedientiæ suæ peccatum agnovit ; postquam vero Dominus misit ventum magnum in mare, et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri, tunc suum peccatum recognoscens ingenue, peccatum suum coram omnibus patefecit, dicens : *Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.* Et in mare projectus, ac in ventre piscis receptus, oravit ad Dominum Deum suum ; Jonæ c. I. et II. Unde optime D. Chrysostomus, hom. 54. ad populum Antiochen. dixit : « Cum in secundis rebus sunt homines, plures efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, cum adest potentia ; cum vero fuerit ablata, mansueti sunt homines, et in propriam naturæ cognitionem veniunt. » Et in idem D. Gregorius in Pastorali, I. p. c. III. « Prospera, inquit, sæpe per tumorem cor inquinant, adversa per dolorem purgant ; in prosperis se animus erigit, in adversis etiam, quando se erexerat, sternit. » Quapropter Isaias propheta benignitatem, largitatem et Dei magnificentiam quasi incusare

intendat, quod cum hominum rebellem, agrestem et difficilem noverit conditionem, et quod non nisi in angustiis humilientur : ipse vero eos beneficiis afficiat, recreet, ac demulceat, sic ait. *Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti; numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ. Domine, in angustia exquisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Isa. XXVI. v. 15. et 16. ubi Lyra : « *Indulsisti genti*, etc. Punitionem eorum differendo, ut haberent locum pœnitendi; sed quia talis dilationis beneficio abusi sunt, subditur : *Numquid glorificatus es?* scilicet ab eis per pœnitentiam; quasi dicat : Non ideo subditur, *elongasti*, scilicet a te, *omnes terminos terræ*, id est, obstinatos in peccatis. In quacumque parte orbis, Domine, in angustia quæsierunt te. Propter quod dicit Gregorius : Mala, quæ nos hic comprimunt, ad Deum ire compellunt, et hoc est quod dicitur hic : *Domine, in angustia* positi electi tui in vita præsenti *requisierunt te*, desiderantes vitam futuram ex toto corde. » De quo in tract. IV. hujus libri quinti egimus.

Peccator in peccato dormiens damna non sentit.

Adversitas ergo peccatorem a peccati somno excitare solet; nam alto peccatorum veterno oppressi, sui miserrimi status barathrum non considerant, imo scelera quotidie multiplicantes, se Deum amisisse non cognoscunt. *Comederunt*, ait Oseas propheta VII. *alieni robur ejus, et ipse nescivit; sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit.* Perveniunt enim miserrimi hujusmodi homines ad senectutem usque, in hac pessima ignorantia, dicente D. Augustino, lib. I. Confessionum, c. XIII. « Quid est miserius misero non miserante se ipsum? » Similes columbæ seductæ et cor non habenti, Oseæ VII. *Factus est Ephraim quasi columba seducta non habens cor.* Ubi D. Hieronymus sic explicat : « Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit. Eumdem in modum iniquus ut seducta columba ablatam gratiam, ablatam æternam vitam, ablatum cœlum, animam, Deum, non dolet, non requirit. » Quod etiam optimo simili pulcherrime explicuit D. Gregorius exponens illud Job. IV. *Consumentur velut a tinea*, in hæc verba : « A peccatis ita consumi iniquos, ut consumitur a tinea vestis, hoc est absque sonitu et sensu : tinea damnum facit, et sonitum non facit; ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. » Ad quod unice quadrat illud Ps. LI. *Sicut novacula acuta fecisti dolum*, quia, ut novacula acuta ita comam abscindit, ut qui raditur, nihil sentiat; sic etiam diabolus ita dolos machinatur, atque animæ gratiam, hoc est, virtutem et scientiam detondet, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat. *Remansit enim puer in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus*, et absque ulla vel minima culpa non cognoverunt, et tamen acuratissima diligentia eum dolentes quæsierunt. *Pater tuus*, ait Virgo, *et ego dolentes quærebamus te.* Et, proh dolor! quod peccator Deum propria amiserit culpa, et in fæcibus suis requiescens, et sub peccatorum sentibus se esse delicias reputans, Deum non curet investigare et inquirere.

Qua cura Deus a peccatore quærendus sit.

Sed qualiter Deus amissus quærendus sit, rogabis? Origenes, hom. 2. super hoc Lucæ Evangelium ita respondet : « Non frustra scriptum est : *Ego et pater tuus dolentes quærebamus te* : oportet enim eum qui quærit Jesum, non negligenter, non dissolute, non transitorie quærere, sicut quærunt nonnulli, et ideo invenire non possunt. » Modum quærendi Deum ipsemet Spiritus sanctus aperte docet, Deuteron. IV. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ.* Et Hieremiæ XXIX. *Quæretis me, et invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro.* Et ne hoc tibi difficile nimium, aut impossibile videatur, tuæ se fragilitati conformans dicit Prov. II. v. 4. *Si quæsieris sapientiam quasi pecuniam, et quasi thesauros effoderis illam, tunc scientiam Dei invenies.* Et clarius Apostolus ad Roman. VI. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.* Ubi S. Thomas, lect. 4. sic explicat : « Ponit documentum quod dicit esse humanum, in quo docet corpus esse æqualiter exhibendum ad serviendum justitiæ, secundum quod nos exhibuimus ipsum ad serviendum peccato, et hoc est quod dicit : *sicut enim exhibuistis membra vestra servire*, scilicet per executionem mali operis, *immunditiæ, et iniquitati* corde conceptæ, *ita nunc*, scilicet liberati a peccato, *exhibete membra vestra*, scilicet per executionem bonorum operum, *servire justitiæ* in lege divina nobis propositæ. Dicit autem hoc esse humanum, quia secundum rectum judicium exigeretur, ut homo multo plus serviret justitiæ, quam ante servierit peccato. Baruch. IV. *Sicut fuit sensus*

vester ut erraretis a Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum. » Sanctæ illius sponsæ imitatores effecti, quæ Canticorum III. dilectum suum quærens sponsum, surrexit et circuivit civitatem, per vicos et plateas. Super quo S. Bernardus, ser. 75. in Cantica : « Non tepide, ait, aut negligenter, seu perfunctorie quærit sponsa : nam corde ardenti et omnino infatigabiliter quærit ; plane ut decet. » Sed præcipue B. Virginem et B. Josephum imitemur, qui protinus summa cum diligentia puerum amissum quæsierunt. Et Deus ipse, qui te ad se quærendum provocat et invitat, et cujus voluntas est sanctificatio tua, te suo divino prævenit auxilio. *Erravi*, clamat David, Psalm. CXVIII. *sicut ovis quæ periit ; quære servum tuum.* Nam quemadmodum ovis quæ periit, nisi a pastore quæratur, luporum discerpitur dentibus, sic anima, nisi a Deo quæratur, tartarei leonis unguibus laniatur. Quam prævenientem gratiam Hieremias, Threnorum ultimo sic expostulat : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* Qua supposita, et communi auxilio nemini in via negato, petit a nobis Deus, Zachariæ I. *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.* Et utrumque complectens Hieremias XXXI. v. 18. et 19. *Converte me et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*, etc. Quam doctrinam S. Thomas, I. c. q. LXII. ad III. sic angelice docuit : « Quilibet motus voluntatis in Deum potest dici conversio in ipsum, et ideo triplex est conversio in Deum. Una quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ jam Deo fruentis, et ad hanc conversionem requiritur gratia consummata ; alia conversio est, quæ est meritum beatitudinis, et ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium ; tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se convertentis animam ; secundum illud Threnorum ultimo : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*

Per veram pœnitentiam, contritionem, confessionem et satisfactionem quæritur et invenitur Deus.

Nec maxima caret consideratione, quod B. Virgo et B. Joseph Christum post tres dies invenerint : *Et facta est*, ait Luc. II. *post triduum invenerunt illum templo.* Mystice hic docemur post tres dies, post tres pœnitentiæ partes, contritionem scilicet, confessionem et satisfactionem, Deum per peccatum amissum a peccatoribus inveniri posse, juxta concilium Tridentinum, sess. XIV. c. III. IV. et V. *Viam trium dierum ambulabimus in solitudine, et immolabimus Domino Deo nostro*, dixit Moyses populo Dei ex Ægypto egredienti, Exo. III. v. 18 ut optime P. Salmeron, tract. 46. ad fi. adnotavit. « Tridui ergo spatio quærendum cum dolore, cum gemitu ; atque hi quidem tres dies sunt contritio, confessio et satisfactio ; contritionis nox est, culpa tenebrosa, et infernus ; dies vero est gratia Dei. Confessionis nox est expressa enumeratio, atque integra peccatorum apud sacerdotem ; dies vero est absolutio pretiosa. Satisfactionis nox, labor est emendationis, atque conatus evincendis, evellendisque radicitus qui remanent, pravis habitibus et propensionibus ; dies vero serenitas est, claritasque conscientiæ. Invenitur Christus in templo Dei : siquidem in Ecclesia Dei sacramentum est reconciliationis fructuosum, in quo homo audit, interrogat, atque respondet ; audit, cum discit gravitatem peccati ; respondet, se accusando ; interrogat, quomodo peccata, eorumque vitet occasiones. » Et acute satis P. Barradas, lib. X. cap. XVII. longe post medium, in hæc verba : « Post triduum invenit Deipara Christum, post triduum quoque mysticum, imo ante triduum, ipso primo die, tu reperies. Primus dies contritionis est cordis, secundus confessionis est oris, tertius satisfactionis : quemadmodum a sole dies illustratur, ita a Christo hi tres felicissimi dies clarissimo divinæ gratiæ splendore illuminantur. Etenim contritionis primus dies, si vera contritio est, jam lucem habet gratiæ : secundus vero confessionis, et tertius satisfactionis dies augent splendorem. *Tenebræ erant*, Gen. I. *super faciem abyssi ; dixitque Deus : fiat lux, et facta est lux*, quam nemo nisi Deus efficere potuisset ; ita in homine improbo, tenebræ peccati sunt super faciem mentis, quæ instar abyssi profundissimæ est ; sed misericors Deus hominem per pœnitentiam e tenebris educit, gratiæque lucem super faciem abyssi jubet splendescere, quam nemo nisi omnipotens manus producere potest : etenim omnipotentis manus est tam gratiæ quam gloriæ splendore hominem illustrare. » Dei omnipotentis solum est peccatorem convertere, a peccato liberare, et in gratia constituere ; sic S. Job XXVI. ad fin. *Et obstetricante manu ejus eductus est coluber tortuosus.* Ubi S. Gregorius, lib. XVII. Moralium, cap. XVIII. sic explicat : « adeo quod

majus opus sit hominem justificare, quam creare, » ut in lib. IX. tract. XIII. probavimus.

Conversio ad Deum statim facienda, et non in crastinum differenda.

Statim autem absque ulla detentionis mora B. Virgo et B. Joseph Christum, qui Hierosolymis remanserat, requisierunt inter cognatos et notos, et non invenientes regressi sunt in Hierusalem requirentes eum, nec quieverunt usquequo illum in templo invenerunt. Nobis omnibus peccatoribus præcipue imitationis præbentes exemplum non tardandi converti ad Dominum, nec differendi de die in diem; quia, ut ait Spiritus sanctus Ecclesiast. XXIX. *Repromissio nequissima multos perdidit.* Super quo S. Augustinus, lib. de verbis Domini, c. 16. sic graviter exclamat : « O insensati filii hominum, quandiu dicitis : cras, cras? corvina voce Deum decipere cupientes. Quare non modo? quare non statim? an nescitis et non intelligitis quia cras nihil estis, vel cras minus quam hodie potestis? ipsa res est quæ multos occidit, cum dicunt : cras, cras; et subito ostium clauditur, remansit foris cum voce corvina, quia non habuit gemitum columbinum; cras, cras; corvi vox; geme ut columbus, et tunde pectus, etc. *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, dixit Magister veritatis Christus, Actor. I. v. 7. *Et qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, Matth. XIV. v. 41. »

Uxores maritos alias inferiores præponant, et honoribus afficiant.

Quarto ex eo quod Virgo Josephum, quia pater Christi hominum æstimatione erat, patrem Christi appellavit; et quia verus ejus conjux erat, priori loco illum humiliter et honorifice collocavit, dicens : *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te;* docuit feminas viros suos, quamvis alias inferiores essent, præponere, eosque in omnibus præferre, et honoribus prosequi, juxta illud I. Petri III. *Mulieres subditæ sint viris suis, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.* Et S. Ignatius, Joannis Evangelistæ discipulus, in epistola ad Antiochenses : « Mulieres, ait, honorificent viros suos, sicut carnem suam : et non audeant eos proprio nomine vocare. » Et S. Chrysostomus, homil. 26. super epist. I. ad Corinth. « Priscæ illæ mulieres viros suos dominos vocabant; quid? et Bersabee David maritum dominum vocabat, et se ancillam illius, III. Reg. I. Quibus adstipulatur et illud Virgilianum, lib. IV. Æneid.

Connubia nostra
Reppulit, ac dominum Æneam in regna recepit.

Quod etiam apud juris prudentes invenitur frequenter, ut in l. ea quæ in principio. ff. de donationibus inter virum et uxorem. et in l. Lucius. §. quæ marito. ff. de legatis. 2. et divinus Plato, lib. V. de republica et Aristoteles, lib. I. Polit. cap. VIII. sic inquiunt : « Vir quidem uxori præest et filiis, tanquam liberis quidem ambobus, sed non eodem imperii modo; sed uxori quidem civiliter, filios autem regit; masculus enim quam femina principalior est. » De quo quam plurima congessit Tiraquellus in I. l. connubiali. a numero 8. usque 24. et nos in lib. III. tract. XIV. egimus.

Et hæc de hoc tractatu sint satis, restat videre quam Christus vivendi rationem cum parentibus tenuerit, a duodecimo usque ad trigesimum ætatis annum, de quo in tractatu sequenti.

ET DESCENDIT CUM EIS, ET VENIT NAZARETH, ET ERAT SUBDITUS ILLIS. ET JESUS PROFICIEBAT SAPIENTIA ET ÆTATE, ET GRATIA APUD DEUM ET HOMINES. Luc. II. v. 51. et 52.

TRACTATUS IX.

Quid egerit Christus Dominus, et quem vivendi modum cum parentibus tenuerit usque ad trigesimum ætatis suæ annum.

Gesta a Christo a duodecimo usque ad trigesimum anuum ignota nobis sunt, præter obedientiam etc.

Quam vitæ rationem Christus Dominus cum parentibus suis instituerit usque ad trigesimum ætatis annum, Evangelistæ silentio præterierunt, quasi in cœlo percipiendam, ubi summa cum voluptate omnia Christi gesta et dicta intelligemus. Quæ nunc in terris ignoramus, reliquerunt. Quod quidem conforme est illi Salomonis sententiæ, Prov. XXX. v. 18. et 19. *Tria sunt difficilia mihi, et*

quartum penitus ignoro : *viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, et viam viri in adolescentia.* Ignota est via aquilæ in cœlo, quam, ut explicat Lyra, tenuit Christus in sua ascensione ; ignota est via colubri super terram, quam tenuit Christus in sua resurrectione ; Christus enim passus per serpentem, vel colubrum designatur, secundum quod dicitur Joan. III. *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis* ; Christus autem passus et sepultus in sepulchro lapideo, inde mirabiliter exiit in sua resurrectione clauso sepulchro, et sic tenuit viam colubri super lapidem. Ignota præterea est via navis in fluctibus maris, quoniam vestigium post se nullum relinquit. Hanc viam tenuit Christus in sua conversatione, quia in hoc mundo tanquam in mari procelloso expositus fuit pressuris et tribulationibus. Ignota denique est via magni illius viri, simulque Dei Christi in adolescentia, quia nullum illius ab Evangelistis relictum est testimonium. Quapropter D. Ambrosius, in lib. de Salomone, c. v. concinne dixit : « Christus est vir cujus viæ cognosci in juventute non possunt : quis enim æstimare animo possit, aut capere, quanta ille opera exercuerit, cum secundum hominem moraretur in terris, quæ itinera virtutum duxerit? etc. subditum fuisse Virgini et Josepho scimus, reliqua ignoramus. » Nihil ergo certi habemus præter nonnulla valde generalia capita, quæ ex Scripturis colliguntur, et a nobis in particulari explicanda erunt.

Christus cum parentibus frequentius habitavit Nazareth, et cum eis pauperem vitam egit.

Et imprimis certum est hoc tempore, ut in plurimum Christum cum parentibus suis habitasse in Nazareth, juxta nostrum Lucæ Evangelium : *Et descendit cum eis, et venit Nazareth* ; et prosequens ait : *Et Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Unde Abulensis, q. LXXIX. sup. ca. XIII. Matthæi, optime advertit Christum vocatum fuisse Nazareum, eo quod majorem vitæ partem Nazareth transegisset.

Certum est etiam Christum Dominum toto hoc tempore pauperem vitam duxisse, quia parentes ejus pauperes fuerunt, ut ex his, quæ de Christi nativitate, de Virginis præsentatione, et pauperum oblatione diximus in tract. v. hujus libri quinti, et ex his quæ de arte fabrili in Josepho, et de colo et acu in Virgine, exercitia quidem pauperibus accommodata, egimus in lib. III. tractat. XVI. per totum. Unde Origenes, homil. 8. in Leviticum, de oblatione Virginis in templo sic ait : « In hoc ostenditur verum esse illud quod scriptum est, quia Christus Jesus cum dives esset, pauper factus est ; ideo et matrem de qua nasceretur, elegit pauperem. » Et S. Chrysostomus homil. 67. in Matth. « Regulas nobis præbuit Christus, ne majora quam necessarius usus exigat, requiramus ; itaque quando nascebatur, non magnificas ædes, non locupletem matrem, sed pauperrimam et fabro desponsatam elegit. »

Christus, excepto triduo, usque ad prædicationis tempus non emendicavit.

Certum præterea est quod quamvis Christus Dominus eo tempore pauperem vitam duxerit, ut modo vidimus, non tamen solitariam, neque ab omni hominum convictu semotam, sed veluti communem et ordinariam in exterioribus, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, nullam alicui præbens offensionem. Et excepto illo triduo, quo remansit in Hierusalem, de quo in lib. IV. tra. XII. disseruimus, usque ad tempus quando ad prædicandum egressus est, non erat adeo pauper et inops, ut emendicare cogeretur ; sed in domo parentum, ex eorum bonis vel laboribus alebatur ; qui licet non essent divites Maria et Joseph, poterant tamen sine aliorum emendicato subsidio parvam suam familiam congrue sustentare. Nec decebat beatissimam Virginem talis paupertatis et mendicitatis modus, qui neque ad virtutis, neque ad sanctitatis perfectionem conveniens erat, pro eo saltem tempore, quo in statu matrimonii vitam privatam, et in exterioribus rebus communem agebat ; qua etiam ratione non oportuit Christum saltem pro illo tempore hunc mendicitatis modum assumere. Unde D. Hieronymus, epist. 22. ad Eustochium, brevi sermone hæc omnia complectens dixit : « Usque ad triginta annos Christus Dominus parentum paupertate contentus est. » Et clarius D. Basilius in constitutionibus monasticis, c. 5. dixit : « Cum prima sua ætate parentum suorum imperio esset subjectus, et labores corporis omnes æquo una cum ipsis animo illis obediens toleravit : verisimile est enim cum homines illi essent et justitiæ et paupertatis cultores tenues, tamen solitos eos in assiduis corporis laboribus versari, et hac ratione quotidianum sibi victum quæritare. Porro Jesus cum his, ut divinæ litteræ prædicant, esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus, morigeram declarabat suam obedientiam. » De quo videndus

est P. Suarez, tom. II. in 3. p. quæstione XXXVII. artic. IV. sect. 3. §. secundo hinc colligo.

Christus communem vitam et honestam egit usque ad trigesimum annum.

Certum deinde est, quod licet eo tempore Christus Dominus paupertatem coluerit, non tamen vitam despectui, ludibrio, ac hominum irrisione expositam degebat, imo sapiens et virtute clarus ab omnibus existimabatur. Quid enim aliud est quod Evangelista ait : *Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines*, nisi quod Christus in particulari et familiari sermone sapientiam suam ostendebat, tum moribus, tum virtutibus, corporisque et vultus pulchritudine, quibus hominum benevolentiam, et gratiam in juvenili illa ætate conciliabat? Et hinc Marci IV. *Multi audientes admirabantur in doctrina ejus, dicentes : unde huic hæc omnia ? et quæ est sapientia quæ data est illi ? et virtutes tales, quæ per manus ejus efficiuntur*? etc. ut contra quosdam diversum sentientes probat et defendit P. Barradas, tom. I. Concordiæ, lib. X. cap. 15. ad finem, §. Divus Bonaventura, et §. At vere, et §. Repugnaret.

Christus Dominus fabrilem artem exercuit, per quod a vita contemplativa non distrahebatur.

Certum rursus est et probabile, Christum Dominum tempore isto fabrilem artem exercuisse, vel saltem Josephum laborantem adjuvisse. Ita defendunt Cajetanus explicans illi Marci VI. verba : *Nonne hic est faber*? in hunc modum : « Hinc habemus unde satisfaciat curiosis quærentibus quid fecerit Christus usque ad trigesimum annum : vacabat enim exercitio fabrili. » Et Abulensis, quæ. LXXXI. super ca. XIII. Matthæi; « Christus erat subditus parentibus suis, id est, ministrabat eis opere manuali, ad sustentationem vitæ, et sicut Joseph erat faber lignarius, forte ipse in eodem officio adjuvaret. » Et Lyra super cap. VI. Marci : « Probabile videtur quod Christus eamdem Josephi artem exercuit, et quod in arte patris sui putativi fuerit occupatus; quia in doctrina et miraculis usque ad trigesimum annum se non exercuit. » Et P. Suarez, tom. II. q. XXXVII. art. IV. disput. 17. sect. 3. §. tertium est. de quo in lib. III. tract. XV. latius egimus. Et ita est tenendum, quamvis Paulus Burgensis episcopus super ca. VI. Marci, addit. 1. contrarium senserit his verbis : « Cum Christus summum gradum contemplationis attigerit, nullo modo dici potuit otiosus, etsi aliquando ab omni actione, seu exercitio corporali cessaret : hoc enim pertinet ad contemplativam vitam ab exteriori actione quiescere; et ideo irrationabile est attribuere Christo occupationem in artibus mechanicis, ad removendum ab eo otiositatem; neque ex hoc quod illi de Nazareth ipsum fabrum vocabant, concluditur ipsum fuisse fabrum : sed fabrum illum dicebant, ad vilipendendam ejus doctrinam; vel dicendum secundum Augustinum, quod fabrum Christum credebant, quia fabri filium. » Et quamvis Simon de Cassia, lib. IV. c. II. dixerit : « Artem nullam Christus discebat, unde captaret necessaria vitæ, sed aut maternis, aut paternis lucris, et interdum quæstu humiliter fovebatur : item, operari erat oratio et sublevatio ineffabilis, tota deifica erat vita ejus. » Et quamvis P. Barradas, lib. X. cap. XV. in fine, inconveniens maximum reputet Christum Dominum, ut solent fabri, per alienas ædes fabrilia opera exercuisse, conscendisse tecta, ligna cum aliis fabris dolasse, eorum fabulis ac sermonibus indecoris interfuisse. Quorum fundamentis facile respondetur, quod Christus Dominus vitam communem agens, ut diximus, et filius Josephi naturalis ab ignorantibus Incarnationis mysterium communiter reputatus, et non dives, et subditus, et obediens, et humilis, dedignari non debuit paternum officium exercere, per quod a superna contemplatione nec divertebatur, nec poterat. Optime sane P. Salmeron, tractat. XLVII. §. multi igitur. « Orabat Christus, jejunabat, silebat, pauperibus parentibus collaborabat : ex quo et faber, et fabri filius a turba vocabatur. » Licet enim contemplativa vita absolute melior sit quam activa, quando tamen propter abundantiam divini amoris exercetur activa vita, præferenda est; ut docet S. Thomas, 2. 2. qu. CLXXXII. art. II. et III. Quod si nullus dicere audebit Paulum scenofactoriam artem pro victu suo habendo, ne gravaret eos quibus prædicabat, operantem, Act. XVIII. v. 3. distrahi a contemplatione, cum esset vas electionis; quid obsecro de Christo Domino, in quo inhabitabat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ad Colos. II. v. 9. dicendum erit? ut aliis filiisfamilias, nobilibus præcipue, otiositatem, omnium malorum matrem, vitandi, laborandi et victum quærendi exemplum præberet. Nec solum Christo Domino, sed cuicumque homini perfecto licitum est cum peccatoribus agere, ex quo nullum sibi periculum, sed aliis maximum spirituale commodum resultabit, ut docuit S. Thomas, 2. 2. qu. XXV. art. VI. ad 5. « Convenire, ait, peccatoribus,

infirmis quidem est vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subvertantur; perfectis autem de quorum corruptione non timetur, laudabile est quod cum peccatoribus conversentur, ut eos convertant : sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat et bibebat, ut dicitur Matth. IX. Convictus tamen peccatorum, quantum ad consortium peccati, vitandus est omnibus, » ut in lib. III. tract. XV. probavimus.

sus, Maria t Joseph, manter et m summo udio vitam omnunem agebant.

Morali evidentia certum est Christum Dominum, toto hoc tempore, ex consortio et societate Mariæ et Josephi, incessanter, quasi in jugi convivio, gaudio magno valde fuisse functum, lætitiaque inenarrabili affectum. Maxime quando eos, Angelis comitantibus, divinas canentes laudes audiebat, juxta illud Psalm. LXVII. v. 26. et 28. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvenculatum tympanistriarum : ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu* : Erant enim omnes tres, Jesus, Maria, Joseph, ex domo et regia familia David, et adimplebatur in eis, singularius tamen in puero, in adolescentulo, in humillimo et obedienti Domino Jesu, in medio suorum parentum collocato, quod de patre ejus David, II. Reg. XXIII. v. 8. dictum fuerat : *David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus.* Semper enim puer Jesus erat in medio parentum, Virgo manum ejus dexteram, Joseph vero sinistram tenebant, ut in tract. VI. diximus. Et quid mirum, obsecro, cum se invicem amore perfectissimo naturali, adquisito et supernaturali diligerent, ut in lib. III. tract. XII. et XIII. et XIV. luculenter probavimus. Joseph tempore isto labore suo alimenta præstabat, Maria condiebat, mensam sternebat, et reliqua domestica ministeria amanter agebat, ut in lib. III. tract. 14. invenies. Hoc etiam tempore, ait P. Salmeron, tract. XLV. ad principium, §. Eccce Angelus Domini, quoad puritatem et prudentiam attinet, Joseph extra quidem puerum servabat, et Mariam matrem nutriebat : interius vero puer nutriebat matrem, ac custodiebat utrumque. »

hristus usque ad trigesimum annum parentibus suis præipue obediebat.

Certum quoque est certitudine fidei Christum Dominum subditum Mariæ et Josepho ejus parentibus fuisse, ut noster ait Evangelista : *Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis.* Ex quo verbo colligunt SS. Patres Christum Dominum toto hoc tempore coluisse parentes, eisque obedienter paruisse, ut docet D. Hieronymus, epist. 47. de vitando suspecto contubernio. Quia licet in omnibus Christus Dominus fuerit imitationis exemplum, cum omnis ejus actio nostra fuerit instructio, in obedientia tamen se doctorem, præceptorem et magistrum ostendit, ut in lib. III. tractat. VI. per totum egimus. Quapropter eleganter P. Barradas, lib. X. cap. XIV. in fine, hanc Christi Domini obedientiam ita ponderavit : « Multa gessit Christus puer, multa ad virilem usque ætatem dixit. Omnia Spiritus divinus his verbis concludit : *Et erat subditus illis.* Si roges quid fecit Christus anno decimotertio et decimoquarto ætatis? Respondet Lucas : *erat subditus illis*; quid fecit anno vigesimo, vigesimo quinto, et cæteris, usque ad trigesimum? Respondet : obedivit. Hoc scire satis est, ut intelligamus hanc unam esse Christiani, maxime vero religiosi vitam, nempe obedientiam. Præclarissimum sane viri religiosi epitaphium est : Tota vita obedivit; vel tota vita fuit subditus illis, id est, superioribus. Hoc præclarissima continentur gesta, triumphi, ac victoriæ. » Et P. Salmeron, tractat. XLVII. post medium, eodem intentu ait : « Multi igitur hoc desiderio sciendi, quid ab anno undecimo ad trigesimum fecerit Christus, discruciantur; quibus hoc verbo Lucas satisfacit : *erat* Jesus *subditus illis*. Orabat, jejunabat, silebat, pauperibus parentibus collaborabat. Porro Jesus cum his parentibus esset subjectus, sine dubio in perferendis etiam una cum ipsis laboribus morigeram declarabat suam obedientiam. »

Christus obediens docuit nos in omnibus, etiam humilibus, superioribus nostris obedire.

Ex eo autem quod Christus Dominus parentibus suis in omnibus licitis et honestis, et mediis, atque indifferentibus obediebat, docuit omnes præcepta Dei servare, ac omnes subditos superioribus suis locum Dei tenentibus subesse et parere, ut docuit D. Basilius Magnus in constitutionibus monasticis, cap. XXIII. his verbis : « Nihil est aliud antistes, qui modo diligenter munus exequatur, cui præpositus est, pietatem videlicet, quam is qui personam Christi sustinet, et sequester est inter Deum et homines, eorum qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. Animadverte quod in Evangelio Dominus dicat : *Qui vos recipit, me recipit; qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; quod Apostolis dixit, intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores. » Et clarius D. Bernardus, lib. de dispensatione et præcepto. « Quidquid vice Dei præcepit ho-

mo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus accipiendum est, quam si præcipiat Deus; itemque ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus. » Et exemplo Christi verus obediens materiam humilem aut pretiosam considerare non debet, sed Dei voluntatem per suum superiorem interpretatam, ut D. Basilius in constitutionibus monasticis, c. XXIV. sic hortatur et admonet : « Si de muneribus his quæ abjectiora sunt, aliquid exercendum sit, scire convenit Salvatorem quoque ipsum discipulis ministrasse, et abjectiora opera facere non recusasse, magnumque homini esse, si Dei imitator existat; cum per hæc quæ humilia sunt, ad altitudinem illam, quod illum est imitatus, ascendat: quamquam quis jam humile ausit quidpiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusavit? » Sancta enim obedientia opera quæque abjecta sublevat et illustrat. Quemadmodum totum Salomonis templum auro fulgebat, etiam pavimentum, ut III. Reg. VI. expresse dicitur; eodem quippe modo religionis templum totum obedientiæ auro splendescit, etiam quæ pavimento similia sunt opera, hoc est, contempta atque abjecta rutilant. Imo quo sunt abjectiora et voluntati magis adversantur, eo majorem effundunt splendorem. Unde concludit D. Basilius ubi proxime : « Nihil minutum est quod Dei causa fit: sed grande, atque illustre. »

Superioribus abjectis, indoctis et imperfectis obediendum est a subditis illustrioribus et melioribus exemplo Christi.

Aliud etiam in hoc Christus Dominus obedientiæ suæ documentum nobis proposuit. Nam, cum ipse Dei sapientia, et sanctus sanctorum, minus sapientibus et minus sanctis obsequentem se præstiterit; *Descenditque cum eis, et erat subditus illis*; « sciretque, ait P. Salmeron, tract. XLVII. §. descendit cum eis, in Ecclesia Dei plures sæpe ad gradus supremos esse promovendos, qui nec sanctitate, nec sapientia cum subditis essent comparandi, docere Doctor veritatis intendit, ut pareamus superioribus nostris, etiamsi sapientia, vel charitate, vel ætate minoribus nobis; et quod nostra in hoc sapientia, virtus et sanctimonia appareat, si majorum ordinationes et præcepta non detrectaverimus, sed obedientia cæca impleverimus. Quid magni, obsecro, esset filium parentibus esse subjectum? sed mirum cogitabat bonus et sapiens Evangelista, quantæ esset humilitatis et submissionis, tam multis annis eum, qui sapientia erat Dei Patris, et in quo delitescebant omnes thesauri sapientiæ et scientiæ, subjectum esse voluisse Mariæ et Josepho, quasi ab eis regi opus haberet. » Et pulchre Origenes super hæc eadem Evangelistæ Lucæ verba sic ait : « Si Jesus Filius Dei subjicitur Joseph et Mariæ, ego non subjiciar episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater? non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatione præpositus est? Videat ergo unusquisque quod sæpe melioribus sit præpositus inferior, et nonnunquam accidat, ut ille qui subjectus est, melior sit eo, qui sibi videtur esse præpositus. Quod cum intellexerit dignitate sublimior, non elavabitur superbia, ex eo quod major est, sed sciet ita sibi meliorem esse subjectum, quomodo et Jesus subjectus fuit Josepho. » De quo in lib. III. tractat. VI. latius egimus. Quod quidem optimo comprobatur exemplo Amasis regis Ægypti, quod tradit P. Barradas, tom. I. lib. X. cap. 19. post principium, §. eumdem. « Olim, ut refert Herodotus, lib. II. Rex Ægypti Amasis, cum ab Ægyptiis, quod illustri familia ortus non esset, non magni se fieri videret, auream pelvim, in qua tam ipse, quam convivæ pedes solebant abluere, in simulacrum Dei nescio cujus convertit, populoque proposuit adorandum, idque populus fecit libenter; tunc convocatis Ægyptiis, ex pelvi in qua convivæ pedes abluere solerent, fabricatum idolum indicavit, quod tantopere venerarentur; similem se fuisse pelvi dixit, plebeio ortum genere; sed ex pelvi abjecta factum esse simulacrum, hoc est, regem; atque adeo honorem sibi regium deferendum. Hunc in modum, ait Herodotus, ad se traxit Ægyptios, ita ut æquum censerent ei servire. » Eadem quippe, et fortiori ratione verus obediens non materiam, nec qualitatem in suo superiore, sed figuram et locum Dei tenentem considerare debet. Eumdem absque dubio honorem cruci sanctæ exhibemus, sive ex auro, sive ex ære, sive ex ligno fuerit fabricata: non materiam, sed figuram spectantes. Eamdem quoque obedientiam ei, qui legitime præest, præstare debemus, sive is illustri, sive obscuro loco sit natus, sive doctus sit, sive indoctus; sive sit juvenis, sive senex : Unde D. Bonaventura in vita Seraphici P. Francisci, c. 6. affirmat Seraphicum Franciscum aliquando sociis dixisse, quod certe nimium mirabile est, « Inter alia, quæ mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mi-

hi guardianus daretur, sicut antiquissimo et discretissimo fratri; subditus prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum, pro cujus est amore subjectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis humilitas obedientis placet. Et ideo subesse malebat quam præesse, generalatuique idcirco cessit ut obediret, non imperaret. Tanta vero obedientiæ siti exarsit sanctissimus et humillimus Franciscus, ut comiti obedientiam semper voverit; novitioque eadem animi alacritate, ac viro et religione antiquissimo, et sapientia præcellentissimo, obtemparaturum se affirmarit, Deum videlicet in homine, id est, prælato, considerans. » Quod etiam D. Bernardus satis expertus, ser. 23. in Cant. adnotavit, ac sensit, dicens : « sive Deus, sive homo vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo. »

Christum cum ætate qualiter in experimentali scientia crescebat.

Certum denique certitudine fidei est, quod hoc tempore, *Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines*, ut expresse noster asserit Evangelista. Ubi P. Maldonado, num. 52. sic explicat : « Voluit his paucis verbis Evangelista breviter exponere quid Christus ad annum ætatis suæ trigesimum egisset, nempe sapientia et ætate, et gratia profecisse; ac fortasse propterea superiorem narrabat historiam, quomodo annos natus duodecim cum doctoribus disputasset, ut ex eo uno intelligeremus exemplo, quantum postea ætate progressus profecisset, qui adhuc puer eo usque profecerat, ut doctores disputando superaret.» Pro quorum verborum faciliori intelligentia supponendum est quadruplicem in Christo fuisse scientiam, scilicet, infusam, beatam, divinam et acquisitam; in tribus primis Christus non profecit, sed in adquisita tantum, ut docet S. Thomas, 3. p. q. XII. art. II. in corpore, et ad primum, ubi suo utens magisterio, in horum verborum explicatione sic ait : « Duplex est profectus scientiæ, unus quidem secundum essentiam, prout scilicet ipse habitus scientiæ augetur; alius autem secundum effectum, puta, si aliquis secundum eumdem et æqualem scientiæ habitum, primo minora aliis demonstret, et postea majora et subtiliora : hoc autem secundo modo manifestum est quod Christus in scientia et gratia profecit, sicut et in ætate : quia scilicet secundum augmentum ætatis opera majora faciebat, quæ scilicet majorem scientiam et gratiam demonstrabant; sed quantum ad ipsum habitum scientiæ manifestum est, quod habitus scientiæ infusæ in eo non est augmentatus, cum a principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa. Et multo minus scientia beata in eo augeri potuit. » Et in eadem 3. p. q. VII. art. XII. ad 3. « In sapientia, ait, et gratia aliquis potest proficere dupliciter. Uno modo secundum ipsos habitus sapientiæ et gratiæ augmentatos : et sic Christus in eis non proficiebat; alio modo secundum effectus, in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit. Et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et ætate : quia secundum processum ætatis perfectiora opera faciebat : » ut se verum hominem demonstraret, et in his quæ sunt ad Deum, et in his quæ sunt ad homines; quod S. Vincentius, ser. infra octav. Epipha. sic explicat exemplo solis, « qui licet tantam claritatem habeat in hora prima, quantam hora tertia habitualiter, et tantam hora tertia, quantam in meridie, tamen sol effectu aliter proficit in claritate : quia majorem claritatem ostendit hora tertia, quam prima, et in meridie majorem : ita Christus Sol justitiæ, » etc. Qui enim declarat, nihil dat de novo, sed jam datum significat, ut dicitur in l. adeo. §. cum enim. ff. de adqui. rerum dominio, ibi : « Qui excutit spicas, non novam speciem facit, sed eam quæ est, detegit; et frumentum excussum ejus erit, cujus et spicæ fuerint. » Et prosequitur S. Thomas : « Scientia autem acquisita, quæ causatur ab intellectu agente, qui non simul totum operatur, sed successive; et ideo secundum hanc scientiam, Christus non a principio scivit omnia, sed paulatim, et post aliquod tempus, scilicet in perfecta ætate, quod patet ex hoc quod Evangelista simul dicit eum profecisse scientia et ætate. » Ubi late et optime explicat P. Suarez, disp. XXX. sect. I. et II. Et Cardinalis Bellarminus, tomo I. Controversiarum, lib. IV. de Christi anima, c. 5. a §. tertio usque ad §. jam inde quarto; ubi ex S. Ambrosio, Damasceno et aliis, de hac Christi Domini experimentali scientia sic ait : « Replebatur Christus sapientia adquisita per experimentum proprium : tametsi enim nihil ignoraret theorice, cum haberet infusam scientiam omnium rerum; tamen practice non sciebat illa omnia, quæ non fuerat expertus. Quomodo Paulus dicit

eum didicisse obedientiam per ea quæ passus est; Hebræ. v. et hæc videtur expositio B. Ambrosii, lib. de Incarnationis Domini sacramento. cap. 7. et P. Salmeron, tractat. XLVII. ad fi. hisverbis : « Christus ergo homo, etsi Deus esset, propterea scientiam infinitam haberet, et per omnia Patri æqualem ; propterea sapientiam beatorum, quatenus comprehensor erat, possideret; et præter illam etiam scientiam infusam quam Prophetæ et Apostoli Dei munere habuerunt, quatenus homo viator erat, obtineret; imo multo majorem quam illi, cum de plenitudine Christi omnes acceperint, atque in hisce scientiis crescere non potuerit, ut Patres docent : tamen in scientia experimentis adquisita illum indies augeri posse et proficere, dignitati ejus aut plenitudini non solum non derogat, sed etiam illi ornamento est et decori : sunt enim habitus infusi et adquisiti differentes specie; quoniam illi quidem non pendent a phantasmate, ut isti. Etsi Christus homo erat perfectus per omnia similis nobis, debuit habere scientiam adquisitam, et temporis decursu auctam, tum quoad species, quas nove adquirebat, pertinet; tum quoad habitus, qui accedebant in dies : nam præstat esse causam agentem scientiæ, quam patientem in infusione. »

Secundum ætatis incrementum, majora opera Christus ostendebat.

Unum tamen pro integra et perfecta intelligentia eorum quæ modo diximus de profectu Christi in sapientia, ætate et gratia apud Deum et homines, prætereundum non putavi. Nam cum Evangelista noster Lucas ageret de Christo Domino infante, statim post Virginis purificationem, et ejusdem Christi præsentationem in templo post quadraginta dies a nativitate sua, dixisset : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo*, Lucæ II. v. 39. ubi nullam mentionem facit de profectu, nisi quoad ætatem; de sapientia autem et gratia solum dicit fuisse illis plenum : at vero postea in fine ejusdem cap. v. 52. agens de illo jam in grandiori ætate, inquit : *Proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines*. P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXXVII. disputatione XVII. sect. 3. ad fin. §. quartum est, respondet ex his duobus locis doctrinam modo propositam comprobari. « Quod scilicet cum Christus in divina sapientia, et in sapientia beatorum, quam ut comprehensor habebat, et in scientia infusa, quam excellentius ut viator tenebat, nunquam creverit in se : sed solum quoad ostensionem et manifestationem per operationes, quas in illa infantili et tenerrima ætate coram hominibus non ita demonstrabat; ideo non dicitur in his crevisse, sed his plenus fuisse, tunc autem crevisse tantum corpore et ætate. *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo.* Postea vero in fine capitis agens de Christo Domino jam grandiori ætate, duodecimo anno, quo in templo remansit, dixit : *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*, quia jam ab eo tempore maxima virtutis ac sapientiæ opera perficiebat, et in eis quodammodo augebatur, vel in multitudine et excellentia operum, vel in demonstratione ac ostensione suæ virtutis, et sic una cum corporis incremento sapientiam et gratiam quotidie magis, magisque foris sese prodiisse. »

Christus usque ad prædicationem miracula non fecit.

Non tamen usque ad ætatem perfectam, usque ad suæ prædicationis tempus Christus Dominus miracula fecit, ut dicitur Joan. III. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ*, et probat et docet S. Thomas, 3. p. q. XLIII. art. III. per totum in hunc modum : « Miracula facta sunt a Christo propter confirmationem doctrinæ ejus, et ad ostendendam virtutem divinam in ipso, et ideo quantum ad primum non debuit antea miracula facere, quam docere inciperet, non autem debuit incipere docere ante perfectam ætatem. Quantum ad secundum, sic debuit per miracula deitatem ostendere, ut crederetur veritas humanitatis ipsius. Et ideo, sicut dicit Chrysostomus super Joannem, homil. XX. decenter non incœpit signa facere in prima ætate; existimassent enim phantasma esse Incarnationem, et ante opportunum tempus cruci eum tradidissent. Et sic, Dei virtus operabatur in Christo secundum quod erat necessarium ad salutem humanam, propter quam carnem assumpserat, et ideo sic miracula fecit virtute divina, ut fidei de veritate carnis ejus præjudicium non fieret. » Deinde quia oportuit ut prius manifestaretur Christus a Joanne Baptista, sicut ipse dixit, Joan. I. *Ut manifestaretur in Israël, ego veni in aqua baptizans*; signum ergo est quod antea non fuerit miraculis manifestatus. Unde colligit S. Thomas, ubi supra, ad 1. quod « Manifestum est quia illa signa, quæ quidam dicunt in pueritia a Christo facta, mendacia, et fictiones sunt; si enim a prima

ætate miracula fecisset Christus, nequaquam Joannes eum ignorasset, nec reliqua multitudo indiguisset magistro ad manifestandum eum. » Relinquitur ergo Christum ea ætate privatam vitam egisse, orabat, jejunabat et silebat, ut supra diximus,

Concionatores missi cum debita præparatione debent accedere exemplo Christi, ut fructum referant.

In quo præstantissimum verbi Dei concionatoribus documentum Christus Dominus præstitit, ut ætate matura et perfecta, et debita orationis et divinarum litterarum meditationis, ac sinceri animarum zeli dispositione, missi ad hoc ministerium accedant. S. Bernardus, lib. de conscientia, c. de quatuor spiritibus : « Nihil, ait, ita contrarium, nihil ita discrepantissimum in scribendo, quam acceleratio et celeritas : digne enim invenire quod quæris, et verbis competentibus vestire quod inveneris, et locum aptum, tempus feriatum, et ingenium vividum, et stylum exercitatum desiderat. » Nec affectent, nec aliquomodo altissimo concionandi ministerio se immisceant; S. Bonaventura, opusculo de informatione novitiorum, cap. 15. « Non affectes fieri prædicator, quia si dignus fueris, Dominus ad hoc te vocabit; si autem indignus et non idoneus, erit tibi confusio major, ideo quia te injeceris; inde est quod aliquando parvum consequimur fructum de prædicationibus nostris, quia non vocati a Deo veniunt, et non missi currunt, prius volentes facere fructum in aliis, quam in se fixerint radices virtutis, et ideo fructus ejus non est durabilis, quia immaturus producitur. *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* ait magnus prædicator, quia missus a Deo Paulus, ad Rom. x. » Priusquam Judas Machabæus adversus Dei adversarios bella moveret, gladium a Jeremia locum Dei tenente accepit, et sic eis debellatis gloriosas obtinuit victorias, ut II. Machab. xv. dicitur : *Hic est fratrum amator, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dexteram, et dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël.* Et advertendum maxime est, Jeremiam Judæ gladium manu dextera tradidisse, per quam Dei electio et pura obedientia designatur. Cujus defectu aliqui manu sinistra gladium accipientes, parvum aut nullum faciunt fructum, gloriantes se a superioris obedientia missos esse, cum tamen ipsi occulte ut eis injungeretur, procuraverint. Quibus unice competit quod I. Machab. v. v. 62. dicitur : *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël.* Ætas autem matura et perfecta ad veritatem intrepide exprimendam nimium conducit, quod satis exemplo Labeonis jurisconsulti comprobatur: is namque cum sententiam contra Augustum imperatorem aperte protulisset, ab eodem imperatore interrogatus unde tantum audaciæ assumeret, respondit : Quod naturæ beneficio esset senex, et filios non haberet, ut refert Alciatus de præsumptionibus, regula I. præsumptione I. numer. 2. de quo in lib. I. tract. III. egimus.

Superiores amanter agant cum subditis, exemplo Mariæ et Josephi, et tunc subditi erunt filii.

Et erat subditus illis; et Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines. Christus Dominus obediendo, et Maria et Joseph imperando, amanter agebant, ut in lib. III. tract. VI. probavimus; sed præcipue B. Joseph excellentiora ministeria Christo Domino exhibebat, ut in lib. II. tract. IX. et in lib. IV. tract. VII. resolvimus. In quo quidem Josephus superioris, Christus autem inferioris et subditi præclarissimum specimen præstiterunt. Unde D. Bernardus, serm. 13. in Cant. sic exhortatur : « Erudimini, qui judicatis terram; discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; matres fovendo, patres corripiendo vos exhibeatis; producite ubera, pectora lacte pinguescant. » Et D. Gregorius, in Pastorali, II. p. c. v. post medium : « Tales, inquit, se esse qui præsunt, studeant et exhibeant, quibus subjecti occulta quæque sua prodere non erubescant, sed quasi ad matris sinum recurrant : et eos exhortationis solatio ac lacrymis orationis lavent. » Et sic superiores, parentes, subditi vero se filios rite præstabunt, ut in dicto tract. VI. libri tertii egimus. Quocirca quemadmodum Christus Dominus ætate crescebat, corpore confortabatur, et in dies perfectiora suæ sapientiæ opera ostendebat, ut superius diximus : sic etiam subditi virtutibus quotidie magis ac magis vigebunt.

In via Dei non standum sed semper proficiendum est, et ad majorem perfectionem anhelandum.

Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines. Per hoc illustre nobis præstatum documentum in via Dei semper proficiendi, ut colligit P. Salmeron, tract. XLVII. prope finem, in hæc verba : « Demus igitur operam strenue semper ut proficiamus in Christo Jesu, vel ut Jesus in nobis proficiat, quod in idem recidit, tum quia scriptum est Apocalyp. ultimo : *Qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* :

tum quia in via Dei non progredi, regredi est; ut aqua quæ extrahitur instrumento rotæ de puteo, si tantillum remittas, retrocedit rota; et qui navigat contra cursum fluminis, vel si minimum relaxet manus, regreditur secundo flumine : tum quod tepidos evomit de ore suo Deus, Apocalyp. III. quasi ingratum et insipidum cibum : tum quoniam mali proficiunt in pejus, II. ad Timoth. III. in sapientia et gratia hominum venanda nullum terminum ponunt : tum quia Apostolus ad Philip. III. ad anteriora convertit seipsum, quæ retro sunt obliviscens : tum denique quoniam cuncta creata a Deo, habent suos progressus et finem, ad quem tendunt, ut flumina, plantæ, animalia, hominum corpora: verum cætera omnia naturæ ductu feruntur, nullumque habent dominium actionum suorum; solus homo creatus est talis ut valeat, si velit, seipsum polire, atque illustrare, seque ipsum ad perfectionem suam promovere et attollere : est namque præceptum Christi, Matt. V. *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est:* at quomodo perfectus eris, si non proficias? Quo pacto pervenies ad summum, nisi prius intermedios gradus conscenderis? Stupenda est profecto et deploranda nostra in perficienda sanctificatione socordia. Unde Apostolus ad Ephes. IV. *veritatem,* inquit, *facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus,* et I. ad Timoth. IV. sic hortatur : *Profectus tuus manifestus sit omnibus.* »

In via Dei stare retrocedere est, et probatur multis.

Crescere ergo in Christo debemus, ut modo vidimus, quia in via Dei stare, retrocedere est, ut docuere D. Augustinus, in epistola ad Eliodorum, et D. Bernardus, epist. 2. 3. et 5. Cujus efficacem rationem docuit S. Thomas, 2. 2. q. XXIV. art. X. in corp. in fine, quia per cessationem ab operatione torpescit homo, et ad casum disponitur. « Potest, ait, indirecte dici diminutio charitatis, dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit vel per peccata venialia, vel per cessationem ab exercitio operum charitatis. » Quapropter D. Bernardus, epist. 91. egregie illam Jacobo ostensam scalam, per quam perfectorum vita designatur, expendit et considerat omnes Angelos per eam vel ascendere, vel descendere, nullum tamen vel stantem, vel sedentem reperiri. « Si attentes, inquit, stare, ruas necesse est, et minime bonus est qui melior esse non vult : nam ubi incipis nolle fieri melior, ibi desinis esse bonus. » Et D. Hieronymus in epist. ad Demetri. de virginitate, in idem dixit : « Ubi cœperimus stare, descendimus, nostrumque non progredi jam reverti est. »

Indicia ruinæ hominis spiritualis.

Quod maximum periculum Seraphinus Firmianus, in tract. de sui ipsius cognitione atque victoria, cap. VII. de acedia, sic gravissime ponderavit : « Sicut monachus pœnitens voti quod Deo spopondit, sæculoque regressus, dicitur apostata, ita qui in via Dei remittens retrocedit, suoque defervescit ab igne primitivo, dici potest apostata, ut jam non amplius Deum curet vel sanctos. Quod si tibi vis deprehendere vitium, inspice num antea ardescebat tuum Deo desiderium? jam vero tepuisti, et jam non putas tanto opus esse fervore. Vide etiam num de fide tenteris et fere dubites? neque hinc tibi multa animo sedeat cura, imo te juvet hominibus conversari fide vacuis, audireque, qui jam in dubium revocet. Indicia sunt hæc apostaseos, separationisque a Christo, quo non statim pervenitur, sed sensim et gradatim descenditur. »

Homo naturæ corruptæ et passionibus violentiam inferre debet, ut virtutem colat, et regnum cœlorum rapiat; quod sine Dei gratia facere non potest.

Hujus gravissimi periculi ea etiam ratio optima esse potest, quia hominis natura post originalis peccati labem, ubi per negligentiam torpet, facile ad frigus peccati relabitur; quod quidem eleganti similitudine docuit Apostolus ad Hebræos II. v. 1. dicens : *Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus.* Quibus verbis comparavit Apostolus hominem vasi fictili, desumpsitque metaphoram a vasis rimas habentibus, quæ sic effluunt, ut tandem pereffluant, et nihil omnino liquoris retineant. Significat igitur Apostolus incumbendum maxime esse in virtutum studium; quoniam si semel rimam aliquam habere cœperimus, toti quam citissime perefluemus, universæque virtutes tanquam aqua ex fracto vase dilabentur. Quæ eadem ratio sic explicari et confirmari potest, quia natura nostra corrupta, et in naturalibus etiam læsa, prona est in malum, juxta illud Genes. VIII. v. 21. *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona est ab adolescentia sua.* Et sic miser homo ad virtutem operandam tendit contra ictum fluvii, contingitque illi quod de Apostolis in mari dixit Evangelista Marcus cap. VI. v. 48. *Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis;* quis, obsecro, ventus contrarior impræsentiarum esse potest, quam quem Apostolus ad Rom. VII. v. 23. et 24. expertus dicebat?

Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis; infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago.

Quapropter Christus Dominus nostrum perfecte cognoscens figmentum, dixit Matth. II. v. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, ubi S. Hieronymus : « Grandis est enim violentia in terra nos esse natos, et cœlorum sedem quærere et possidere per virtutem, quam non tenuimus per naturam. » Et Glossa ordinaria : « Patria cœlestis vim patitur, dum peccator ad eam quasi ad alienum locum intrat per pœnitentiam, quod non possumus per naturam. » Et clarius Lyra n. 10. « Non enim potest homo in terra natus rapere cœlum, nisi sibi faciat violentiam, coercendo a delectationibus proprium appetitum. » Unde quod Aristoteles, lib. III. Ethic. c. I. dixit : « Violentum est cujus principium foris est, in quo patiens aut agens nihil confert, » verificatur in homine regnum cœlorum quæritante, qui sine auxilio et Dei gratia nihil potest, dicente Domino, Joan. XV. v. 5. *Quia sine me nihil potestis facere.* Ubi S. Thomas, lect. 1. « Manifestum est quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest. II. Corint. III. *Non quod sufficientes simus aliquid cogitare ex nobis*, etc. » Si ergo nec etiam cogitare possumus nisi ex Deo, multo minus nec alia. Et S. Augustinus, lib. de correctione et gratia, c. 2. in principio, tom. 7. « Sine gratia nullum prorsus, sive cogitando, sive volendo et amando, sive agendo faciunt homines bonum. » De quo videndus est S. Thomas. 1. 2. q. CIX. per totam, et q. CXII. per totam.

Et hoc de Christo Domino usque ad trigesimum suæ ætatis annum sint satis. Videndum modo restat quamdiu B. Joseph vixerit, et utrum ante Christi baptismum et prædicationem, an vero post ejus sacratissimam passionem mortem obierit? De quo in sequenti tractatu dicemus.

TRACTATUS X.

Quo tempore B. Joseph vita functus fuerit, et de ejus ægritudine cum Christi Domini et sanctissimæ Deiparæ assistentia; et qua pompa funerali fuerit sepultus.

Ubi nec juris determinatio, neque Ecclesiæ traditio reperitur, recurrendum est ad Patres et doctores et ad rationem naturalem.

Pro dicendorum majori claritate supponendum est quod ubi nullus divinæ Scripturæ locus adest, nulla Ecclesiæ determinatio aut traditio reperitur, nec Sanctorum et doctorum sententia concors favet, in quæstione qualibet oborta, nulla potest esse sufficiens certitudo : erubescimus enim, inquiunt juris prudentes, cum sine lege loquimur, ut habetur in Authentic. de triente, et semisse. §. consideremus. Et tunc recurrendum est ad majorum, gravissimorumque auctoritatem, ut dixit Glossa in l. mulier bona, in principio, ff. de jure dotium; et ibi doctores et Angelus in l. si idem in principio, ff. de jurisdict. omnium judicum. Quibus deficientibus in his et similibus recurrendum erit ad prudentes conjecturas, præsumptiones et indicia, ut juribus adductis probat Alciatus in tract. de præsumptionibus, reg. 2. præsumptione 14. numero 9. vel quod idem est, ratio naturalis consulenda est; quia omne quod in ratione consistit, lex merito reputatur, ut docuit Glossa in c. ex eo verbo, quam rationem de electione in 6. unde jurisconsultus in l. 16. ff. de legibus, jure optimo in hæc verba decrevit : « Scire leges non est verba eorum tenere, sed vim ac potestatem. » Et eodem intentu D. Hieronymus super capite I. ad Galat. de divina agens Scriptura dixit : « Marcion et Basilides et cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Evangelium, quod docetur; nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis. » Quod canone comprobatum est in C. Marcion. 1. q. 1. Et sic ad causarum decisionem ratio naturalis allegari potest, ut late probat Everardus in sua centuria legali, in loco, a lege cessante, per totum. Cum ergo quandiu B. Joseph apud nos vixerit, et quo tempore

e vita discesserit, neque ex Evangelio, neque ex Ecclesiæ decreto, neque ejusdem traditione, neque ex sanctorum et doctorum voto concordi nobis constet qua ratione in diversas abierint sententias, referendæ a nobis sunt, et ex eis, quæ Evangelio, rationi et prudenti conjecturæ ac præsumptioni fuerit conformior, eligenda ac comprobanda.

Variæ opiniones de tempore quo B. Joseph vita functus fuerit.

Prima ergo opinio sit beatum Josephum paulo post duodecimum ætatis Christi annum e vita migrasse. Ita D. Epiphanius, hæresi 78. hac ratione motus : quia ab eo tempore quo Christum duodecimum annum agentem in templo cum B. Virgine invenisse refertur, nulla deinceps mentio fit ipsius, quamvis interdum et discipulorum, et fratrum, et B. Virginis tractetur historia : quæ omnia eò dicit esse facta, quia obierat paulo post duodecimum ætatis Christi annum; et huic sententiæ inhærere videtur Baronius in vita Cæsaris August. n. 8. et 9. anno 58.

Secunda opinio quorumdam fuerit asserentium B. Josephum obiisse tempore prædicationis Salvatoris, eumdemque Christum Dominum cum discipulorum turba interfuisse, quando idem Joseph ultimum tradidit spiritum, ut refert Isolanus, IV. p. c. I. in princip. §. alii.

Tertio opinio asserit B. Josephum tempore Passionis Christi superstitem fuisse, æquanimiterque passum fuisse Joannem sibi præponi, quando illi Christus in cruce Virginem commendavit. Ita defendit Cyprianus, serm. de Passione Domini, in hæc verba : « Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum; sed quia in Spiritu actum erat conjunctionis illius mysterium, passus est Joseph æquanimiter sibi eum in hoc servitio præponi, quem digniorem se judicabat; et ideo maxime quia magistri electio sic negotium ordinabat. » Et idem tenet D. Chrysostomus, hom. 5. super c. I. Matth. cujus sententia canone comprobata est in c. si enim. 143. in ordine 27. q. 2. ibi : « Si enim cognovisset eam, et loco habuisset uxoris, quomodo illam Dominus quasi absque solatio, et nihil penitus habentem, discipulo commendasset, jubens illi ut illam acciperet in suam? » ubi Glossa sic interpretatur : « Argumentum est quod vivente Joseph, separata est Virgo ab eo; hic enim exprimitur causa quare Dominus separavit eam a Josepho. » Et D. Ambrosius, tract. de institut. Virginis, super c. XXIII. Lucæ, fuisseque etiam resurrectionis tempore inter vivos B. Josephum, Christumque adorasse solem et lunam, et undecim stellas, quando post resurrectionem sancta Maria quasi luna, et B. Joseph velut sol, cum undecim stellis, id est, beatis Apostolis prostrati sunt ante eum. Et ejusdem sententiæ recentiores aliqui reperiuntur, probantque primo, quia licet B. Joseph per verum et essentiale matrimonium ratum fuerit Virgini datus in adjutorium et solatium, et ut altissimum Incarnationis mysterium sub illius sanctissimi matrimonii umbra celaretur, ut in lib. II. tract. I. per totum probavimus; passionis tamen Dominicæ tempore ita erat Joseph senio confectus, ut juvamine alieno potius ipse indigeret, quam ut Virginem adjuvare posset; et etiam, quia eo tempore veritatem Incarnationis mysterii, quod scilicet Christus Dominus non filius Joseph, ut putabatur, sed filius Dei, et filius Virginis ope Spiritus sancti conceptus, oportebat declarari, Josepho manente Virginis sponso in matrimonii vinculo insolubili. Secundo, probant ex Evangelio Matthæi, c. XIII. v. 55. in illis verbis : *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic sapientia hæc et virtutes? et omnia ista?* Nam dicens Evangelista : *Nonne omnes apud nos sunt?* insinuare videtur B. Josephum adhuc superstitem esse.

Communis sententia est quod ante nuptias Cana Galilææ obierit.

Quarta, ultima, communis et recepta sententia, quam nos libenter sequimur et amplectimur, est, quod B. Joseph ante passionem Dominicam, paulo ante, vel post baptismum, et ante nuptias Cana Galilææ feliciter in Domino obdormierit. Ita defendunt D. Hieronymus, lib. contra Helvidium, et D. Bernardinus Senensis, serm. de S. Josepho, cap. 3. et S. Bonaventura, de Vita Christi, cap. 17. et S. Vincentius, serm. de S. Joseph, et Gregorius Cedrenus, in compendio Historiarum, et Petrus Nannius, in scholiis ad epistol. 79. S. Ambrosii, et Gerson, de S. Josepho, et Ubertinus, lib. de Arbore vitæ, et Petrus Comestor, in sua Historia, cap. 86. et latissime Isolanus, IV. p. c. I. et Paludanus in 4. distinct. XXX. quæst. II. num. 16. concl. 4. et Viguerius, de mysterio Incarnationis Filii Dei, cap. de Annuntiatione Dominica, cap. 20. §. 9. et Mag. Fruxillo, in vita S. Josephi; et P. Canisius, lib. II. de

Virgine, cap. XIII. paulo post principium; et P. Salmeron, tom. X. tract. XLI. §. Dicit matri suæ; et Card. Toletus, super c. II. Joannis, annot. 2. et postea super cap. XIX. in illa verba : *Deinde dicit discipulo : ecce mater tua*; et P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXIX. ar. I. et II. disp. 7. sect. 1. §. ad primam confirmationem, et sect. 3. in fine; et P. Barradas, tom. I. lib. VI. c. 8. §. antea quam; et tom. II. lib. III. c. 1. super illa verba Joannis : *Et erat mater Jesu ibi*; et P. Castro, de historia Deiparæ, c. XIII. ad fin. n. 9. et plures alii neoterici non contemnendæ auctoritatis.

Hæc opinio probatur et satisfit difficultatibus.

Et probatur primo, quia matrimonium inter Virginem et Josephum fuit a Deo principaliter ordinatum propter Christum Dominum, ut haberet tutorem, nutritium, et adjutorem fidelissimum, et etiam, ut sub matrimonii velamine legitimus putaretur, et propter ipsam Virginem, ut comitem et solamen haberet, et quamvis aliæ rationes et convenientiæ accesserint, istæ tamen principaliores et finalizantes fuerunt, ut in lib. II. tract. II. per totum latius egimus. In quo admirabili et divino matrimonio, omnium matrimoniorum præstantissimo, ut in lib. II. tract. II. diximus, fuerunt tria matrimonii bona : proles scilicet, fides et sacramentum; proles, Christus Dominus; fides, nullum adulterium, et sacramentum, nullum divortium, ut ex D. Augustino et aliis in lib. II. tract. III. probavimus : quia, licet matrimonium hoc sicut et reliqua, quoad vinculum fuerit per mortem dissolutum, non tamen eximia charitas, amor, respectus et relationes inter Virginem et Josephum cessarunt, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ; unde qui secundum Deum hic mutuo se dilexerunt, cum fuerint cœlestem patriam ingressi, ampliori se dilectione prosequentur. Quod si hæc in sanctis inveniuntur, quid, obsecro, erit in Virgine et Josepho? de quo in lib. III. tract. X. ex professo resolutum reperies. Cum ergo media sint ad finem, et bonitas ac necessitas mediorum pendeat a necessitate et bonitate finis, ut ex D. Thoma probavimus in lib. II. tract. V. inde est quod cessante causa finali, ratio etiam mediorum cessare debeat, quemadmodum cessante causa adæquata, cessat effectus, secundum Aristot. lib. II. poster. et in c. cum cessante de appellationibus, et probat latissime Everardus in sua centuria legali, loco a cessatione rationis, et in loco a virtute finis. Prudenter, verisimiliter et probabiliter sequitur quod cum Christus Dominus a baptismi et prædicationis tempore, aliam vivendi rationem instituerit, circa paupertatem præcipue, ut optime probat P. Suarez, tom. II. in 3. p. quæst. XL. art. III. disp. 28. sect. 2. per totam; et etiam manifestandi se non esse filium Josephi, sed verum Deum et hominem, omniumque redemptorem; beatissimamque Mariam matrem suam perpetuo Virginem permanentem, eum operatione Spiritus sancti concepisse, finis ministeriorum Josephi, et etiam contracti matrimonii cessavit, et consequenter quod ante nuptias Cana Galilææ mortuus jam fuerit.

Ex quo plane constat Christum Dominum et B. Virginem usque ad Christi prædicationem eguisse ministerio et labore Josephi, ut eis vitæ necessaria suppeditaret, cum quo sane fine pugnat prima opinio asserens B. Josephum statim post duodecimum Christi annum obiisse, et sic probabilitate caret; constat etiam gratis et sine aliquo probabili fundamento dictum, quod secunda censuit opinio, beatum scilicet Josephum in ipso Christi Domini prædicationis tempore vita fuisse functum, et quod tam ipse quam Apostoli felicissimo ejus decessui adfuerint, nullam rationem, locum, aut inductionem afferentes auctores illius.

Inter Virginem et Josephum nullum fuit factum divortium.

Ex dictis etiam constat omni carere ratione et fundamento quod decreti Glossator relatus in tertia opinione dicere fuit ausus, quod licet B. Josephus tempore passionis Christi viveret, fuerat tamen a Virgine divortio separatus, quod vel audire pias offendit aures; condonandum tamen illi est, qui de coloribus judicans, falcem in messem misit alienam. De quo agens Isolanus IV. p. c. I. fol. 90. pag. 1. ad finem, sic qualificavit : « Neque enim rationabile est, imo impium videtur dicere quod Joseph libellum repudii dederit Virgini, ceu lex Moysis jubebat, cum nulla subesset causa, nisi Joseph mentiri voluisset, quod non facit justus, præsertim quod conjugium illud omni claruit perfectione, ut supra probatum fuit; sed ad perpetuum spectat matrimonium perpetua cohabitatio, diuturnamque separationem non fert. Consonat ergo rationi mirum in modum Joseph viventem a B. Virgine nunquam fuisse separatum : charitas etenim nunquam excidit, ac ejus nexus charitate perseverante. Sed inter B. Virginem et sanctum Jose-

phum fuit amor secundum perfectam charitatem; ergo amor ille nunquam fuit dissolutus; et per consequens nec conjugium, præsertim nulla auctoritate, nullave necessitate intervenientibus; et adhuc, quia exercitium operum divinæ pietatis est conforme legi communi dirigenti illa opera. Sed hæc est lex prima matrimonii a divina pietate instituti inseparabilitas in vita utriusque conjugis; Gen. II. *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit uxori suæ;* hoc igitur matrimonium nunquam fuit separatum. Hinc ait Petrus de Palude, in 4. dist. XXX. q. II. ar. 2. quia bonum sacramenti est inseparabilitas; ipsi autem non fuerunt separati usque ad mortem, convincitur Joseph mortuus, quando fuit alteri commendata. »

Hinc rursus colligitur quod si B. Joseph tempore dominicæ passionis adhuc viveret, nec esset absens a dominica cruce; neque oportuisset sacram Virginem alteri commendari alieno custodi magis quam legitimo marito, sive sponso; neque erat, cur eo honore ac dignitate privaretur, et in alium transferretur, nisi gratis fingamus, ut tertia dicebat opinio, illum seniculum ac decrepitum, nullique ministerio atque custodiæ amplius aptum, sed potius ipsum alterius custodia opeque indigere; quæ cum facti sint, et in facto consistant, non præsumuntur, nisi a dicentibus probentur, in quo tertiæ sententiæ auctores aperte defecerunt.

Ex eadem quoque radice non caret maxima difficultate, quod Gratianus in dicto c. si enim. 27. q. 2. retulit ex D. Chrysostomo, homil. 5. super c. I. Matthæi; cui respondet Isolanus loco citato, fol. 91. pag. 1. §. ad dicta, in hæc verba : « Dicitur primo quod ille textus ubicumque sit, est intelligendus de separatione quantum ad mortem; dico secundo me diligenter quæsisse textum adductum in homilia S. Chrysostomi, et nihil nec quidem simile comperisse : imo potius adversa et contraria; sic enim habetur in hom. de S. Josepho : Ille siquidem tam modestus erat et honestus, tanquam a vitiosa passione liber, ut neque suspicione cogente vellet in Virginis ire supplicium. Qui enim supra legem philosophabatur, dimittere enim, et occulte dimittere sine dubio erat philosophantis supra legem, quomodo contra legem aliquid admitteret? » Destructo ergo exemplari, consequenter destruitur exemplatum, sicut et destructo proximo relationis fundamento, destruitur ipsa relatio.

Neque aliquid probat locus ille Matthæi XIII. *Nonne omnes apud nos sunt?* quia, ut Christus Dominus tunc diceretur fabri filius, necesse non erat Josephum tunc temporis fuisse superstitem, cum in communi usu loquendi et percipiendi, filius fabri dicatur cujus pater jamdiu vita functus fuisset; majoremque absque dubio præsumptionem et probabilitatem facit, quod in nuptiis Cana Galilææ Mater Jesu esset, vocatusque similiter Jesus et discipuli ejus, nulla Josephi facta mentione; quod factum non fuisset, nisi jam ipse e vita excessisset; et quod quando Christo prædicanti nuntiatum fuit : *Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te*, nulla etiam Josephi facta fuerit mentio, nulla alia ratione profecto, nisi quia jam obierit, et Virgo in custodiam Filii transierit : neque etiam deinceps legitur de eo in Evangelio.

Et ad nostram tuendam sententiam hanc communem, si rationibus adductis non esset sufficienter fulcita, satis superque conviceret communem esse fateri : quia in rebus dubiis, præcipue antiquis, in quibus doctores inter se dissentiunt, plurium opinio inquirenda et amplectenda est, juxta decisionem c. novimus, de verborum significat. ibi : « Cum quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, et quorumdam sit opinio a pluribus approbata, etc. » Et docuit Abbas in c. 1. col. pen. de constitutionibus, adeo quod communis opinio excusat in utroque foro, etiamsi reipsa veritas se haberet in contrarium, ut post Paulum Castrensem et alios probat D. Gutierez, to. II. pract. quæstionarii, lib. III. q. XIII. nu. 31 usque 37. et tandem S. Bernardinus Senensis, to. III. ser. de S. Josepho, ar. 2. c. 3. ita dubitationem istam conclusit. « Voluit enim Dominus ipsum Josephum mori ante dominicam passionem, maxime ne morte Christi immenso dolore cruciaretur. »

Quid Josepho ante mortem ejus acciderit, et qualiter corpus ejus integrum fuerit, et Angelus ei apparuerit.

Concupienti autem, et scire desideranti quid proxime ante ipsam sanctissimi Josephi mortem contigerit, Isolanus ex Orientalium consuetudine et relatione, IV. p. c. IX. ita respondet : « Senuit Joseph, et processit in diebus suis (septuagenarius enim erat, quia cum esset in virili quadraginta annorum ætate Virginem duxit, et cum ea et Christo

Domino vixit triginta, ut in lib. II. tract. v. resolvimus). Non tamen debilitatum fuit in viribus corpus ejus, nec offuscatus fuit visus oculorum ejus, nec computuit dens aliquis oris ejus, nec decrepuit in aliquo mens ejus; sed erat tanta ætate completus in omnibus viribus suis, et fortis in omnibus membris suis, sicut in juventute sua. Appropinquarunt dies Joseph ut moreretur; et apparuit ei Angelus Domini, qui fuerat ei ad custodiam deputatus, et dixit ei quod deberet cito transire de hoc sæculo, et apponi ad patres suos, et cum læta facie et grato aspectu associaret animam ejus, et infirmatus cecidit in lectulum suum et aggravata est valde ejus infirmitas, et hora mortis appropinquavit. »

Christus et Maria adfuerunt morti Josephi, et cum cœlestibus consolationibus affecerunt.

Tunc pie credendum est quod Christus Dominus ad caput Josephi, et B. Virgo ad pedes ejus lectulum circumstantes interfuerunt; ut Isolanus ubi supra; et S. Bernardinus Senensis, tom. III. art. II. c. 3. in hæc verba considerat: « Pie igitur credendum est quod in obitu Josephi præsens fuerit pius Jesus Christus, et sacratissima Virgo sponsa sua. Quantas putas exhortationes, consolationes, promissiones, illuminationes, inflammationes, et æternorum bonorum revelationes recepit in transitu suo a sanctissima sponsa sua, et dulcissimo Filio Dei Jesu, relinquo devotæ menti contemplandum vel considerandum. » Et Gerson, serm. de Nativitate Virginis, considerat. 3. ad fi. « Legimus, ait, in transitu Mariæ ipsum astitisse Jesum, ut attestatur Hieronymus, sic et in obitu felici Joseph recte credendum est Mariam sponsam et filium Jesum corporaliter affuisse; ante enim Christi passionem defunctus est: alioquin enim custodia matris alteri commissa non fuisset. » Et doctissimus ac catholicæ fidei defensor acerrimus doctor Joannis Eckius, hom. 2. de S. Josepho: « Cum autem, inquit, Joseph ante Christi passionem et mortem mortuus ipse fuerit (alias enim quid opus fuisset eum tantopere Joanni matrem commendare?) utique Christus et Maria funus Josephi deplorarunt, quoniam creditur eum ante Christi baptismum fuisse demortuum. Itaque cum Maria annis triginta vixisset, Joseph itaque lethaliter ægrotante, quisque pro suo affectu cogitare potest quantum rursus ministerii et solatii Dominus, ut puta filius ejus creditus suo nutritio parenti exhibuerit. Si enim super Lazarum flevit, adeo ut mirarentur tam ferventem ejus amorem Judæi, quanto ardentius flevit nutricii sui parentis mortem?»

Quod si beatissima Virgo officina medicinæ est ægrotantibus, qua deficiente, si deficeret, quod impossibile reputatur, ut in lib. III. tract. IX. et X. resolvimus, infirmus ingemisceret, quinimo et facile periret, juxta illud Eccles. XXX. *Ubi non est mulier, ingemiscit infirmus.* Et S. Damascenus, ser. de dormitione Virginis, introducit Virginem sic omnes materne alloquentem: « Ego evasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum; ego remedium adversus dæmones; ego civitas refugii ad me confugientibus. » Et S. Bernardus, hom. 2. super *Missus est*: « Maria omnibus misericordiæ sinum aperuit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, æger curationem, tristis consolationem, » etc. Quid rogo, cum amantissimo et dulcissimo sponso suo Josepho, cui tot officiis, tantis beneficiis et pietatis operibus erat adstricta, fecisse credenda? Dubio procul amantissimus Jesus et piissima Maria perfectissime cum B. Josepho insigni utriusque benefactori, illud Psal. XL. in vita, in infirmitate et in ejus morte adimpleverunt: *Beatus vir qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in manus inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.* Cumque sic patienter et lætanter B. Joseph expirasset, Christus Dominus propria manu clausit oculos ejus, et vultum composuit, et benedixit corpori ejus ne putresceret, et accessit Angelorum multitudo, qui induerunt corpus Joseph stola candida, ut refert Isolanus, IV. p. c. IX. ad fin. Quæ omnia pie, pulchre et eleganter sic cecinit Gerson in sua Josephina.

Venerat illa dies, quæ vitam morte pararet,
Perpetuam tibi, juste Joseph, dedit inclyta proles;
Christus adest cum matre pia, quibus officiose
Servieras; vultu placido solantur euntem,
Ora licet lacrymis oppleverit intus obortis
Naturalis amor: etenim sat credere fas est
Quod patrem Jesus et sponsum flevit morientem
Virgo genigna suum: fidi custodis amator
Procumbit lecto, complexans membra, pudicis
Oscula dat labiis, mi vir, proclamat, abisne?

Velle tamen Domini fiat, dilecte, valeto ;
Nil timeas, Dominus placida te sede locabit.
Protinus ipse Joseph pretiosa morte quievit.

Mors sanctorum quare pretiosa et Josephi, quare pretiosissima.

Pretiosa equidem, imo et pretiosissima fuit nostri sanctissimi Josephi mors : nam si de cujuslibet justi morte dicitur Psalm. CXV. v. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* ; ubi D. Augustinus sic explicat : « Ideo pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum ejus, quia emit eam sanguine suo Christus, qui prior sanguinem fudit pro salute eorum, ne pro domini nomine servi fundere dubitarent; » pretiosa etiam mors sanctorum est et dicitur, quam bona vita præcessit, ut docuit D. Bernardus, ser. 24. in parvis ; « in confessoribus, inquit, qui in Domino moriuntur, facit pretiosam in conspectu Domini mortem vita bona, quia mala mors putanda non est, quam vita bona præcessit ; » mors sancti Joseph Christi Domini putativi patris et veri Virginis sponsi, qui cum eis per triginta annos tot opera ac tot excellentiora ministeria attingentia quodammodo Incarnationis ministerium, ut in lib. II. tract. IX. et lib. IV. tract. VII. resolvimus, pretiosissima absque dubio reputanda est, ut sanctissimæ Deiparæ sponsæ suæ morti assimiletur; circa quam hoc argumentandi genere usus fuit D. Augustinus, serm. de Assumptione, ad finem, dicens : « Si omnium sanctorum mors pretiosa est in conspectu Domini, Mariæ sane est pretiosissima, quam tanta comitata est gratia, ut Mater Dei dicatur et sit. » Cum sanctissima Virgo et sanctissimus Joseph sint ab antiquo æquiparati, ut in lib. II. tractatu VIII. resolvimus,

Christus Josephum legatum ad Patres in limbo misit, ut illis appropinquans regnum cœlorum nuntiaret.

B. Joseph sic felicissime vita functus, missus statim fuit a Christo Domino legatus ad Patres in limbo existentes ad liberationis eorum quampridem operandæ lætum nuntium deferendum, ut optime Isolanus, IV. part. capit. II. per totum, his verbis considerat et tradidit : « Cum rationabiliter credamus Joseph mortem obiisse ante Christi passionem, considerandum est de privilegiis quibus decoratus fuit apud Patres in limbo existentes. Primum autem privilegium dicitur legatio certissima : fuit enim institutus legatus ad annuntiandum incarnationem Filii Dei, cujus ipse indubitatus erat testis. Multi equidem reges et prophetæ voluerunt videre quæ vidit Joseph, et non viderunt ; et propterea morientes a longe nuntiabant ; at Joseph moriens visa et audita patribus significavit. Hanc dignitatem Salvator nomine beatitudinis circumscribit dicens : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis ;* Luc. X. v. 23. Hæc legatio præfigurata fuit Genes. XXXIX. et XL. in Joseph existente in carcere, et consolante carceri addictos ; item in Tobia pergente per omnes captivos, et dante monita salutis. Secundum privilegium fuit narratio affluentissima : ad plenum nempe credendum est Joseph indicasse Patribus modum incarnationis Filii Dei, ortum ac vitæ progressum ejusdem. » Nec enim dubitare licebit Josephum, ut ocularem testem Patribus in limbo existentibus integre et fideliter retulisse desponsationem divinitus ab eo factam cum Virgine illa, ejus matre, quam ipsi per tot sæcula desiderantes expectabant, floruisseque in signum divinæ electionis virgam in manu ejus, et virginitatis votum, quod ambo Deo voverunt, seque nativitati Christi Redemptoris præsentem adfuisse, Magorum regum adorationem et oblationem, et fugam, quam Angelo monente, ipse cum puero et matre ejus in Ægyptum fecit ; purificationem Virginis ac Christi præsentationem in templo cum S. Simeonis vaticinio ; puerum annorum duodecim mansisse in templo Hierusalem, inventumque in medio Doctorum disputantem, eumdemque Redemptorem subditum sibi fuisse, patremque compellasse ; et alia quamplurima, quæ inter ipsum, et Christum Dominum, et sanctissimam Deiparam per triginta annos in particulari commercio et communicatione contigerunt. Et tandem se ab ipsomet Redemptore cum lætissima hac legatione ad eos fuisse missum, in quibus omnibus repetebat illud Joannis, I. ep. c. I. v. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ testamur et annuntiamus vobis.* Et sic merito conclusit Isolanus, loco citato : « Joseph ad plenum indicavit Patribus modum incarnationis filii Dei, ortum ac vitæ progressum ejusdem. »

Christus et Maria cum Angelis et piis hominibus comitati sunt funus Josephi, quod omnem pompam funeralem excelluit

Actum illico fuit de S. Josephi corpore sepulturæ tradendo, quod ita honorificentissime gestum et ordinatum fuit, ut cum multitudine cœlestium spirituum, et piorum hominum ac mulierum, ipsemet Dominus Jesus, Rex regum et Dominus dominantium, et ipsamet Mater Dei, Regina cœli et mundi Domina fuerint comitati ; in quo funeralis hæc pompa omnem aliam præteritam, præsentem et futuram facile excelluit ac supe-

ravit; ut sic in hoc sepulchro, et modo sepeliendi plane verificetur illud Isaiæ XI. v. 10. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Super quo merito sane exclamat Gerson loco citato: «O funus lætissimum, quod ipsum mundi gaudium est prosecutum, nam Christus et Virgo Deipara Josephi feretrum comitati sunt. Hujusmodi fuisse apud Judæos morem vidua illa indicat, quæ filium vita functum ex civitate Naim in sepulchrum sequebatur. Potuit quidem Christus tacto feretro Josephum, ut viduæ filium, vitæ restituere; sed in tempus resurrectionis suæ sui Josephi distulit forsitan resurrectionem, ut qui pariter vixerant, pariter et resurgerent, de quo in tract. sequenti dicemus. Et apud Orientales refertur Christum Dominum de hoc agentem discipulis suis aliquando dixisse: «Et portaverunt corpus Joseph majores natu ad sepulchrum, et ego recordatus fui dierum quibus portavit me in Ægyptum, et suorum multiplicium laborum quos pertulit mecum, et flevi inclinatus super corpus ejus; et posuerunt corpus Joseph patris mei in sepulchro juxta corpus patris sui Jacob.» Hoc tradit Isolanus, IV. p. cap. IX. fol. 100. p. 1. ad finem.

Ubi fuerit sepultus Joseph.

Sepultusque est noster gloriosissimus Joseph inter montem Sion et montem Oliveti, ubi postea repositum fuit corpus B. Virginis matris Dei et ejus sponsæ. Ita asserunt D. Hieronymus, Beda, et Bruchardus, quos refert et sequitur P. Suarez. II. tom. in 3. p. q. XXXVII. art. IV. disp. 21. sec. 2. ad primum. Quod certe inter B. Josephi excellentias præcipuum locum obtinet, ut qui in omni vita sua ita se dilexerunt, in gloria sepulchri non separentur. Estque utrique juri et rationi valde conforme, cum vir et uxor socii humanæ atque divinæ domus reputentur, ut imperator dixit Gordianus in l. adversus. C. de crimine expilatæ hæreditatis. unde quando uxor sibi non elegit sepulturam, cum viro antea mortuo sepelienda est, ut ex D. Augustino, lib. IX. Confessionum, c. XI. colligitur ex c. 3. causa 13. q. 2. in hæc verba: «Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.» Item Gregorius: «Soror B. Benedicti sepulta est in sepulchro quod ipse sibi præparaverat; ut quorum mens una fuit semper in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separet.» De quo Glossa ibi, verbo, in morte, et Alexander de Imola, in l. cum quædam. col. 3. ff. de jurisdictione omnium judicum, et Petrus de Ancharano in c. de uxore. col. 1. vers. quæro hic de sepulturis, et Jacobus de S. Georg. in l. cum quædam puella. circa finem. ff. de jurisdictione omnium judicum. ut sic secundum nomen suum, *filius accrescens Joseph, filius accrescens sit*, et laus ejus in cœlo et in terra, et in eo unice et verissime verificetur et impleatur illud Prover. XXVII. *Qui custos est domini sui glorificabitur.*

Ex quibus ad nostram ædificationem et consolationem facile colligere poterimus solitum aliquando Deum cum hominibus justis, quorum mors pretiosa in conspectu ejus est, ut modo diximus, in mortis articulo eos visionibus Angelorum et aliorum sanctorum, ac ipsorummet Jesu, Mariæ et Josephi consolari, ut latissime in lib. III. tractat. XI. expressimus.

Moderata tristitia pro defunctis laudatur: immodica vero vituperatur.

Ex dolore cum lacrymis a Christo Domino et B. ejus Matre super Josephum morientem, et super ejusdem jam demortui corpus, colligemus utiliter moderatam tristitiam, moderatum dolorem ac rationabiles lacrymas pro defunctorum morte non esse improbanda, sed tantum excessus inordinati nimietatem, ut docuit Apostolus, I. ad Thessal. IV. v. 12. et 13. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et cæteri qui spem non habent: si enim credimus quod Jesus mortuus est et resurrexit; ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.* Ubi D. Thomas, lect. 2. sic more suo explicat: «Prohibentur ergo ne scilicet inordinate tristentur, unde dicit: *sicut et cæteri.* Videtur autem Apostolus bene concedere tristari pro mortuis, aliquid tamen prohibere, ne scilicet inordinate tristentur; unde dicit: *sicut et cæteri.* Quod enim aliquis tristetur scilicet de mortuis, habet pietatem. Primo, propter defectum corporis deficientis; debemus enim eos diligere, et corpus propter animam. Eccles. XLI. *O mors, quam amara est memoria tui homini pacem habenti?* etc. Secundo, propter discessum et separationem quæ dolorosa est amicis. I. Reg. XV. *Siccine separet amara mors?* Tertio, quia per mortem fit commemoratio peccati, ad Rom. VI. *Stipendia peccati mors.*» Ex cujus peccati consideratione et strage asserit D. P. Chrysostomus, ser. 84. processisse Christi Domini fremitum et turbationem super Lazarum quatriduanum mortuum, de quo Joan. XI. v. 33. *Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu et turbavit se ipsum, et dixit: Ubi*

posuistis eum? Quarto, quia fit commemoratio mortis nostræ, Eccles. VII. *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit*, etc. Sic ergo tristandum, sed moderate; unde Eccles. XXII. *Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit*, etc. et ideo dicit: *Sicut et cæteri qui spem non habent*; scilicet quia isti credunt hujusmodi defectus perpetuos, sed nos non; ad Philipp. III. *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Unde signanter dicitur de dormientibus, Joann. XI. *Lazarus amicus noster dormit.* » Conducit etiam hæc prudens et moderata tristitia, et fletus, ad mitigandam tristitiam et temperandum animi dolorem, ut docuit idem D. Thomas, 1. 2. q. XXXVIII. art. II. in corpore, in hæc verba : « Lacrymæ et gemitus naturaliter mitigant tristitiam; et hoc duplici ratione. Primo quidem, quia omne nocivum interius clausum magis affligit, quia magis multiplicatur intensio animæ circa ipsum; sed quando ad exteriora diffunditur, tunc animæ intensio ad exteriora quodam modo disgregatur, et sic interior dolor minuitur; et propter hoc quando homines qui sunt in tristitiis, exterius suam tristitiam manifestant, vel fletu, aut gemitu, vel etiam verbo, mitigatur tristitia. « Quod quidem optimo simili quotidiana experientia comprobato manifestum fiet. « Nam quemadmodum, ait F. Hector Pintus super c. XXIV. Ezechi. super illa verba : *Ecce ego tollo a te*, sanies ulceris intus latitans ægrotum magnopere angit et exagitat, si autem exeat et erumpat, mitigatur dolor; sic mœror in corde inclusus vehementer affligit, sed si per lacrymas et suspiria fundatur, animam placat et lenit. Est in corde fons doloris, cujus aquæ nisi fluant per oculos, obruunt cor ipsum, et cogitationem a languoribus avertere non sinunt; ut magnus, frequensque fumus ex nigro igne exhalans, nisi habeat luculentum caminum, aut apertam januam qua egrediatur foras, totam domum denigrat : sic mœror ex igne calamitatum procedens, in cordis domo inclusus, eam afficit nigredine, et atra bile corrumpit, nisi per os et oculos erumpat, et fiat suspiriorum exhalatio, quæ ab imo pectore egrediatur. Non laudo muliebrem ejulatum, non gemitus lamentabiles, abjectos et serviles : turpe enim viro est muliebriter lamentari, dolore omnino debilitari et frangi; at deplorare mortuos, eos præsertim quos in vita charissimos habueras, idque moderate et honeste, non solum non vitupero, sed pium esse et laudabile existimo. »

In tristitia pro mortuis habenda declinandum est a Gentilibus, et Stoicis, sed media via amplectenda est.

In quo quidem declinandum nobis est a Paganorum et Gentilium extrema, ac nimia contristatione : quia hi resurrectionis spem non habent, et ab Stoicorum extrema et fictitia omnium passionum insensibilitate, sed media via per honestæ ac moderatæ tristitiæ prudentiam sectanda est, ut sic inter medium montium Gentilium et Stoicorum salutares aquæ pertranseant lacrymarum. Nam quemadmodum in mari non ea optatur tranquillitas, quæ est omnis venti expers omnino, sed illa potius in qua perflat aura, qua fluctus moventur, et navis prospero cursu impellitur; sic in animo non eam debemus cupere quietem, quæ sit languida et ab omni sensu abhorrens, ut somniabant Stoici, sed temperatam commotionem, qua animus in vasto mundi gurgite ad æternæ gloriæ portum tendat, et felicem vitæ cursum conficiat. Quare non sunt audiendi, qui omnem animi commotionem penitus evellendam dicunt; qui asserunt neminem debere mortem alicujus deplorare; communiter autem laudabile est pro his, qui excedunt e vita, lacrymas fundere, et signa mœroris ostendere. Ad quod Ecclesiast. XXII. v. 10. sic exhortamur : *Supra mortuum plora, deficit enim lux ejus.* et postmodum cap. XXXVIII. v. 16. *Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare, et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius.*

Post Christi mortem minor tristitia pro mortuis habenda est quam antea.

Quæ quidem tristitiæ et lacrymarum pro mortuis prudens moderatio, post Christi Domini mortem et cœli apertionem potiori jure observanda est, quam antea; cum omnes Dei amici vita functi, et in limbo existentes divina carerent visione. Unde non mirum quod antiqui patriarchæ scissione vestium, et diuturno lacrymarum profluvio, et maxima doloris demonstratione suos defunctos deploraverint, ut S. Abraham Saram uxorem suam, Genes. XXIII. v. 2. et S. Isaac matrem suam, Genes. XXIV. v. 67. et S. Jacob filium suum Josephum, quem mortuum esse credebat, Genes. XXXVII. v. 33. et S. David non solum dilectissimum suum Jonatham, sed etiam adversarium Saul, imo et proditorem Absalom, II Reg. I. et III. et Martha et Maria fratrem suum Lazarum, Joann. XI. v. 33. et viri piissimi planctum fecerunt magnum

super Stephanum, Act. VIII. v. 2. *Nos vero habemus fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi*, ad Hebræos X. Nobis etiam dicitur : *Appropinquavit in vos regnum Dei*, Lucæ X. ideoque a nimia tristitia et fletu est merito temperandum.

Pretiosa ergo est in Domini conspectu cujuslibet justi mors, quia, ut optime advertit D. Bernardus, epistola 30. dicens : « Pretiosa mors sanctorum, pretiosa plane, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ securitatis ingressus. » Ast pretiosissima sane nostri sanctissimi Josephi mors et felicissimus transitus, ut modo vidimus, quia hoc medio ad sublimem excellentis gloriæ locum evectus est, ut in tract. sequenti, Deo duce, dicemus.

TRACTATUS XI.

Qualiter sanctissimus Josephus cum Christo Domino pariter resurrexerit, et cum ipso corpore et anima cœlos ascenderit, et de sublimi ejusdem glorificatione.

Duplex præmium in cœlo, essentiale, quod corona aurea, et accidentale, quod aureola corona nuncupatur.

Pro majori claritate et dicendorum brevitate præmittendum est, primo, in æterna beatitudine duplex esse præmium ; aliud essentiale, quod in clara Dei visione consistit, et corona aurea nuncupatur ; aliud vero accidentale, quale est aureola corona. Sub quibus nominibus hoc præmium duplex præfiguratum fuit, Exod. XXV. v. 24. et 25. *Facies coronam altam, et super illam alteram coronam aureolam ;* Aureola enim supponit coronam, sicut comparativus supponit positivum, ut explicuit et docuit D. Thomas, Quodlibet. V. q. XII. art. 24. his verbis : « Cum aureola importet quamdam singularem excellentiam præmii, necesse est quod præsupponat auream, sicut comparativus supponit positivum ; et hoc figuratur Exod. XXV. ubi dicitur : Facies super coronam auream alteram aureolam ; et ideo qui non meretur auream, id est, præmium essentiale, non meretur aureolam. » Præmium ergo essentiale, quod aurea dicitur, ut docet idem D. Thomas, in 4. Sent. d. XVIII. q. I. ar. 2. q. ad 2. » est simpliciter majus quam præmium accidentale, quod dicitur aureola : sed aureola est major quantum ad statum habentis, quia non cuilibet datur, sed tantummodo illis qui sunt in statu perfectionis. »

Coronæ aureolæ tribus personarum statibus conceduntur, martyribus, prædicatoribus et virginibus ; et etiam religiosis.

Supponit namque corona aureola coronam auream, et aliquid accidentale superaddit, ut modo vidimus. Hoc autem coronæ aureolæ accidentale præmium tribus sanctorum statibus conceditur, scilicet, martyribus, doctoribus, ac virginibus, ut hujus rei rationem reddens docuit D. Thomas, in 4. Sent. d. XLIX. art. v. his verbis : « Aureola est quoddam privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ respondens, ut patet ex dictis, et ideo secundum privilegiatas victorias, in tribus pugnis quæ cuilibet homini imminent, tres aureolæ sumuntur : in pugna enim quæ est contra carnem, ille potissimum victoriam obtinet, qui a delectabilibus venereis quæ sunt præcipue in hoc genere, omnino abstinet ; et ideo virginitati aureola debetur. In pugna vero qua contra mundum pugnatur, illa est præcipua, cum a mundo persecutionem usque ad mortem sustinemus. Unde et martyribus, qui in ista pugna victoriam obtinent, secunda aureola debetur. In pugna vero qua contra diabolum pugnamus, illa est præcipua victoria, cum aliquis hostem non solum a se, sed a cordibus aliorum removet : quod fit per prædicationem et doctrinam ; et ideo doctoribus et prædicatoribus tertia aureola debetur. » P. Canisius, l. II. de Virgine. c. XV. §. retinendum est. et P. Salmeron, tom. X. tractat. XXX. longe post medium, « Aureola, ait, triplex est : altera stellarum : quæ datur doctoribus, qui sunt *quasi stellæ* fulgentes *in perpetuas æternitates*, Danielis XII. Altera ex auro et lapidibus pretiosis, de qua Psal. XX. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso ;* et Eccles. XLV. v. 14. *Corona aurea super mitram ejus, expressa signo sanctitatis, et gloria honoris : opus virtutis :* nam ut aurum igne, ita martyr tribulationis flamma purificatur. Tertia corona est florea, sive spinarum, quæ ad Virgines spectat ; nam virginitas asperitate pœnitentiæ servatur. Hinc sanctus Benedictus in spinis propter castitatem servandam volutabatur. » Unde Cant. II. v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc autem aureola licet proprie sit in mente Beati, redundat etiam in corpore, ut docuit etiam idem D.

Thomas, in dicta distinctione XLIX. ar. IV. q. 2. ad 3. dicens : « Aureola proprie est in mente ; est enim gaudium de operibus illis, quibus aureola debetur : sed sicut ex gaudio essentialis præmii, quod est aurea, redundat quidam decor in corpore, qui est gloria corporis ; ita ex gaudio aureolæ resultat aliquis decor in corpore, ut sic aureola principaliter sit in mente, sed per quamdam redundantiam fulgeat etiam in carne. »

Et quia ubi est eadem ratio, eadem juris determinatio esse debet, aliqui graves auctores ausi sunt affirmare religionem professis peculiarem etiam esse a Deo concedendam aureolam, ut tradit doctissimus Pater Hieronymus Plati, lib. II. de bono status religiosi, c. XVIII. prope finem, his verbis : « Est autem his omnibus illud quoque addendum, quod plerique docti non hanc solum, quam hactenus diximus, communis beatitudinis excellentiam religiosis tribuerunt ; sed etiam propriam quamdam ac peculiarem lauream, id est, ut theologi definiunt, accidentale gaudium essentiali præmio superadditum, idque ipsius corporis decore declaratum, ob aliquod factum insigne ac præcipuum. Hoc enim in quavis republica bene instituta videmus : nam cum omnes præmio et pœna contineantur, tum deinde præter generalia præmia recte factis proposita, sunt etiam quædam propria heroicis operibus ; ut olim militibus non ordinaria tantum stipendia, sed etiam qui præclarius aliquid gessissent, his tum coronæ civicæ, tum murales, tum triumphi quoque decreti erant : ita in cœlo præter essentialem mercedem communi virtuti debitam, sunt etiam sua extra ordinem præmia, singulares et præcipui honores, ut virginum, ut martyrum, ut etiam doctorum, quorum sunt omnium celebres pugnæ et victoriæ contra carnem, contra mortem, contra Satanam : sed si ideo his hæc laurea decernitur, cur non etiam religiosi suam habeant lauream, qui perpetuam ipsi quoque continentiam colunt, ut virgines ; nec cessant proximis prodesse, ut doctores ; et propter quotidianas cruces, tam prope absunt a martyrio, quam a nobis ostensum est? Et denique etiamsi nihil aliud haberent, illud habent quod mundum et mundana omnia contempserunt, et in eo contemptu semper vixerunt : quod quidem nemo negarit quin sit ex insignibus et excellentibus factis, quæ ab homine in hac vita existere possint ; ut ei quoque facto singularis merces debeatur, ut, sicut ait Scriptura, Sap. V. accipiat unusquisque de manu Dei regnum decoris et diadema speciei. » Quod ibidem revelatione cuidam Seraphici Patris Francisci religioso facta comprobat.

Qua ratione in cœlo unus sit beatior altero.

Secundo supponendum est quod licet omnibus beatis detur visionis divinæ essentiale præmium : omnes enim acceperunt singulos denarios, qui primo mane, qui circa horam tertiam, et qui circa sextam et nonam horam fuerunt conducti operarii in vineam Domini, cum quo unusquisque in suo loco collocatus quietissime contentus, et beate vivit, juxta illud Psal. CXLIX. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis* ; tamen cum hoc stat, quod « quantum ad adeptionem hujus summi boni, vel fruitionem, potest aliquis alio esse beatior ; quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est. Contingit autem aliquem perfectius frui Deo quam alium, ex eo quod est melius dispositus, vel ordinatus ad ejus fruitionem ; et secundum hoc potest aliquis alio beatior esse, » ut docuit S. Thomas, 1. 2. q. V. art. II. in corpore. Erit autem beatior qui divinam essentiam videns, eorum quæ Deus facit, vel facere potest, plura cognoscit : ille autem intellectus, cui majus gloria lumen fuerit datum, perfectius Deum videbit, et ei majus lumen dabitur, qui plus habet de charitate ; majorem vero charitatem ille habebit, qui majora et præstantiora opera charitate informata in Dei gloriam et honorem recte exercuerit, ut docet D. Thomas, I. p. q. XII. articulo VI. et VIII. et in additionibus ad 3. p. q. XCIII. articulo II. in corpore, et ad 2. et 1. 2. q. CXII. articulo IV. Ad opera ergo ex charitate facta tanquam ad primum fundamentum, discursus propositus majoris vel minoris beatitudinis, majoris vel minoris luminis et gloriæ, majoris vel minoris charitatis, reducendus est. S. Bonaventura de septem donis Spiritus sancti, cap. X. ex S. Gregorio. « Sicut in electis in hac vita est discretio operum, ita quoque in alia vita procul dubio erit dignitatum, ut quo hic alius alium superat, illic alius alium in retributione meritorum excedat. » Unde D. Petrus, II. ep. c. I. sic hortatur : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* Et D. Paulus ad Philipp. II. *Cum metu et tremore vestram salutem operamini ;* et Angelus divo Joanni Apocalyp. cap. ultimo : *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique juxta opera sua ;* et capite XIV. de

hoc agens dixit : *Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur ; amodo jam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis ;* et concludit : *Opera enim illorum sequuntur illos* ; id est, bona opera, quæ antea in vita præcesserunt merito, sequuntur et comitantur præmio, id est, merces operum suorum, juxta illud Hieremiæ XXXI. *quiescat vox tua a ploratu, et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus ;* ut ex D. Ambrosio et aliis tradit P. Viegas super cap. XIV. Apoc. comm. 2. sect. 5. De quo latissime et doctissime agit Card. Bellarminus, tomo III. Controversiarum, libro IV. de Justificatione per totum ; et propter horum graduum diversitatem Christus Dominus Joannis XIV. dixit : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt* ; et D. Paulus, I. Corinth. XV. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ et alia claritas stellarum : stella enim a stella differt in claritate ; sic et resurrectio mortuorum.* Unde agrestis illa hæresis Joviniani gradus beatitudinis in cœlo negans, merito damnata fuit in conciliis Florentino et Telensi, ut tradit optime doctissimus Seraphici Franciscani ordinis P. Castro, lib. III. adversus hæreses, verbo, Beatitudo, hæres. 7. Propter communem autem et perfectam charitatem, quamvis pro differentia meritorum quædam data sint excellenter, nihil tamen possidetur singulariter : nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum, quia etsi alter minus atque alius amplius exultat, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione lætificat, juxta D. Gregorii sententiam, libro V. Moralium, cap. XLII. et lib. IV. Dialogorum, cap. XXXV. et homil. 16. super Ezechielem. « Quamvis, inquit ille, in aula cœlesti illa pro differentia meritorum quædam data sunt excellenter, nihil tamen possidetur singulariter ; omnia enim sunt omnibus omnia, propter eum qui est omnia omnibus ; ibi enim virgo gaudebit de sanctæ viduitatis merito ; ibi vidua exultabit de castæ virginis privilegio ; ibi confessor de martyris jucundabitur triumpho ; ibi martyr tripudiabit de confessorum bravio ; ibi Apostoli gaudebunt de merito omnium inferiorum ; ibi omnes inferiores lætabuntur de gloria et corona supernorum ; ex illius enim sanctæ et perfectæ charitatis vinculo fiet ut unusquisque habiturus sit in alio, quod non habet in merito proprio. » Quod conforme est D. Paulo, I. Corinth. XII. dicenti : *Si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Idem tradit D. Bonaventura in Soliloquiis, et de septem donis Spiritus sancti, c. 10.

Sancti, qui cum Christo surrexere, cum eo corpore et anima in cœlum ascenderunt.

Tertio est supponendum sanctos illos, qui cum Christo surrexerunt, de quibus apud Matthæum XXVII. v. 52. et 53. *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt ; et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis ;* et ad Hebræos XI. v. 35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos,* non solum vere et proprie resurrexisse, ut omnes Patres et doctores fatentur, probantque verba Matthæi et Pauli absolute et absque ulla distinctione prolata ; et sic proprie, absque distinctione et in sua proprietate intelligenda sunt ; sed etiam ad vitam immortalem non iterum morituros surrexisse. Ita tenent et defendunt S. Thomas sup. cap. XXVII. Matth. qui docet in hæc verba, *Multa corpora sanctorum surrexerunt*, etc. « De istis solet esse quæstio, utrum resurrexerint iterum morituri, vel non morituri. Constat aliquos resurrexisse, ut post morerentur, ut Lazarus ; sed de istis potest dici quod surrexerunt non iterum morituri, quia surrexerunt ad manifestationem resurrectionis Christi. Certum autem est quod *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur ;* item, si surrexissent iterum morituri, non esset eis beneficium exhibitum, sed potius detrimentum ; ideo surrexerunt tanquam intraturi cum Christo in cœlum. » Quam sententiam idem S. Thomas. 4. distinctione XLIII. quæst. I. art. 3. q. I. ad 3. sic roborat et confirmat : « Quia ad hoc, ut verum testimonium de vera resurrectione Christi proferrent, congruum fuit quod vere resurgerent semper in corpore victuri, in cœlum cum Christo ascendentes corporaliter. Nec eorum resurrectio propter ipsos accelerata est, sed propter resurrectionem Christi testificandam, quod quidem testimonium erat ad fundandum fidem novi Testamenti : unde decentius factum est per Patres veteris Testamenti, quam per eos qui jam novo Testamento fundato decesserunt. » Et Origenes, libro I. super ad Rom. I. in illa verba, *ex resurrectione Jesu Christi Domini nostri*, sic ait : « Christus habuit aliquos participes in primatu resurrectionis, sicut illi fuerunt qui cum illo suscitati esse dicuntur ; cum monumenta aperta sunt, et multa sanctorum corpora, qui dormierant, surrexerunt ; et de his talibus fortasse dicit Apostolus, esse Eccle-

siam illam primitivorum, quam adscriptam memorat in cœlis. » Et Remigius in eodem c. XXVII. Matth. post quæstionem hanc pro utraque parte exagitatam ita concludit : « Incunctanter ergo credere debemus, quia qui resurgente a mortuis Domino surrexerunt, ascendente eo ad cœlos, et ipsi pariter ascenderunt ; » idemque defendunt nonnulli theologi in 4. d. XLIII. quæst. I. articulo 3. et in 3. d. XXII. ubi Carthusianus, q. 6. et Cajetanus super D. Thomam, 3. p. q. LIII. articulo III. et super Matthæum, cap. XXVII. et Jansenius, cap. CXLIII. Concordiæ, et alii quos refert et sequitur P. Suarez, tomo II. q. LIII. articulo 3. in commento, ubi in fine ita concludit : « Quo circa omnibus pensatis hæc sententia videtur verisimilior ; nam et majori auctoritate nititur, et est magis consentanea cum rebus ipsis, tum divinæ misericordiæ et pietati, et gloriam Christi magis illustrat. »

Quæ quidem sententia, meo videri, sufficienter fundata manet rationibus a D. Thoma modo adductis, quæ sic adhuc confirmantur et declarantur, quia decuit nimirum ut Christus corpore et animo constans haberet aliquos socios gloriæ corpore etiam, animoque constantes, præsertim cum deliciæ ejus sint esse cum filiis hominum, Proverb. VIII. tum etiam quia cum jam sint in inferno aliqui homines corpore et animo ante generalem resurrectionem damnatorum, ut Dathan et Abiron, et similes, Numer. XXVI. ad ostensionem divinæ misericordiæ, et copiosæ redemptionis Christi spectabat, ut aliqui etiam essent beati corpore et animo. Aliam etiam ad hoc congruentiam affert P. Suarez loco citato, « quia animæ gloriosæ connaturale est uniri corpori immortali ac glorioso. Unde quod Christus habuerit gloriosam animam in corpore mortali, miraculose et ex speciali dispensatione factum est ; sed animæ horum sanctorum, qui cum Christo surrexerunt, erant jam beatæ : ergo non fuerunt unitæ, nisi corporibus gloriosis et immortalibus. Alioqui ex natura rei possent in corporibus pati, et inclementiam aëris, frigoris, aut caloris sentire, quod non decebat animabus sanctis, quæ jam omnino erant in termino, et non in via, sicut erat anima Christi, quando fuit in corpore mortali ; quod si necesse est concedere speciale miraculum et exceptionem ab aliqua generali regula, verisimilius creditur facta, tribuendo gloriam aliquibus corporibus ante generalem resurrectionem, quam uniendo animabus beatis corpora minus apta et incommoda statui beatorum. » Tum præterea quia, ut hi sancti essent testes omni exceptione majores resurrectionis gloriosæ et immortalis Christi Domini, decuit eos ad similem immortalem vitam resurgere, ut medium hoc esset intento fini proportionatum. P. Viegas sup. cap. I. Apoc. commento I. sect. II. numero 4. « Non fuissent autem resurrectionis dominicæ testes idonei, si iterum obierunt : facile enim sibi homines persuaderent Christum etiam resurrexisse morituram. » Et respectu ipsorummet etiam, quia major fuisset eis pœna post resurrectionem iterum mori, quam si nunquam ad vitam rediissent. Et novissime et gravissime P. Maldonado super cap. XXVII. Matth. v. 52. sic ait : « Voluit Christus resurrectionis suæ habere socios, qui ejusdem essent testes ; si solus resurrexisset, phantasma esse credi poterat ; cum alios secum, qui simul resurrexerant, adduxerit, facile probavit se resurgere potuisse, qui alios suscitaverat. Fuit etiam hoc singularis charitatis argumentum, solus mori voluit, qui non solus surrexit : quæri etiam solet utrum illi, qui tunc cum Christo resurrexerunt, mortui iterum sint. Theophylactus mortuos postea fuisse credit ; magis aliorum recentiorum interpretum opinionem probo, qui non iterum mortuos, sed cum Christo in cœlum evectos fuisse dicunt. Quid enim inter vivos egissent, qui divinæ jam gloriæ gustum acceperant ? Pejoris profecto conditionis fuissent, quam si nunquam fuissent exsuscitati ; si a sinu Abrahæ, ubi in loco quietis erant, ad turbulentam vitam fuissent revocati, ut in ea diu manerent iterum morituri ; quid quod in sinu illo Abrahæ, ubi eos fuisse credendum est, cum eos Evangelista sanctos appellet, certi salutis suæ erant ; in hac vita certi esse non poterant, cum iterum peccare possent ? Quod si iterum morituri surrexissent, non multis, sed omnibus apparuissent, ut Lazarus ; nunc autem cum dicat apparuisse multis, indicat non omnibus, sed quibus oportebat Christi resurrectionem confirmare, sicut et ipse Christus solis Apostolis et aliis fidelibus visus est. » Et etiam respectu beneficii a Christo Domino Rege regum, et Domino dominantium collati, quod decuit esse perpetuum, permanens et favorabiliter interpretandum ; ut Jabolenus jurisconsultus, de principum beneficiis agens in l. 3. ff. de constitutioni-

bus principum ita decrevit : « Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus. » Unde dixit Baldus, cons. 327. col. 2. lib. I. « Quod principibus maxime convenit illud verbum Psal. LXI. *Semel locutus est Deus ;* et illud apud Joann. XIX. v. 22. *Quod scripsi, scripsi.* Nam princeps debet habere unum calamum, et unam linguam, non plures, quia scriptum est, Ps. LXXXVIII. v. 35. *Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita*; et ideo, inquit, debet princeps esse immobilis, et sicut lapis angularis, et polus in cœlo. Ex hocque dicit fieri, ut privilegium principis debeat esse perpetuum. » De quo videndus est Tiraquellus, de Nobilitate, c. XX. n. 24.

oseph cum Christo resurgente urrexit, et m eo corore et anima cœlos ascendit.

Inter hos autem, qui cum Christo Domino resurgente surrexerunt, primum, præcipuum et primarium locum obtinuisse sanctissimum nostrum Josephum censeri, credique pie admodum debet. Ita tenet et absolute tutatur, et probat Isidorus de Isolanis, IV. p. cap. III. fol. 92. pag. 1. et 2. in hæc verba : « Credimus, sancto docente Evangelio, post passionem Salvatoris, multa sanctorum corpora surrexisse, ut dicitur Mat. XXVII. inter quæ corpus Joseph fuisse sequentibus persuademur rationibus. Nam privilegium illud datum fuit sanctis illis propter sanctitatis excellentiam, nullis vero inferiorem fuisse Joseph sanctitudine credimus : hoc igitur privilegio donatus est. Amplius filii est honorare parentem, ac curam gerere corporis deficientis patris; ergo Christus filius Joseph putatus, magis vero eum diligens, quam si fuisset ejus naturalis filius, multa sanctorum corpora suscitans de pulvere, corpusculum patris sui putativi non est passus remanere in pulvere. Favet huic rationi argumentum D. Bernardi, quo arguit, dicens: Non decuit ut carnem matris suæ sine honore in terra relinqueret ei, qui honorem parentum sub præcepti districtione posuit. Item : Qui in vita mortali præ cæteris honoravit Josephum prosequens nomine patris, pium est credere eum in morte præ cæteris honorasse; amplius filius resurgens omni affecit solatio matrem, quæ ei compassa fuerat, ergo etiam patrem, qui illum educaverat. Et forte Joseph fuit unus de illis qui apparuerunt multis, ac singulariter B. Virgini; sed noluit Spiritus sanctus eadem scribere Evangelistas, ea ratione qua neque matrem suæ resurrectionis fore testem : tenendum igitur est id quod consentit veritati, fiatque, ut ait D. Augustinus, ipsa veritas auctoritas; sine qua neque est, neque valet ipsa auctoritas. Hæc neque doctrina nova est, quam ante nos scripsit ac prædicavit D. Bernardinus ordinis Minorum, » qui tomo III. sermone de S. Josepho, articulo III. cap. 2. hoc expresse defendit dicens : « Pie quidem credendum est quod piissimus filius Dei Jesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut suam sanctissimam matrem; ut sicut illam assumpsit in cœlum in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die resurrectionis suæ sanctissimum Josephum in gloria resurrectionis secum : scriptum est enim Matth. XXVII. *Multa corporum sanctorum surrexerunt*, etc. inter quos suscitatos pie credendum est quod fuerit sanctissimus iste vir Joseph. » Et doctissimus doctor et decanus Lovaniensis Gerson, sermone de Nativitate Mariæ, considerat. 3. in fine : « Legimus, inquit, Christo moriente, multa corpora sanctorum surrexisse, et venisse in sanctam civitatem Hierusalem, et apparuisse multis. Hinc forte dicit Apostolus ad Hebræos XI. v. 35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Recogitet, oro, pius animus, si justus Joseph unus ex illis putandus est, qui Mariæ apparuerit charissimæ sponsæ, qui eam consolatus sit, qui tandem Christo in cœlum ascendente, simul et ascendit glorificatus, non dubium in anima, sed an in corpore, nescio, Deus scit, et collocatus est a dextris ipsius Jesu, hoc est, in potioribus donis suis. » Idemque P. Barradas, lib. VI. cap. VIII. §. anteaquam, tomo I. Concor. sentit. Absolute vero cum Isolano asseverant Viguerius Granatensis, de mysterio Incarnationis Filii Dei; §. de Annuntiatione dominica. cap. 20. et auctor Margaritæ confessorum, quæstione ultima ex moralibus, numero 9. et Magister Fonseca, in Vita Christi. cap. IX. et P. Suarez, tomo II. in 3. p. qu. XXIX. articulo II. disputatione 8. sectione 2. in fine. §. illud vero. et S. Bernardinus Senensis, ubi proxime, et Bernardus Busti ordinis Seraphici Francisci, in Mariali, IV. p. sermone XII. p. 2. prope finem, et ejusdem sacræ religionis Pater Andreas de Soto, in libro S. Josephi, c. XXXIII. asserens sic publice prædicasse Paduæ D. Bernardinum Senensem, super quem hoc ita prædicantem descendebat, et apparebat crux aurea fulgentissima; et doctissimus Magister P. Hieronymus Gratianus, libro V. de Joseph, prope finem, titulo V. numero 8,

et Magister Josephus a Baldivieso, libro de Joseph, cantu. 24. fol. 350. pagina 1. in principio. Quæ piissima, et apud me verissima opinio confirmari potest similitudine sumpta a resurrectione et apparitione Christi Domini : licet enim ex Evangelio non constet primo Virgini matri apparuisse, nihilominus tamen absque ulla dubitatione ex Ecclesiæ sensu a fidelibus receptum est Christum post resurrectionem primum omnium matri suæ apparuisse; quæ sententia ex ipsis terminis adeo est per se credibilis, ut fere sine controversia omnium fidelium et doctorum animis insederit, et sic D. Ambrosius, lib. III. de Virginibus, post principium, his verbis affirmat : « Vidit ergo Maria resurrectionem Domini, et prima vidit et credidit; vidit et Maria Magdalena, quamvis adhuc ista nũtaret. » et late P. Suarez, tom. II. in 3. p. q. LV. art. IV. disput. 49. sect. 1. per totam. Sic etiam licet inter corpora sanctorum, quæ resurgente Christo surrexerunt, nulla peculiaris de sanctissimi Josephi corpore mentio fiat, pie tamen et secundum rectam rationem credendum est primum inter omnes sanctos illos surrexisse, ut talis pater a tali filio tali afficeretur honore. Deus namque aliqua humanæ prudentiæ et pietati relinquit, ut homines pietati vacantes præmium mereantur, ut in tractatu VII. hujus quinti libri probavimus. Est enim efficax argumentum ab his, quæ communiter solent accidere, ita quod id factum esse præsumatur, prout communiter et frequenter solet accidere, et ita veritas esse præsumatur, ut habetur in c. 1. de clericis non residentibus. et in l. eum, qui probabilem. C. de episcopis et clericis. Quam regulam juribus et doctoribus adductis probat Everardus in sua centuria, in loco a communiter accidentibus, nu. 1. 2. et 10. adeo quod in qualibet materia illud censetur expresse dispositum, de quo, si interrogatus fuisset disponens, id prudenter in communi usu intelligendi disposuisset, ut in tractatu VII. hujus libri quinti resolvimus. Sed pater et filius una et eadem persona reputantur, Christus præcipue et Joseph sanguine et amore conjunctissimi, ut in lib. II. tra. IX. egimus. Quis, obsecro, filius, quicumque ille esset, videns patrem suum in captivitate detentum, et potens eum eripere, non liberaret, maxime quando alienos eadem ratione detentos liberaret? at Christus Dominus animas sanctorum in sinu Abrahæ existentes liberavit, liberavit quoque sanctissimi Josephi animam, ut vidimus, et dicitur Zachariæ IX. v. 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, ubi non erat aqua*; ut explicat S. Thomas, 3. parte, quæstione L. articulo v. in corpore ad fin. Liberavit etiam eorumdem sanctorum corpora, quæ animabus suis reunita apparuerunt multis, vera et perpetua resurrectione, ut modo probavimus; qua, obsecro, ratione, quo rogo, apparenti vel probabili fundamento, corpus Josephi, quod semper in Christi Domini obsequium fuerat dedicatum ac consecratum ab hoc communi et universali beneficio erat excludendum, et in monumenti obscuritate, carcere et solitudine clausum relinquendum? Jure quidem et ratione statutum est quod filius, qui negligit patrem captivum redimere, possit ut ingratus exhæredari, imo et non exhæredatus privari successione, ut habetur in l. si captivi. C. de episcopis et clericis. et in auth. ut cum de appellatione cognoscitur. §. causas. quod a Christo Domino piissimo, et sui putativi patris et veri nutritii Josephi, quem ut pupillam oculi sui diligebat, amantissimo, longe esse debet.

Jesus, Maria et Joseph hoc ordine adepti sunt gratiam et gloriam.

Quarto est supponendum ex doctissimorum theologorum placito, quod eo ordine, quo ab Evangelista Matthæo, capite I. positi et conscripti sunt Jesus, Maria, Joseph; *cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*; gratiam adepti, et gloriam consecuti sunt, ut in lib. III. trat. II. probavimus : est enim Christus Dominus totius gratiæ fons et principium, *de cujus plenitudine nos omnes accepimus*, Joan. I. v. 16. de quo in lib. IV. tract. XIII. diximus. At quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii, ut post S. Dionysium, de cœlesti hierarchia, c. IV. docuit S. Thomas, 3. p. quæst. XXVII. articulo v. Sed Virgo Deipara fuit Christo omnium creaturarum conjunctissima, et post eam sanctissimus sponsus ejus Joseph, ut in lib. II. tractatu IX. resolvimus : ergo illius principii majorem participationem et communicationem receperunt. Tum etiam quia Christus Dominus *erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* Joan. I. v. 9. Sed lux secundum majorem accessum et propinquitatem magis illuminat : ergo cum Maria et Joseph fuerint omnium propinquissimi, majorem omnium donorum et gratiarum illuminationem participarunt, ut in lib. III. tractatu II. diximus. Ergo illo Evangelii ordine Jesus, Ma-

ria, Joseph gratiam et gloriam obtinuerunt et possident, de quo infra in tertia conclusione agendum necessario erit.

Qualiter Christo, in quantum Deus et in quantum homo competat ad dexteram Patris sedere; et quid per dexteram Patris intelligatur.

His suppositis sit prima conclusio. Christus Dominus corpore et anima cœlos ascendit, et sedet a dextris Dei, quod de fide est; Marci ultimo, v. 19. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei;* et ad Heb. I. v. 3. *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis*, et I. Petri III. *Per resurrectionem Jesu Christi, qui est in dextera Dei*, et convenienter quidem, ut docet D. Thomas, 3. p. q. LVIII. articulo I. in corpore, in hæc verba : « Christo convenit sedere ad dexteram Patris uno quidem modo, in quantum æternaliter manet incorruptibilis in beatitudine Patris, quæ ejus dextera dicitur, secundum illud Psal. XV. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Beatus enim est, et ipsius beatitudinis nomen est dextera Patris. Alio modo dicitur Christus sedere ad dexteram Dei Patris, in quantum Patri conregnat, et ab eo habet judiciariam potestatem : unde Augustinus, libro II. de Symbolo, capite VII. ad principium, tom. 9. dixit : Ipsam dexteram intelligite potestatem, quam accepit ille homo susceptus a Deo, ut veniat judicaturus, qui prius venerat judicandus. » Unde sedere ad dexteram Patris convenit Christo, secundum quod Deus est, ut docet idem D. Thomas, in dicta quæstione LVIII. articulo II. in corpore. « Sedere, inquit, ad dexteram Patris, nihil aliud est quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis, et beatitudinem et judiciariam potestatem, et hoc immutabiliter et regaliter : hoc autem convenit filio Dei, secundum quod Deus; unde manifestum est quod Christus, secundum quod Deus, sedet ad dexteram Patris, ita tamen quod hæc propositio, *ad*, quæ transitiva est, solam distinctionem personalem importet, et originis ordinem, non autem gradum naturæ vel dignitatis, qui nullus est in divinis personis. » Et etiam Christo Domino, secundum quod homo est, ad dexteram Patris sedere convenit, ut idem D. Thomas, articulo III. ejusdem quæstionis, sic docuit : « Sicut dictum est, nomine dexteræ Patris intelligitur vel ipsa gloria Deitatis ipsius, vel beatitudo æterna ejus, vel potestas judiciaria et regalis. Hæc autem præpositio, *ad*, quemdam accessum ad dexteram designat, in quo designatur convenientia cum quadam distinctione; quod quidem potest esse tripliciter. Uno modo, ut sit convenientia in natura, et distinctio in persona; et sic Christus, secundum quod Filius Dei, sedet ad dexteram Patris, quia habet eamdem naturam cum Patre; unde prædicta conveniunt essentialiter Filio sicut et Patri; et hoc est esse in æqualitate Patris; alio modo, secundum gratiam unionis, quæ importat e converso distinctionem naturæ et unitatem personæ; et secundum hoc Christus, secundum quod homo, est Filius Dei, et per consequens sedens ad dexteram Patris; ita tamen quod ly secundum quod, non designet conditionem naturæ, sed unitatem suppositi. Tertio modo potest prædictus accessus intelligi secundum gratiam habitualem, quæ abundantior est in Christo præ omnibus aliis creaturis, in tantum quod ipsa natura humana in Christo est beatior cæteris creaturis, et super omnes alias creaturas habens regiam et judiciariam potestatem; et sedet ad dexteram Patris, id est, in bonis paternis potioribus præ cæteris creaturis; id est, in majori beatitudine, et habens judiciariam potestatem. » Quod quidem ita convenit proprie Christo Domino ut nulli alteri sic convenire possit. Cui enim, dixit Paulus ad Hebræ. I. v. 5. *dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu?* et paulo inferius v. 13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando : sede a dextris meis?* et probat tandem D. Thomas, art. IV. in hunc modum : « Christus dicitur sedere ad dexteram Patris, in quantum secundum divinam naturam est in æqualitate Patris; secundum autem humanam naturam in excellenti possessione divinorum bonorum præ cæteris aliis creaturis. Utrumque autem soli Christo convenit. Unde nulli alii, neque Angelo, neque homini convenit sedere ad dexteram Patris, nisi soli Christo. »

Virgo Deipara corpore et anima sedet in cœlo in throno a dextris Filii.

Secunda conclusio. B. Virgo corpore et anima in cœlum assumpta est, et a dextris Filii sui in peculiari throno super choros Angelorum, super omnes creaturas, et supra omne quod Deus non est, fuit collocata. Hic etenim communis est catholicæ Ecclesiæ, sanctorum Patrum et doctorum fidelium consensus. Quod quidem vaticinio viderat, atque prædixerat regius Psaltes, Psal. XLIV. v. 10. *Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quem locum de Virgine Deipara, in corpore et anima in cœlum assumpta, et Filio suo proxime collocata explicant D. Athanasius, serm. de S. Deipara, Glycas, et alii, quos refert et sequitur P. Canisius, lib. V. de Virg. c. v. ante

medium, §. aliter. « Assumpta ergo fuit Virgo corpore induta, ut Filio suo proxime assistat, et cum eodem immortali rege una regnet; et merito vestitus deauratus Mariæ tribuitur; quandoquidem sanctissima ejus caro incorruptibilitatem et immortalitatem velut vestem auream, planeque fulgentem mature induit; eamque variegatam, nimirum ob varia ossa sacra in unum corpus coëuntia et carnem ejus suffulcientia. » Ut sic adimpleatur quod idem regius Psaltes, Ps. CLXXXI. cecinerat : *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ.* Ubi secundum Nicephorum et Canisium loco citato, §. multa. « Vaticinatur propheta primum Christi Domini, ac deinde matris ejus tabernaculum singulari quodam modo resurrecturum esse. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu,* inquam, ipse, *et arca sanctificationis tuæ.* Nam, quia norat Davides eam, quæ Christum utero suo gestasset, ac illam ipsam ob causam arca sanctitatis esset, atque nuncuparetur, eodem pacto resurrecturam e sepulchro, quo et natus ex ipsa Christus Dei Filius, et Deus surrexerit : idcirco non abs re similem utriusque resurrectionem ex mortuis multo ante quasi pictura quadam expressit; etenim, ni res ita se haberet, non sane posteaquam dixerat : *Surge, Domine,* subjecisset, *et arca sanctificationis tuæ.* »

Maria in cœlo exaltata est super omnes sanctos, et super Angelorum choros, quia omnes merito superavit.

Virgo igitur sanctissima in corpore et anima exaltata fuit ad dexteram Filii sui, super choros novem Angelorum, et super sex ordines beatorum, quia omnes meritis superavit, ut optime docuit S. Thomas, serm. de Assumptione Virginis, explicans ejusdem festivitatis epistolam ex Ecclesiastico XXIV. *Sicut cedrus exaltata sum in Libano*, etc. « Per sex arbores, inquit, quibus comparatur exaltatio beatæ Virginis in epistola ista, intelligi possunt sex ordines beatorum. Cedrus significat Angelos, propter naturæ sublimitatem, Ezechiel. XXXI. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei*; id est, Angeli non fuerunt sublimioris naturæ Lucifero. Cypressus significat patriarchas et prophetas, propter odoris suavitatem : unde de unò dictum est Gen. XXVII. *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Palma significat Apostolos, propter gloriosum de universo mundo triumphum; palma etenim significat victoriam, Apoc. VI. *Et palmæ in manibus eorum.* Rosa significat martyres per effusionem sanguinis, quia habet colorem rubeum, Eccles. XXXIX. v. 17. *Et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.* Oliva significat confessores, propter oleum, Psal. LI. *Ego autem sicut oliva fructifera.* Platanus significat Virgines, propter frigiditatem libinis incendium extinguentem; crescit enim juxta aquas, et in aqua frigiditas denotatur. *Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi suavitatis*, Eccles. XXIV. Quanto subtilius, tanto melius est et magis odoriferum : et per hoc intelligitur humilitas. Balsamum autem quanto gravius et ponderosius, tanto melius; unde probatur in aqua, et si cito descendat ad fundum, habetur probatum. Per hanc proprietatem potest intelligi gravitas morum; hæc autem duo dant odorem suavitatis. Est ergo sensus quod Virgo est exaltata sicut Angeli, patriarchæ et prophetæ, Apostoli, martyres, confessores et virgines. » Et advertit immediate S. Thomas optime quod non tantum fuit Virgo exaltata sicut omnes isti, sed et supra eos omnes, rationem angelico doctore dignam assignans. « Et est liptote, quæ pauca dicit, significatque magna. Fuit enim exaltata super choros Angelorum, et super omnes sanctos; habuit enim meritum Angelorum angelice vivendo. Hieronymus : in carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis. Idem : virginitas soror est Angelorum. Habuit enim meritum prophetæ prophetando, Luc. I. *Beatam me dicent omnes generationes* : vidit enim spiritu prophetico, et prophetavit quod debebat beatificari ab omnibus Gentibus, et quod omnes Gentes debebant recipere Filium Dei, et suum. Habuit meritum Apostolorum et Evangelistarum docendo : multa enim scripta sunt et prædicata, quæ non potuerunt sancti, nisi per revelationem ejus scire, sicut de ingressu Angeli in conceptione, et aliis pluribus. Habuit meritum martyris, mortem crucis cum Filio patiendo, Lucæ II. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Habuit meritum confessorum, devote Domino confitendo, Lucæ II. *Magnificat anima mea Dominum.* Habuit meritum virginum, inchoando virginitatem et conservando, Lucæ I. *Ingressus est Angelus Gabriel ad Mariam virginem.* » Et concludit tandem S. doctor : « Et sicut habuit meritum omnium, et amplius, ita congruum fuit ut super omnes ponatur. »

Nec solum B. Virgo habuit meritum omnium Angelorum et sanctorum, et aliquid amplius, ut modo ex S. Thoma vidimus, sed etiam ipsa sola majorem gratiam et charita-

tem habuit, quam omnes Angeli et omnes sancti simul, et collective sumpti; adeo quod unico illo actu, quo Angelo in incarnatione consensum præstitit, magis meruit, quam omnes sancti in omnibus actionibus suis, et sic Maria mare omnium gratiarum merito nuncupatur et est, ut in lib. II. tract. IX. fusius probavimus. Unde sola hæc Virgo sanctissima magis a Deo diligitur, quam tota Ecclesia simul unita, ut in lib. I. tract. X. diximus. Si ergo major gloria essentialis pendet a majori lumine gloriæ, et majus lumen gloriæ a majori charitate, et operibus a charitate profectis, ut in 2. suppositione probavimus, clare ac manifeste constat quod cum B. Virgo majorem charitatem, et præstantiora vitæ activæ et contemplativæ opera habuerit, ut modo vidimus, majus lumen gloriæ, majoremque essentialem beatitudinem, quam omnes Angeli et sancti simul habet, et habere debuit.

Consultatio Trinitatis de glorificando Josepho sub figura Tobiæ.

Vidimus hactenus de suprema Christi Domini gloria; diximus etiam de superexcellenti Virginis matris ejus beatitudine essentiali; restat modo agere de sanctissimi Josephi, Christi Domini putativi patris, et veri Virginis sponsi glorificatione. Pro cujus ingressu et exordio, pie cum P. Osorio, conc. 1. de S. Josepho, §. tertium, meditari libuit a beatissima Trinitate consultationem factam, Patremque æternum coæterno Filio suo dixisse, quod Tobias filio suo agens de remuneratione debita Angelo Raphaëli, cap. XII. in principio. *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respondens Tobias dixit patri suo : Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus? Me duxit et reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, et dæmonium ab ea ipse compescuit; gaudium parentibus ejus fecit, me ipsum a devoratione piscis eripuit; te quoque videre fecit lumen cœli, et bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi adhæc poterimus dignum dare?* Quid, rogo, Christus Dominus Patri suo æterno dicet de eo, qui per triginta annos eum fidelissime comitatus est, etiam priusquam nasceretur? A Nazareth in Bethlehem, inde in Hierusalem, inde in Ægyptum, inde in Judæam, etc.; a devoratione Herodis cum eripuit, eum semper aluit; novit quidem Deus maxima dare, licet nihil receperit : cum ergo recepit plura, quid non dabit? Recte Paulus ad Rom. XI. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* Cum rex potens aliqua recepit licet parva, dare maxima consuevit, quid Deus faciet? Maximo honore Pharao patriarcham Josephum propter servatum panem in Ægypto affecit. *Tulit Pharao annulum de manu sua, et dedit eum in manu Joseph, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit, vocavitque eum salvatorem mundi, et præcepit omnes genuflectere ante ipsum*, Gen. XLI. Verius multo profecto noster Joseph Salvator mundi dicetur, quam alter : ille enim panem servavit in Ægypto; sed noster in eodem Ægypto panem de cœlo verum mundo universo custodivit. *Fidelis* plane *servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, Matth. XXIV. Sed quæ familia ejus? utique Maria et Jesus. Annulus, qui nostro Josepho datur, Christus Dominus est, qui annulus est, in quo principium fini, et primum ultimo conjunctum est. Deus scilicet homini annulus hic aureus est, aurum vero humanitas est, quæ ex purissimis visceribus terræ nostræ, Mariæ scilicet, educta fuit ope Spiritus sancti : lapillus hujus annuli divinitas est; hoc annulo, ut sigillo, munita fuere chirographa illa, Esther VI. quibus liberatio Israëlitarum continetur. Hic annulus datur prodigo in domum reverso; hunc annulum dat pater in manus Joseph. Magnum profecto quod Christus dicat, Joannis XIX. *Ecce mater tua*; sed maximum quod pater dicat Josepho : En filium meum; sit filius tuus; Spiritus sanctus dicat : En sponsam meam; sit sponsa tua; Filius dicat : En me ipsum; esto pater meus. O Deus sancte! quoties hunc annulum in manibus portavit Joseph? quod si semel in ulnas accepisse, tanta est Simeonis laus, qualis, obsecro, erit Josephi toties in manibus portasse suis? *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Prov. VI. Torquem auream dedit in collum ejus, quæ non est aliud quam Christi brachia in collo Josephi : stola vero byssina justitia est, de qua in Evangelio commendatur, Matth. I. quod vir justus esset, id est, omni virtute ornatus. Hæc P. Osorius.

Divinæ consultationis resolutio de Josepho eximie glorificando.

Uterque Tobias pater et filius Raphaëlem existimatum ex magno genere Ananiæ magni filium vocantes obtulerunt ei partem dimidiam omnium, quæ attulerant. Sic etiam, pie contemplari liceat, æternus Pater et Filius coæternus accersitum Josephum sunt allocuti : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui*, Matt. XXV.

v. 21. et 23. « In quibus sacratissimis verbis, secundum D. Bernardinum Senensem, t. III. ser. de S. Joseph, a pag. 456. de isto sanctissimo viro Josepho describitur triplex status. Primus est natura, ibi, *serve bone*; secundus gratiæ, ibi, *fidelis;* tertius gloriæ, ibi, *intra in gaudium Domini tui.* In primo exprimitur nobilitas generationis, in secundo gratiositas conversationis, in tertio sublimitas glorificationis. De primo statu naturæ et generationis fuit Joseph progenitus de stirpe patriarchali, regali atque ducali, secundum lineam rectam. Nam Evangelista Matth. cap. I. lineam rectam omnium prædictorum patrum deduxit ab Abraham usque ad Virginis sponsum, ex quo patet quod dignitas patriarchalis, regalis atque ducalis in isto fuit terminata. » De quo in lib. I. tract. II. et IV. et in lib. II. tract. IX. egimus. De secundo statu gratiæ idem D. Bernardinus Senensis, loco citato sic ait : « Credo istum virum sanctum Josephum fuisse mundissimum in virginitate, profundissimum in humilitate, ardentissimum in Dei amore et charitate, altissimum in contemplatione, sollicitissimum pro omni salute, ad similitudinem illius Virginis sponsæ suæ. »

Joseph Christo parvulo, et in minoribus constituto servivit, et ideo gratior.

Cognito Josepho servo bono et fideli in naturæ nobilitate et divinæ gratiæ sublimitate, ut modo vidimus, acturus Christus Dominus de Josephi glorificatione, proponit et dicit ei : *Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*; *intra in gaudium Domini tui.* Et imprimis maxime ponderanda sunt verba illa : *In pauca fuisti fidelis*; quasi diceret : Glorificandus es, o Joseph, quia fidelis custos fuisti Domini tui, quando ego in paucis et minoribus vitam communem agebam, tunc *in pauca fuisti fidelis.* Quando eram parvulus et in utero Virginis matris meæ adhuc existens, tunc *in pauca fuisti fidelis* ; quando ego parvulus, imbecillis et infans, tunc *in pauca fuisti fidelis* ; quando ego pupillus sub te tutore agens, tunc *in pauca fuisti fidelis*; quando ego pauper et peregrinus eram, et ab insidiatore Herode persecutus, tunc *in pauca fuisti fidelis*; quando puer eram, neque aliqua futuri regni signa apparebant, tunc magna pati, ingentia subire pericula, tanto cum amore et constantia non recusasti, imo libentissime subire voluisti, et sic *in pauca fuisti fidelis.* Unde sicut alii reges non tantam gratiam habent his, qui sibi jam regnantibus et glorificatis serviunt, atque illis qui eis in minoribus constitutis, cum nulla appareret spes futuræ gloriæ regni, serviere, ac fideliter et constanter adhæsere, justum et æquum est ut hoc excellenter et eminenter tibi competat et contingat, sanctissime Joseph, adimpleaturque felicissime in te, quod Apostolis meis dixi Lucæ XXII. v. 28. *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo : et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israël.* De quo in lib. III. tract X. diximus.

Quæcumque opera, et quævis passiones non sunt sufficientes ad futuram gloriam ; et exaltantur opera Josephi.

Magna proculdubio sunt hæc, amantissime Joseph, in se et absolute, et ut gesta sunt, considerata; verumtamen æterni præmii, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, consideratione pauca sunt, et pauca reputari debent : *id enim*, ait Apostolus II. Cor. IV. *quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.* Sed, o bone Jesu, quia semel et multoties in hujus meæ lucubratiunculæ decursu cœpi, et proposui; loquar ad te Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, qua, obsecro ratione, aut quo etiam quæsito colore, opera sanctissimi patris tui Josephi pauca dici, aut nuncupari possunt ? Ejus ministeria, quæ ad altissimum tuæ incarnationis sacramentum quodammodo attigerunt, ut in lib. III. tract. VIII. et in lib. IV. tract. VII. resolvimus, pauca dici possunt? Te ut filium suum in sudore vultus sui et in labore manuum suarum semper aluisse, pauca sunt? tibi individuum et fidelissimum comitem in omni peregrinatione tua adfuisse, pauca esse judicabis? Opera omnia misericordiæ, quæ tecum ipso et cum amantissima matre tua, dum vixit, exercuit, pauca censenda sunt? Recordare, Domine, recordare, memor esto verbi tui, in quo omnibus spem dedisti. *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Mat. X. v. 42. Quid dandum erit ei, qui tibi ipsi Deo vero tam multa et præclara dedit, et beneficia contulit? et forsan hæc poterunt pauca nominari ? Ipse a sanctificatione in utero matris suæ usque ad felicissimam mortem justus in omni virtute permansit, et legem tuam perfecte servavit, ut in lib. IV. tract. VII. per

totum diximus : ipse virginitatem voto Deo consecratam angelice et perpetuo custodivit : ipse igne gravissimæ tribulationis, visa scilicet sanctissima sponsa sua ac matre tua prægnante, probatus mire resplenduit ; ipse te duxit et reduxit sanum, et a devoratione piscis, colubri tortuosi, Herodis, inquam, in fuga in Ægyptum, et in tua inibi diutina detentione, et inde reversione eripuit. Anne ista omnia pauca esse censebis ?

Quod si, piissime Domine, parva isthæc esse videantur, adjiciam tibi multo majora. Morem tuum ac nobilissimam conditionem tuam ex te ipso, Domine, novimus, qui pro omnibus creaturis tuis, collatis beneficiis tibi satisfactum iri existimas, si te prius amantem pro posse suo redament. « Solus enim est amor ex omnibus animæ motibus. sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel sibi mutuam rependere vicem : amor per se sufficit, per se placet et propter se ; ipse meritum, ipse præmium, ipse causa, ipse fructus ; per amorem enim conjungimur Deo ; amor facit unum spiritum de duobus ; amor facit idem velle, et idem nolle. » S. August. in Manuali, cap. 18. Ast justissimus Joseph eximie te amore naturali, acquisito et supernaturali post Virginem matrem tuam dilexit, ut in lib. III. tract. XIII. et XIV. egimus. Ergo nulla ratione hæc pauca dici poterunt.

Magnum gloriæ pondus explicatur.

Adhuc tamen Christus Dominus vere ait : *In pauca fuisti fidelis ;* quia in comparatione verborum sequentium : *Supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* ; pauca sunt. *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ad Rom. VIII. v. 18. « Si enim quotidie, inquit D. Augustinus, ser. 37. de sanctis, oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possemus in gloria venientem, et sanctorum ejus numero sociari, non erat dignum pati omne quod mœstum est, ut tantæ bonitatis gloriæ participes haberemur? » Et D. Gregorius, hom. 34. « Si consideremus, fratres charissimi, quæ et quanta sunt, quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo omnia, quæ habentur in terris ; terrena namque substantia supernæ felicitati comparata, mors est potius dicenda quam vita : ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam quædam prolixitas mortis? quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis, quanta sint gaudia ; Angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere ; præsentem Dei vultum cernere ; incircumscriptum lumen videre ; nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? » Merito ergo secundum hæc, omnes passiones, omnes tribulationes, quæcumque opera et ingentia ministeria, pauca sunt et parva existimari debent æternæ gloriæ et felicitatis perpetuæ consideratione et respectu. Quod in sanctissimo Josepho sequens tertia conclusio declarabit.

Joseph post Christum et Virginem in cœlo supremum habet locum.

Tertia conclusio. Sanctissimus Joseph cum Christo resurgente, corpore et anima resurrexit, ut in 3. suppositione probavimus, et cum eodem Christo cœlos ascendente, ipse pariter corpore et anima cœlos ascendit, et prope ipsum Christum Dominum, post Virginem Deiparam, in sublimi gloriæ throno fuit collocatus. Ita defendit D. Bernardinus Senensis, to. III. ar. II. c. 1. et 2. explicans illud Matth. XXV. *Supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*, dicens : « In hoc verbo describitur hujus sancti viri Josephi status gloriæ ; profecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tanquam filius patri suo, in cœlis utique non negavit ; quin potius complevit et consummavit. Unde in verbo proposito subinfertur : *intra in gaudium Domini tui* : unde licet gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere : *intra in gaudium*, ut mystice innuatur quod gaudium illud non solum in eo est intra, sed undique illud circumdans et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Pie quidem credendum est, quod piissimus Filius Dei Jesus pari privilegio decoravit suum putativum patrem, sicut suam sanctissimam matrem, ut sicut illam assumpsit in cœlum, in corpore et anima gloriosam, sic etiam in die resurrectionis suæ sanctissimum Joseph in gloria resurrectionis secum. Ut sicut illa sancta familia, scilicet Christus, Virgo et Joseph, in laboriosa vita et amorosa gratia simul vixerunt in terris : sic in amorosa gloria nunc, et corpore et anima regnet in cœlis juxta regulam Apostoli II. Corint. I. *Sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis.* » Et doctissimus Gerson, sermone de Nativitate Mariæ, consideratione 4. ante medium. « Cuperem, ait, mihi verba suppeterent ad explicandum

tam altum et absconditum a sæculis mysterium, tam admirandam, venerandamque Trinitatem, Jesu, Joseph et Mariæ, velle mihi quidem adjacet, sed posse non invenio, ac in ipso conatu deficio. Unde cum gratia similiter et gloria naturam non tollat, sed extollat et perficiat, recogitemus pia devotione, quod si vinculo quodam naturali obligatio consurgit filii ad patrem, et matris ad sponsum suum, et utriusque, scilicet filii et matris, ad fidelissimum, vigilantissimum et sedulum custodem et nutritium Joseph, qui fuit caput Mariæ, habens inde auctoritatem aliquam, principatum, dominationem, vel imperium in Mariam, sicut et Maria suo modo in filium suum Jesum jure naturalis maternitatis, quantus æstimandus est justus ipse Joseph, nunc in gloria et in cœlis, qui talis et tantus inventus est hic in miseria et in terris? Profecto si non mentiebatur Jesus, qui ait: *ubi ego sum, illic et minister meus erit*, ille proximior videtur collocandus in cœlis, qui in ministerio fuit vicinior, obsequentior, atque fidelior post Mariam inventus in terris. » Idemque ex doctrina et fundamento in quarta nostra suppositione positis sequitur et probat P. Osorius, serm. 2. de sancto Josepho, his verbis: « Nam si is, qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipit, Matth. x. qui recipit Deum in nomine Dei, ut noster Joseph, qui Christum Dominum pavit et tutavit, æquum est ut mercedem Dei accipiat, regium suscipiat diadema, et quamvis ut Deus colendus non sit, ut pater tamen Dei colatur, cum patris munus in Deum exercuerit; et qui Deum factum hominem in suum ornamentum in terra sæpius portavit, Deum speciali quadam ratione in cœlesti regno possideat. Et qui hic induit Christum Dominum, præ cæteris eum in brachiis gestans, illumque proximum habens sibi ac conjunctissimum, in cœlo similiter Christi throno conjunctissimus sit. In terra, ait Evangelista Matth. I. Jesus, Maria, Joseph, qui conjunctissimi fuerunt, qua ratione in cœlo erunt loco separandi? Nec enim decet dulcissimum sponsum suum procul a se positum Mariam videre; nec dulcissimum et fidelissimum patrem sibi in terra conjunctissimum procul a se positum conspicere Christum; imo convenit maxime quod hi tres, qui se in vita intime dilexere, ut probavimus, in morte etiam non separentur, sed quod ordine Evangelii Jesus, Maria, Joseph sint in cœlo collocati. » Viguerius Granatensis, de mysterio Incarnationis Filii Dei, cap. xx. §. 9. post medium, facile se expedivit, dicens: « Joseph nunc cum B. Virgine super choros Angelorum præmiatur. » Et Isolanus, IV. part. cap. II. fol. 9. pag. 2. ad finem, simili brevitate dixit: « Joseph Virginis sponsus, velut alter Joseph gemina donatus stola, scilicet beatitudine animæ et corporis, Christum Regem regum ad cœlos ascendentem associavit, et primus post Christum Regem regum sedit; considera, obsecro, dignum veneratione parentem, quantis honoribus ac beneficiis inclytus filius prosequatur, cogente natura, suadente ratione, ac moribus prædicantibus? Quid ergo de Christo Deo vero, ex quo omnis bonitas in cœlo et in terra nominatur, dicendum erit? » Et P. Barradas, tomo I. lib. VI. cap. 8. in fin. ex Gersone ait: « Quanta autem in cœlo gloria fulgeat Joseph docet Cancellarius his verbis: Collocatus est a dextris Jesu, hoc est, in potioribus bonis suis. » Et Bustos, IV. part. sermone XII. fol. 156. col. 2. postquam Gersonis memorata verba retulerat, ita concludit: « Ex quibus patet quod nullus sanctus in cœlis est major sancto Josepho post beatam Virginem benedictam. » De quo aliqua tetigimus in epist. ad lectorem. Et quamvis plures alii sint hujusmet sententiæ patroni, maneat tamen verbum in ore doctissimi doctoris et magistri Patris Francisci Suarez, tom. II. in 3. p. q. XXIX. artic. I. et II. disputatione 8. sect. 2. §. super est; dicentis: « Aliqui enim pia fortasse devotione moti, nimium asseveranter sanctum Joseph supra omnes Apostolos et Angelorum choros constituunt, ut videlicet eo ordine, quo a Matthæo, cap. I. nominantur Jesus, Maria, Joseph, eodem in cœlesti gloria sedeant, et perfectione beatitudinis fruantur, quia officio, et dignitate, et amore fuerunt conjunctissimi: sicut enim humanitas Christi eo abundantiorem gratiam obtinuit, quo propinquior fuit Verbo, et statim B. Virgo, quæ proxima fuit Filio: ita existimatur S. Joseph quasi tertium locum in abundantia gratiæ obtinuisse, quia post Virginem propinquissime attigit Christum, familiariusque tractavit, et singularem conjunctionem cum ipso habuit. Alii vero nimium fortasse timidi, temerarium, aut etiam erroneum existimant illum Apostolis æquare. » Ipse vero in fine illius sect. 2. sic pie, docte et prudenter suam sententiam protulit: « In hac igitur comparatione non exi-

stimo esse temerarium, nec improbabile, sed pium potius et verisimile, si quis fortasse opinetur Sanctum hunc reliquos omnes in gratia ac beatitudine antecellere, quia ex Scriptura nihil est quod repugnet, nec in Patribus aliquid reperio. Et si quæ sunt generales locutiones, quibus Apostolos præferre videantur, intelligi possunt facere comparationem regulariter cum aliis sanctis, et non excludere speciale aliquod privilegium, et præsertim loqui de posterioribus sanctis, non vero de prioribus, et de his omnibus qui cum Christo vixerunt, et ipsis Apostolis contemporanei fuerunt. Nihilominus tamen cordati ac prudentis hominis esse existimo, nihil temere, aut nimium asseveranter affirmare, quia revera ubi deest Scripturæ auctoritas, aut Ecclesiæ traditio, nulla potest esse sufficiens certitudo, in re præsertim ex divina electione ac prædestinatione pendente, cujus consilia inscrutabilia sunt, et abditissima mysteria. »

Gloria Josephi ex proinquitate ad Christum probatur.

Quæ pia et probabilis sententia fulciri et coadjuvari potest ex principiis doctrinæ S. Thomæ, qui III. parte, quæstio. XXV. articulo 5. in corp. hanc generalem regulam a nobis multoties repetitam assignat. «Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principii; sed Christus est principium gratiæ, secundum divinitatem quidem auctoritative, secundum humanitatem vero instrumentaliter; unde Joan. I. dicitur : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est, de cujus plenitudine nos omnes accepimus.* » Sed post B. Virginem B. Joseph præ omnibus aliis Christo Domino appropinquavit, eique fuit conjunctissimus, ut in lib. II. tract. IX. probavimus; ergo in cœlesti beatitudine Virgo sanctissima post Christum, post Virginem vero sanctissimus Joseph debet merito collocari.

Eximia Josephi glorificatio ex operibus ejus heroicis comprobatur

Deinde etiam probatur : quia B. Joseph in operibus justitiæ, et in gratiis gratum facientibus, justitiam Patrum veteris et novi Testamenti excelluit; quia ejus ministeria quodammodo attigerunt ad Incarnationis mysterium, ut latissime objectiones contrarias diluendo diximus in lib. III. tract. VIII. et in lib. IV. tract. VII. est enim alia claritas solis, alia lunæ et alia stellarum; ast B. Joseph aliorum sanctorum respectu, sol est, ut in libro III. tract. IV. disseruimus. Tum præterea, quia Joseph participavit de plenitudine gratiæ Christi, Deiparæ, Apostolorum et sanctorum omnium, ut in lib. II. tract. IX. elucidamus, ejusdemque Josephi puritas Deiparæ puritati comparatur, ut in lib. III. tract. IV. invenies. Et tandem Christus Josephum triplici amore, naturali, adquisito et supernaturali post Virginem matrem diligebat, et eodem triplici amore Joseph Christum Dominum post Virginem sponsam redamavit, ut in lib. III. tract. XII. et XIII. resolvimus. Si ergo Josephi opera et ministeria ex charitate protecta, excellentiora fuerunt; si ergo charitas Josephi post Virginem erga Deum major fuit; si ergo Joseph principio gratiæ Christo scilicet Domino post Virginem omnium fuit conjunctissimus, ut modo vidimus; ergo post Virginem majus lumen gloriæ majoremque beatitudinem essentialem adeptus est, juxta ea quæ in 2. suppositione statuimus. Nam si, quia noster Joseph in Herodis rabida ac truculenta persecutione, Christi Domini et Virginis matris salvatoris gessit officium, juste meruit ipsum Jesum, ipsamque pariter Virginem, scuti sui stemmata honorifica, gloriosaque trophea possidere, ut in lib. II. tract. IX. probavimus, in æterna beatitudine non debuerunt longe separari. Et hæc de gloria essentiali S. Josephi sint satis. Videndum restat de aureolæ accidentali gloria.

Qua ratione Christo non competat proprie aureolam habere.

Quarta conclusio : Christo Domino nulla competit aureola secundum propriam rationem aureolæ. Ita docet D. Thomas, in 4. sent. d. XLIX. art. IV. q. I. in corp. et in additionibus, ad 3. p. q. XCVI. ar. VIII. in hæc verba : « Quidam enim dicunt quod in Christo est aureola, secundum propriam aureolæ rationem, cum in pugna inveniatur victoria, et per consequens corona, secundum propriam rationem; sed diligenter considerando, quamvis Christo competat ratio aureæ vel coronæ, non tamen ei competit ratio aureolæ : aureola enim ex hoc ipso quod diminutive dicitur, importat aliquid quod participative, et non secundum sui plenitudinem possidetur. Unde illis competit aureolam habere, in quibus est aliqua perfectioris victoriæ participatio secundum imitationem ejus, in quo perfectæ victoriæ plena ratio consistit; et ideo, cum in Christo inveniatur hujusmodi principalis et plena victoriæ ratio, per cujus victoriam omnes alii victores constituuntur, ut patet Joan. XVI. *Confidite, ego vici mundum;* et Apoc. V. *Ecce vicit leo de tribu Juda;* Christo non competet aureolam habere; sed aliquid unde omnes

aureolæ originantur; unde Apocal. III. *Qui vicerit, faciam eum sedere in throno meo, sicut ego vici, et sedeo in throno patris mei.* Unde secundum alios dicendum est, quod quamvis id quod est in Christo, non habeat rationem aureolæ, tamen est excellentius omni aureola. » Quod quidem usitato ac frequenti exemplo comprobari potest. Assuescunt sane equites, comites, marchiones, et aliquando magni duces, in suæ ac majorum suorum nobilitatis testimonium, præclarissimorumque suorum gestorum gloriam, ordinum militarium Sancti Jacobi scilicet, Sancti Joannis, Sancti Georgii, Sancti Stephani, Calatravæ et Alcantaræ stemmatibus insigniri; principes tamen, reges et imperatores, cum hujusmodi insignia aliis remunerando tribuant et ipsi eorumdem ordinum capita sint et magistri non deferunt, quia in suprema sua dignitate et diademate regio isti et omnes alii peculiares honores eminentiori modo continentur, ut in lib. III. tractatu VII. resolvimus. Ad quid ergo sunt aureolæ in Christo ponendæ? *qui est princeps regum terræ*, Apocalyps. I. v. 5. ad quid aureolæ in Christo? *qui est Rex regum, et Dominus dominantium*, Apocalyps. XIX. v. 16. ad quid aureolæ in Christo? ante quem *procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, et mittebant coronas suas ante thronum dicentes : Dignus es, Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem : quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt*, Apoc. IV. v. 10. et 11. ad quid aureolæ in Christo? *quem Deus exaltavit, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum*, ad Philipp. II. v. 10.

Maria aureolas virginitatis, magisterii, et martyrii habuit.

Quinta conclusio. B. Virgo omnes tres aureolas excellentiori modo in regno cœlorum habet, videlicet aureolam virginitati debitam, cum ipsa fuerit dux et virginum magistra, et quæ primo virginitatis vexillum cum obligationis voto exaltavit, ut in lib. I. tract. XI. et in lib. II. tract. VI. et VII. egimus; Doctorum etiam aureolam, quia ipsa, secundum. D. Antoninum, IV .p. tit. XV. fuit Doctorum doctrix, et Apostolorum illuminatrix et magistra; Et Beda in quadam homilia de hoc eodem agens dixit : « Apostoli ad ipsam tanquam ad arcam sapientiæ recurrebant, et ipsam de omnibus dubiis interrogabant : omnia enim quæ de Domino et a Domino dicta, vel acta cognoverat mater Virgo, in corde retinebat, et sollicite cuncta memoriæ commendabat, ut cum tempus prædicandæ vel scribendæ Incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa, prout gesta, quærentibus explicare posset. » Et D. Bernardus, hom. infra octavam Epiphaniæ, ante medium. « Maria memoria conservabat, meditatione ruminabat, et hæc cum cæteris, quæ de eo viderat et audierat, conferebat. Ita etiam B. Virgo tunc misericorditer providebat nobis, ne tam dulcia, tam salubria, tam necessaria, aliqua negligentia laberentur, et propterea neque scriberentur, nec prædicarentur, et sic sequentes hujus spiritualis mannæ deliciis fraudarentur. Omnia igitur hæc Virgo prudentissima fideliter conservavit, verecunde tacuit, opportune prodidit, et sanctis discipulis et Apostolis prædicanda commisit : licet enim, teste D. Anselmo, lib. de excellentiis B. Virginis, c. 7. iidem Apostoli per revelationem Spiritus sancti omne fuerint veritatem edocti, incomparabiliter tamen, eminentius ac manifestius Maria per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, et per hoc multa eis per hanc revelabantur quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso affectu, ipso experimento didicerat. » Unde ipsa primo concilio ab Apostolis Hierosolymis celebrato præfuit, ut tradunt Rupertus, lib. I. et V. in Cantica, et P. Canisius, lib. V. de Virgine, cap. I. et diximus in lib. III. tractatu V. Martyrum quoque aureolam; fuit enim B. Virgo martyr et plusquam martyr, ut ex D. Hieronymo et aliis, in tractatu V. hujus libri quinti resolvimus.

Joseph tres aureolas virginitatis magisterii, et martyrii habet.

Sexta et ultima conclusio. Sanctissimus Joseph triplicem quoque aureolam, ad similitudinem Virginis Deiparæ, in æterno possidet regno. De virginitatis aureola nulli unquam dubium, cum ante Virginis desponsationem virginitatem servaverit, et post desponsationem statim cum ipsa Virgine virginitatem voverit, eamque usque ad vitæ terminum perfectissime integram, inviolatamque servaverit, ut in lib. II. tract. VI. et in lib. IV. tract. III. ex professo resolvimus. In quo sic concludit Isolanus, IV. part. capite IV. folio 93. pagina I. in fine : « Verum de aureola virginitatis Joseph catholici doctores minime nunc hæsitant, tum quia virginem mente, corpore, voto et statu mortuum Joseph credunt, tum quia primus secutus est

re, qui omnium hominum etiam quantum ad corpora caput est, qui *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*, ad Philippens. III. Eum videre qui est caput omnis principatus et potestatis, ad Colos. II. Eum denique videre, qui solus ex omnibus, ex toto corde, ex tota mente meretur diligi. « Ama, hortatur D. Augustinus, lib. de catechizandis rudibus, amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum Virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublevando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis. » Et in Manuali capite 24. « Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit, in die sepulturæ tuæ, cum omnes amici tui recedent a te, ille te non delinquet, sed tuebitur a fugientibus præparatis ad escam, et perducet ad plateas supernæ Sion, et ibi collocabit te cum Angelis. » Felicissima proculdubio erit tibi illa dies, cum ipse sponsus Christus tibi cum omnibus sanctis occurrerit dicens : *Surge, propera, amica mea, formosa mea, columba mea ; jam hyems transiit, imber abiit et recessit : veni, coronaberis,* etc.

Summa gloria est beatis, post Dominum, Virginem in cœlo videre.

Ecquid rogo erit ? aut quis cogitare sufficiat quantum gaudium generat Mariam, illam inquam matrem misericordiæ et pietatis videre, jam non recubantem cum parvulo vagiente in præsepio, jam non lacrymantem, nec dicentem : quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalom, cum staret Christus in patibulo ; sed jam super omnem creaturam exaltatam, regnantem cum Christo in Trinitatis palatio, canentem et dicentem : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos ?* Et illud Ecclesiast. XXIV. *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini ?* illam videre, cujus præsentia et aspectus in regno cœlorum ineffabiliter auget accidentale præmium Beatorum ? Illam videre, quæ reddidit cœlis gloriam, terris Deum, pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribusque disciplinam ? illam videre, cujus gloriosum est privilegium, quod post Deum, major nostra gloria et majus nostrum gaudium ex Maria est ? Illam videre, cujus præsentia totus illustratur orbis, et ipsa cœlestis patria clarius rutilat virgineæ lampadis irradiata fulgore ? et tandem illam videre, de qua D. Petrus Damianus verissime dixit, sermone 2. de Nativitate Mariæ : « Attende Seraphim et in illius superioris naturæ supervola dignitatem, et videbis quidquid majus est, minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi ? Summa gloria est, o Virgo, post Deum te videre, tibi adhærere, et in tuæ protectionis munimine demorari. » Confidenter igitur ad ipsam misericordiæ matrem, cui neque potestas, neque voluntas nobis miseris succurrendi deesse possunt, est enim Regina cœlorum et mater misericordiæ, confugere possumus : « Agite ergo, o miseri, occurrite, obviam procedite, ad Virginem peccatorum matrem salutandam properate ; et si fortasse delictorum moles impediat, vel abstrahat, una mecum summis viribus repetito sermone contendite ; clamate : Eia ergo advocata nostra, illos misericordiæ tuæ oculos ad hos multis miseriis obnoxios flecte, Deipara inextinguibilis clementiæ lampas, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile, corona virginitatis, pietatis decus, sapientiæ aurora, pudoris et castitatis rosa, flos incorruptionis, indumentum regale, regis purpura, regni diadema, nova arca, virga Aaron, urna divinitatis, scala paradisi, propitiatorium alis adumbratum seraphicis, peccatorum expiatio, vernans virgultum, rubentium frutex amœne rosarum. Age igitur, o Virgo, extende tuæ benignitatis brachia, porrige manum afflictis atque jacentibus : explica florigeros tuæ misericordiæ ramos, et veram fidem doce, spem fove, perfectam charitatem infunde, accende, inflamma, pia mater, Virgo sanctissima, hera, domina, sol veritatis, puritatis ornamentum ; nos tot peccatis obnoxios subleva, a dæmone circumventis atque oppressis opitulare ; auxiliare sanctissima, ut tandem deposita peccatorum mole, paradisi rosis ornati, in cœlum tuo munimine et auxilio subvehamur. Amen. » Hæc Stephanus Valentinus in suo Defensorio sacri Rosarii contra hæreticos, pag. 45. in fine, et pag. 46. ex aliis, quos ipse refert.

Quale gaudium nobis erit, Josephum in cœlis videre.

Post Christum Dominum ad dexteram Patris in throno regali regnantem, post Virginem sanctissimam cœlorum reginam, a dextris Filii in throno suo peculiari collocatam, quid, quæso, erit sanctissimum Josephum putativum Christi patrem ac verum Mariæ sponsum, in throno etiam sublimi positum videre ? cujus conspectu, solaque ejusdem nominis prolatione Christus Dominus gaudet, et universa simul cœlestis patria lætatur, ut

in lib. III. tractatu VIII. diximus. Unde merito D. Bernardinus Senensis, tomo III. sermone de S. Joseph, articulo III. pagina 463. col. 2. in fine, sic deprecans exclamat : « Memento igitur nostri, beate Joseph, et tuæ orationis suffragio apud tuum putativum filium intercede : sed et beatissimam Virginem Mariam, sponsam tuam, nobis propitiam redde, quæ mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum, Amen. » Et P. Osorius, sermone 2. de sancto Josepho ad finem : « Summa gloria, inquit, S. Josephi, ex maxima gratia quam habuit, colligenda est, si attendas ad illam S. Thomæ sententiam : Ex propinquitate ad fontem gratiæ, ampliorem gratiam redundare ; et ideo, ait Thomas, anima Christi Domini fuit gratia plena super omnes homines, quia propinquissima fuit Verbo, quod est fons gratiæ, ei personaliter unita ; secundo loco huic fonti approximavit Maria, quæ in utero fontem continuit gratiæ ; tertio loco huic fonti approximavit noster Joseph per triginta annos illi adhærendo, et illum comitando. Nos ergo ut Josephum imitemur, et eum in gloria sequamur, Christo fonti adhæreamus, et ad eum accedamus ; » eique et sanctissimæ Virgini sponsæ suæ nos assidue et devote commendemus ; et per eos preces, petitiones et orationes nostras offeramus ; habent enim apud superos quoddam jus imperandi, ut in lib. III. tractatu X. diximus ; ut tandem hujus sanctissimi Patris nostri Josephi meritis regni sui nos cohæredes efficiat Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæculorum sæcula. Amen.

Conclusio operis, per apostrophen ad Jesum, Mariam et Josephum.

Dixi...us in toto hoc opere quæ nobis probabiliora, Scripturæ divinæ magis conformia, a Patribus Ecclesiæ et doctoribus receptiora judicavimus, semper in dubiis ad pietatem declinantes. Bona et præstantiora propter domum Domini Dei nostri, cujus decorem et gloriosæ habitationis locum semper dilexi, Christum scilicet Dominum, Mariam sanctissimam Deiparam et gloriosissimum Josephum, ad eorumdem majorem gloriam, decus et honorem, nihil ulterius quærentes. Omnia tamen, repetita vice, correctioni, limæ, ac censuræ non solum sanctæ Romanæ catholicæ Ecclesiæ, sed etiam piorum hominum judicio rectius sentientium, libentissime subjicientes, quod jam in epistola ad lectorem fecimus ultro, ut finis iste illi correspondeat initio. Ingenue fateor, Augustissime Joseph, peculiaria Dei munera divinitus per te semper mihi collata, clarius tamen et apertius post inchoatum hoc opus : nam cum gravi ac prolixo morbo laborans, languens excitarer, imbecillis confirmarer, ac pene defessus recrearer, tuo tandem auxilio suffultus, et ope innixus, tot inter scopulos ad optatum portum et desideratum finem, ipso Incarnationis die, octavaque festivitatis tuæ, anno post tuæ quidem integerrimæ sponsæ partum virgineum millesimo sexcentesimo decimo incolumis appulerim ; lubens etiam fateor me incessanter te, Christe Domine, te Virgo sanctissima, teque, humanissime Joseph, orasse, ut a me [illegible]niæ ac molestæ occupationes quietam meditationem, et scribendi stylum præpedientes procul omnino essent longeque recederent. Quod ita sæpius mihi ex voto feliciter obtigit, ut ad doloris molestiam mitigandam huic labori vestro vacare, nec sine nostra sane ac multorum admiratione, unicum levamen ac singulare remedium alacer ac lætabundus experirer. Hoc iterum ac tertio fateor, hoc clamito, hoc perpetuo testor et affirmo, gaudens ac lætus de tuo immenso gloriæ pondere. Fruere, o Joseph, fruere, ac pleno ore ebibe limpidissimos proximi fontis liquores, et nos Christo Domino, tuo putativo filio, ac cœlorum Reginæ sponsæ tuæ Mariæ commendatos offer ac siste, dum ita regio insignitus diademate per immensa sæculorum sæcula regnas. Amen.

INDEX GENERALIS

RERUM OMNIUM QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR

TOMUS PRIMUS

SANCTISSIMO JOSEPHO OPERIS DICATIO

Opus hoc D. Josepho consecratur, et consequenter Christo et Virgini. 5
Cultus Josepho exhibitus gratissimus est Christo, Deiparæ et cœlesti curiæ. *id.*
Auctor beneficium a Deo per Virginem et Josephum obtentum narrat. *id.*

AD LECTOREM PRÆFATIO

Difficultas libros scribendi, præcipue de S. Josepho. 7
In laudibus Joseph vix dividi potest a Christo et Deipara. *id.*
Ad Josephum laudandum Angelorum linguæ necessariæ. 8
Pauca in sacris litteris de Maria et Josepho dicta: sunt tamen mysteriis refertissima. *id.*
Intentio auctoris est quod magis cognoscatur Joseph, ut magis ametur. 9
Cultus ab Ecclesia Josepho exhibendus modo, et quare non antea? *id.*
Auctor gratias agit Deo pro hoc munere sibi ab obedientia commisso. *id.*
Difficile est communia non communiter tractare. 10
Utilitas maxima scripturæ typis mandatæ. *id.*
Ethnicorum sententiæ selectæ a fidelibus non sunt spernendæ. 11
Justi censores fugiendi non sunt: iniqui vero contemnendi. 12
Liber hic et Ecclesiæ et rectius sentienti subjicitur. *id.*
Quare in hoc opere sanctorum et doctorum sententiæ et verba referantur. *id.*

LIBER PRIMUS

DE CHRISTI DOMINI, DEIPARÆ VIRGINIS ET SANCTISSIMI JOSEPHI GENEALOGIA.

TRACTATUS I.

De institutione militantis Ecclesiæ ad similitudinem triumphantis; et de cœlesti et terrestri Trinitate.

Quomodo Scriptura divina Christo, Virgini et sanctis applicetur, vel non applicetur. 21
Incipitur ab ultimis Christi parentibus, quia istorum probata nobilitate, reliquorum ascendentium probata censetur. 22
Nomina Jesus, Mariæ et Joseph sunt in capite libri vitæ, et inter eos nulla divisio. 23
Trinitatis mysterium cur non ita clare revelatum fuerit in Testamento veteri. *id.*
In lege evangelica per Christum fuit explicite revelatum mysterium Trinitatis. *id.*
Decretum totius Trinitatis de Incarnatione Verbi in Virgine desponsata. 24
Ecclesia militans ex præscripto æterni Patris ad similitudinem triumphantis a Christo fundata est. *id.*
Una et eadem est Ecclesia militans et triumphans; differenter tamen. *id.*
Ecclesia militans dicitur filia triumphantis, quia ad ejus similitudinem fundata est. 25
In Ecclesia militanti Christus Trinitatem terrestrem ad similitudinem cœlestis instituit. *id.*
Christus in mundum ingressus Trinitatem fundavit terrestrem trium personarum et unius cordis. *id.*
Christus dat testimonium suæ divinitatis et humanitatis. *id.*
Maria testimonium perhibet humanitatis et divinitatis Christi filii sui. 26
Divina essentia ostensa fuit Mariæ in carne viventi. *id.*
Jesus Deum humanatum, Christus vero hominem deificatum significat. *id.*
Joseph testimonium reddidit divinitatis et humanitatis Christi. *id.*
Joseph testimonium præstitit integritatis Mariæ. 27
Joseph testimonium infallibile de legitima nativitate Christi ex Virgine exhibuit. *id.*
B. Joseph vidit divinam essentiam. *id.*
Hierarchicum ordinem posuit Christus in Ecclesia militanti ad similitudinem triumphantis. *id.*
Christus doctrina et exemplo Ecclesiam catholicam semper adjuvat. 28
Maria habuit donum prophetiæ. *id.*
Maria donum linguarum habuit. 29
Maria habuit donum scientiarum, ad divinam Scripturam docendam. *id.*
Maria præfuit primo concilio Apostolorum. *id.*
Maria fidei et Apostolorum magistra. *id.*
Joseph exemplum prædicatorum et religiosorum. *id.*
In hac Trinitate Maria correspondet Patri, Filius idem est utriusque; Joseph vero Spiritum sanctum repræsentat. 30
Idem comprobatur exemplo mirabili beatæ Margaritæ, ordinis Prædicatorum. *id.*
Illustris Prædicatorum religio comparata gemmulæ carbunculi eximie laudatur; et præcipue D. Thomas Aquinas. *id.*
Figuræ inventæ in tribus gemmis, scilicet Christus, Maria et Joseph. 31
In hac etiam Trinitate Christus Patri, Maria Filio, Joseph Spiritui sancto correspondent. *id.*
In hac Trinitate Christus est fons, cui propinquius Maria et Joseph accedunt. *id.*
Joseph similis est tribus divinis personis. *id.*
Hæc etiam Trinitas terrestris nostrum superat intellectum, et encomiis laudatur. *id.*
Christus et Maria domus Dei sunt : Joseph vero locus et superior. 32
Maria domus Dei. *id.*
Joseph superior domus Domini, et Christi locus. *id.*
Propter Josephum Deus beneficia multa concedit. *id.*
Joseph plurima a Deo pro nobis impetrat beneficia. 33
Magnum beneficium a Deo cum hac terrestri Trinitate habere devotionem. *id.*
Nihil illustrius quam pro Christo pati. *id.*
Devotio cum Maria et Josepho magni facienda super aliorum sanctorum devotionem. *id.*
Ingratitudo maximum peccatum iram Dei provocat. 34
Conqueritur Deus de indevotis Deiparæ Virginis et Josephi. *id.*

Sitne æqualitas aut inæqualitas inter Jesum, Mariam et Josephum? *id.*
Quando essent plures reges simul, quomodo nominandi aut scribendi sint? *id.*
Evangelistæ diversis positionibus Jesum, Mariam et Josephum collocarunt. 35
Amici inter se nihil curant de positione loci. *id.*
Jesus, Maria et Joseph funiculus triplex mire contextus. *id.*
Jesus, Maria et Joseph in diversis considerationibus habent se tanquam excedens et excessum. *id.*

TRACTATUS II.

De Christi genealogia mystice declarata.

Christi genealogia mystice declaratur. 36
Christi genealogia instrumento piscatoris declaratur. *id.*
Maria omnium donorum Dei thesauraria et dispensatrix. 37
Per Mariam quasi escam Deus peccatores ad se trahit. *id.*
Caro Christi est caro Mariæ, et pars ab ea accepta semper integra remansit. *id.*
Invocatio Mariæ est signum vitæ spiritualis; Christus caput et Maria collum ejus. 38
Genealogia Christi in Josepho terminatur, per cujus nobilitatem nobilitas Christi declaratur. *id.*
Nobilitas Christi per nobilitatem Josephi comprobatur, tanquam per ultimum parentem. *id.*
Per Josephum plurima beneficia a Deo obtinentur. 39

TRACTATUS III.

De peculiari modo generationis Christi ab aliis distinctæ.

Per lineam generationis Josephi probatur linea generationis Mariæ et Josephi. 39
Christi generatio longe dissimilis est ab aliis hominum generationibus. *id.*
Dissimilitudo generationis Christi ab aliis clarius et efficacius comprobatur. 40
Concionatores, lectores et librorum scriptores nihil dubium absque declaratione proferant. 41
Verba inordinata fugienda sunt. *id.*
Nec cum hæreticis consentiendum, nec eorum terminis utendum. *id.*
Concionator prævia lectione, meditatione et tempore congruo accedat ad concionandum. *id.*
Communes sententiæ doctorum amplectendæ sunt, et novitates fugiendæ. *id.*
Novitatum inventores in maximo periculo versantur et suspecti censentur. 42
Novitatum concionatores in periculo honoris, famæ et vitæ sunt expositi. *id.*
Concionator aliter se habere debet coram doctis et sapientibus, aliter vero coram rudibus. *id.*
Quod aliter agendum sit coram doctis ac coram simplicibus ex Evangeliis comprobatur. 43
Concionatores hoc maxime tempore cauti et circumspecti esse debent. *id.*

TRACTATUS IV.

De prædestinatione Mariæ in matrem Dei, et Josephi in ejusdem Virginis sponsum et Christi nutritium.

Decretum electionis Deiparæ in matrem Dei, et Josephi in putativum patrem. 43
Christus prædestinatorum caput et exemplar. 44
Maria ab æterno prædestinata fuit in matrem Dei. *id.*
Cantica canticorum Virgini applicantur. *id.*
Mariæ æterna electio in matrem Dei comprobatur, *id.*
Prius Maria prædestinata fuit in matrem Dei, quam ad tantam gratiam et gloriam. 45
Joseph ab æterno prædestinatus fuit in Virginis sponsum et Christi nutritium. *id.*
Electio Mariæ et Joseph simul comprobatur. *id.*
Præcognitio Virginis necessaria est ad cognitionem Christi, et præcognitio Josephi ad cognitionem utriusque. *id.*
Nomina Christus, Maria, Joseph primo loco adscripta sunt in libro vitæ. *id.*
In libro vitæ post Christum et Virginem tertium locum habet Joseph. 46

TRACTATUS V.

Quod Maria et Joseph ab eadem regia tribu processere.

Maria et Joseph ab eadem tribu, ex domo et familia David descendunt. 46
Maria et Joseph, quia ex eadem tribu, matrimonio secundum consuetudinem Hebræorum copulati sunt. 47
Per lineam Joseph genealogia Mariæ et Christi declarata fuit. *id.*

Maria et Joseph a Davidis stirpe regia descenderunt. 48
Maria omnibus creaturis nobilior dedit nobilitatem Christo. *id.*
Joseph nobilissimus dedit nobilitatem Christo. *id.*
Joseph triplicem habuit nobilitatem, et virtutis nobilitas præstantior est. *id.*

TRACTATUS VI.

De sanctissimis Deiparæ parentibus, et de revelatione conceptionis ejus et nominis Mariæ eisdem facta.

Joachim et Anna fuerunt Virginis parentes. 49
Non omnia petenda sunt ut expressa a divina Scriptura. *id.*
Joachim idem est quod Heli apud Syros. *id.*
Stolanus et Emerentiana parentes divæ Annæ. 50
Parentes Virginis fuerunt nobilissimi. *id.*
Joachim interpretatur præparatio Domini ; Anna vero gratia. *id.*
Parentes Virginis Joachim et Anna mire laudantur. *id.*
Anna terra, nubes et concha Deiparæ dicitur. *id.*
Parentes Virginis per viginti annos fuerunt steriles, vacantes operibus pietatis. 51
Parentes Virginis sexagenarii divina dispensatione Virginem genuerunt. *id.*
Parentes Virginis prolem suscipiendam Deo consecrarunt voto. *id.*
Virgo parentum precibus per revelationem a Deo fuit obtenta. *id.*
Conceptio Deiparæ per Angelum fuit ejus parentibus prænuntiata, præstantius quam Isaac, Samsonis et Baptistæ. 52
Anna Deiparæ mater præfertur Annæ Samuelis matri. *id.*
Conceptio Annæ religiosis viris fuit a Deo revelata. *id.*
Visio notatu digna, Emerentianam Annæ matrem adumbrans. *id.*
Mariæ nomen ejus parentibus annuntiatum fuit ab Angelo, et in divinis litteris adumbratum. *id.*
Maria domus et mons Domini est. 53
Anna nomen Mariæ imposuit. *id.*
Joachim et Anna petebant a Deo filium ; ipse autem eis præstantiorem filiam concessit. *id.*
Quare Ecclesia celebret festum sanctæ Annæ, et non sancti Joachimi. 54

TRACTATUS VII.

Quod diva Anna semel tantum nupsit. et unicam filiam Deiparam Virginem habuit.

Opinis asserens B. Annam pluries nupsisse. 54
Diva Anna semel tantum nupsit, et unicam tantum filiam habuit Mariam. 55
Et hæc secunda opinio probatur :
1° Quia quod est inverisimile, imaginem habet falsitatis. 56
2° Virginitas et viduitas etiam in lege veteri præferebantur matrimonio. *id.*
Vidua quæ semel nupsit, præfertur viduis, quæ pluries nupserunt. *id.*
Filius matrem volentem secundo nubere non tenetur alere, nec dotem assignare. *id.*
Judith laudatur, quod semel tantum nupserit. *id.*
Illud Proverbiorum : *Mulierem fortem*, etc. applicatur Annæ matri Virginis. *id.*
Maria columba perfecta, et unica filia matri suæ Annæ. 57
Maria omni motioni divinæ correspondit. *id.*
Satisfit primæ opinionis argumentis. *id.*
In sacra Scriptura cognati appellari solent fratres. *id.*
Virginitas et viduitas commendantur ; non tamen secundæ et ulteriores nuptiæ damnantur. 58
Pœnæ contra secundo nubentes in favorem filiorum durant. *id.*

TRACTATUS VIII.

De sanctissimi Josephi parentibus naturali atque legali.

Joachim appellatus fuit simul Heli. 59
Gener appellatur soceri filius, et sic Joseph dictus fuit filius Heli, qui et Joachim. *id.*
Interpretatio horum nominum Heli et Joachim. *id.*
Joseph fuit legalis filius Heli fratris Jacob. 60
Joseph qua ratione dicatur filius Heli soceri sui, et simul filius legalis fratris Jacob, et filius naturalis Jacob. *id.*
Hesta fuit avia sancti Josephi. *id.*

TRACTATUS IX.

De Nativitate sanctissimæ Virginis Mariæ, et educatione a sanctissimis ejus parentibus facta.

Maria majorem honorem dedit parentibus, quam ab eis accepit. 61

Nativitate Mariæ universa natura lætari debet. *id.*
Maria primorum parentum damna reparavit. *id.*
Maria ab Angelis et hominibus desiderata et a prophetis prædicognita. *id.*
Maria prophetissa dicitur ab Isaia. *id.*
Cœli, terræ et purgatorii incolæ pendent a Maria. 62
Maria primogenita Redemptoris, pro qua præcipue venit in mundum. *id.*
Maria multis Scripturæ locis fuit præfigurata. *id.*
Mariæ nativitas origo est aliarum festivitatum. *id.*
In Mariæ nativitate lætandum nobis est magis quam in dedicatione templi Salomonis. *id.*
Mariæ nativitas ingens gaudium attulit parentibus et consanguineis ejus. *id.*
Angeli lætati sunt in nativitate Mariæ. 63
Maria auroræ merito comparatur, quæ Prophetis fuit juramento promissa. *id.*
Maria miraculose concepta et nata, ideoque omnes gaudere debent. *id.*
Universa Trinitas gaudio perfusa est in nativitate Mariæ. *id.*
Parentes Virginis ingenti gaudio repleti sunt in nativitate Mariæ. *id.*
Homines et Angeli parentibus Mariæ gratulantur de Nativitate ejus. 64
Omnibus omnia bona ex Mariæ nativitate provenerunt. *id.*
Maria mare omnium gratiarum quæ omnibus sanctis concessæ sunt. *id.*
Maria ab instanti conceptionis habuit usum rationis. *id.*
Christus ab instanti conceptionis habuit usum rationis præstantius quam Deipara. 65
Maria in templo habuit usum rationis. *id.*
Anna ad ubera sua Deiparam lactavit. *id.*
Infantes a propriis matribus lactari debent, alias maxima incurrunt detrimenta. 66
Matres filios non lactantes crudeliores lamiis, et similes struthionibus. *id.*
Romani ex matronarum uberibus virtutem et generositatem suxerunt. *id.*
Romani ex ancillarum uberibus vitia animosque degeneres acceperunt. *id.*
Homo particeps efficitur qualitatis ciborum quibus alitur. *id.*
Si nutrix eligenda est, eligatur optima. *id.*
Sicut Anna Virginem, ita Virgo Christum lactavit. *id.*
Parentes alimenta, sed præcipue bonam educationem filiis præstare tenentur. *id.*
Parentibus in domibus suis, sicut prælatis in ecclesiis, competit filios et subditos docere. 67
Qui domesticorum suorum curam negligit, qualiter sit infideli deterior, et dicatur fidem negare. *id.*
Homines tenacissimi sunt eorum, quæ in tenera ætate perceperunt. *id.*
Respublica bonam puerorum educationem curare tenetur principaliter. *id.*
Optimi præceptores pro juventutis educatione quærendi et remunerandi. 68
Ex bona juventutis educatione salus Reipublicæ pendet; et ex bona juventute bona senectus; nam sicut ex flore fructus, sic ex juventute senectus agnoscitur. *id.*
Parentes minus curantes de filiorum educatione reprehenduntur. *id.*
Mater exemplo tenetur docere filiam, quia qualis mater, talis filia. *id.*
Anna Deiparam ad perfectissima quæque hortabatur, et Virgo perfecte illi parebat. 69
Parentes Virginis eam sanctissime educarunt. *id.*
Parentum mores quasi hæreditario jure transfunduntur in filios. *id.*
Homines ut in plurimum magis sequuntur passiones quam rationem. *id.*
Majorum nobilitas posteris quamdam necessitatem imponit. 70
Frequenter ex bonis parentibus boni filii procreantur, et ex malis mali. Contingit tamen aliquando contrarium, quod mirabile est. *id.*
Viro nobili fides adhibita excusat eum qui eam adhibuit. *id.*
Deipara quo in loco fuerit nata. *id.*
Gabriel Archangelus custos Mariæ, ultra aliam Angelorum multitudinem. *id.*
Christus Angelo custode non eguit. 71

TRACTATUS X.

De præsentatione, vita, et Mariæ Virginis exercitiis in templo.

Parentes Virginis votum adimplent, eam Domino cito consecrantes. 71
Maria fidelium murus est contra dæmones, qui eam timent, et in qua sunt omnia armorum genera. *id.*
Maria omnibus est janua et porta cœli. 72
Maria omnium virginum exemplar. *id.*
Ex divino totius Trinitatis decreto Maria fuit in templo præsentata. *id.*
Deus Mariam in templo et non in domo parentum perficere voluit. *id.*
In lege veteri erant mulieres et virgines Deo consecratæ, degebantque in domibus juxta templum constructis. 73
Maria tertio ætatis anno fuit a parentibus in templo præsentata. *id.*

Parentes Virginis suum votum adimplent, Virginem in templo præsentantes. *id.*
Joachim, Anna et Maria sunt montes, diversimode tamen. *id.*
Maria parentibus et Angelis comitata tendit in templum gressibus pulcherrimis. *id.*
Maria semper fuit a primo vestigio divina gratia calceata. 74
Maria velociter et hilariter omnes templi gradus ascendit magna omnium admiratione. *id.*
Virgo insalutatis parentibus templum ascendit. *id.*
Hilarem ac diligentem datorem diligit Deus. *id.*
Maria ab Spiritu sancto in omnibus movebatur. 75
Spirituales homines in actionibus suis ab Spiritu sancto principaliter aguntur. *id.*
Sacerdotes Virginem in templo recipiunt, inter quos Zacharias. *id.*
Anna Deum et sacerdotes devotissime alloquitur in oblatione filiæ, eam maxime recommendans. *id.*
Anna in oblatione filiæ omne obtulit holocaustum. *id.*
In oblatione Mariæ sibi complacet Spiritus sanctus. 76
Anna Mariam laudans, convocat sacerdotes et omnes astantes ad Dei laudes. *id*
Deo, Angelis et hominibus Præsentatio Mariæ fuit celeberrima. *id.*
Maria et ejus parentes exemplo sunt omnibus parentibus et filiis. 77
Mariæ in templo vita et exercitia, et Deum loco parentum suorum accepit. *id.*
Vita spiritualis præcipue in charitate consistit. 78
Maria in templo cum Deo pugnabat ut descenderet, et homo fieret. *id.*
Maria in templo divinas didicit litteras, et sacerdotibus ut æditua ministrabat, et lana, lino et serico laborabat. 79
Maria in templo frequenter cum Angelis agebat, et ab eis alimenta accipiebat. *id.*
Victum a sacerdotibus datum Mariæ, ipsa pauperibus distribuebat. *id.*
Testi nobili credendum etiam in causa propria, et magis Mariæ nobilissimæ. 80

TRACTATUS XI.

De exemplis ab omnibus, a monialibus præcipue, in Deiparæ præsentatione, et ejus vita in templo imitandis.

Vita sanctorum et eorum imitatio nobis est vivendi norma. 80
Vitæ sanctorum devotio in imitatione eorum consistit. *id.*
Defectus sanctorum nobis etiam sunt utiles. 81
Mirandum non est quod aliquando sancti ceciderint. *id.*
Non sufficit sanctos laudare, sed eos imitari oportet. *id.*
Vita Virginis et parentum ejus præstantissima nobis est norma vivendi. *id.*
Parentes juvare debent filios ad religionem, et hæc est matrimonii felicitas. *id.*
Periculum parentum impedientium aut compellentium filios ad religionem. *id.*
Parentes præstantiores filios Deo offerre debent, ut parentes Virginis fecerunt. 82
Mariæ vita omnium est disciplina, in cujus comparatione nulla est perfecta creatura. *id.*
Maria docet juvenes et puellas se Deo consecrare. 83
In quacumque ætate potest quis admitti ad religionem, non tamen ad professionem *id.*
Diversa tempora ad professionem assignata; nunc autem decimus sextus annus requiritur. *id.*
Juvenum sacrificium Deo gratissimum. 84
Licitum est filiis religionem ingredi, invitis parentibus. *id.*
Quando possent parentes vota filiorum irritare. *id.*
Licitum est filiis contra parentum voluntatem matrimonium contrahere. *id.*
Deus carnalibus parentibus præferendus. *id.*
Domestici inimici hominis, sed præcipue religiosi. 85
Qua ætate sit suscipienda religio. *id.*
Parentibus in necessitate constitutis, non licet filio intrare religionem. *id.*
Maria dux et magistra monialium. *id.*
Observatio consiliorum quodammodo cæpit in Virgine. *id.*
Maria omnium prima emisit votum castitatis. 86
Aliqui in lege veteri castitatem servaverunt, sed sine voto. *id.*
In primitiva Ecclesia virgines castitatem promittebant in nomine Mariæ. *id.*
Ad religionem ingrediendam non requiritur longa consultatio. *id.*
Etiamsi diabolus suadeat religionem, audiendus propter securitatem status. *id.*
Deiparæ vitæ perfectio in templo est monialium exemplum. *id.*
Maria in templo multum profecit in divinis litteris et in virtute. *id.*
Religiosi non tenentur esse perfecti, sed ad perfectionem tendere. *id.*
Charitatis fervore citissime ad perfectionis culmen ascenditur. 87
Non locus, sed vitæ sanctitas sanctificat hominem. *id.*
Omnium hominum conspectus et familiari-

tas fugienda est monialibus, exemplo Virginis. *id.*
Sponsus animæ Christus diligendus est a monialibus, et ab eo tantum dona accipienda. *id.*
Munera et epistolæ non sunt secreto a monialibus recipienda. 88
Ab amore spirituali ad carnalem facilis est transitus. *id.*
Infantes etiam intra monialium septa non sunt admittendi. *id.*
Viri quarumcumque mulierum, etiam spiritualium consortium fugiant. 89
Religiosi convivia sæcularia, maxime Principum, vitare debent. *id.*
Virgo quamvis nobilissima alias juvabat et honorabat. *id.*
Nobilitatis effectus per religionis ingressum amittitur. *id.*
Religiosus antea nobilis et dives non despiciat humiles et pauperes suæ religionis. *id.*
Religiosus in sæculo pauper et ignobilis nec extollat se, nec delicate vivat in religione. 90
Qui in sæculo laborabant non sint in religione otiosi. *id.*
Quilibet in religione quærit quod non habebat in sæculo. *id.*
Deipara quanto major, tanto humilior. *id.*
In schola humilitatis aliqui superbiam addiscunt. *id.*
Perseverantia in religione signum est prædestinationis. 91
Per professionem religionis plenam indulgentiam consequitur, et ob id religio assimilatur baptismo. *id.*
Inter perfectum religiosum et Deum nihil mediat. *id.*
Deipara in cœlo sanctimoniales recipit. *id.*
Christus et Maria occurrunt monialibus e vita decedentibus. *id.*
Præcipuæ difficultates religionis ostendendæ sunt tyronibus. *id.*
Monialibus alimenta præstanda sunt, etiam de publico. *id.*
Monialibus propter victus defectum multa sequuntur incommoda. 93
Illæ tantum moniales recipiendæ sunt, quæ ex redditibus monasterii ali possunt. *id.*

LIBER SECUNDUS.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO INTER B. VIRGINEM ET B. JOSEPHUM.

TRACTATUS I.

Utrum expediens fuerit Virginem Deiparam matrimonio cum B. Josepho copulari?

Qui doctores egerunt de convenientia matrimonii inter Virginem et Josephum. 95
Maria convenientissime desponsata est cum Josepho, ut Christi genealogia ex Davide probaretur. 96
Conveniens fuit hoc matrimonium ne Christus reputaretur illegitimus, et despiceretur ejus doctrina. *id.*
Illegitimi, maxime presbyterorum filii sunt infames, et ideo dignitatis incapaces. *id.*
Joseph testis fuit idoneus legitimitatis Christi. 97
Fuit conveniens ut partus cælaretur diabolo. *id.*
Deus voluit adventum suum dæmonibus cælari. *id.*
Quo ordine diabolus vicit hominem per mulierem, eodem victus est a Christo per Virginem. 98
Filius in matrimonio natus censetur legitimus. *id.*
Joseph sua prudentia dæmonem fefellit, et Christum ab eo defendit. *id.*
Diabolus a Deo prohibitus non consideravit integritatem Virginis. *id.*
Partus Virginis suavius fuit cælatus diabolo sub matrimonio, quam cælaretur sine illo. *id.*
Decuit in principio Christum cælari dæmoni, non tamen postea. 99
Conveniens fuit ut Christus a Joseph aleretur. *id.*
Joseph Christi tutor, pater, pædagogus ac defensor. *id.*
Joseph Christo tanquam Angelus in ministrando. *id.*
Joseph fidelis, prudens, fortis, ac diligens fuit erga Christum et Virginem. 100
Conveniens fuit hoc matrimonium ut Deipara liberaretur ab infamia. *id.*

Conveniens fuit propter exemplum virginum et hominum spiritualium. *id.*
Bonum nomen omnes curare debent, maxime mulieres; quia non sufficit radix et fructus sine frondibus honestatis. 101
Non sufficit bona vita coram Deo, sed fama etiam coram hominibus. *id.*
Exemplo Dei, Christi, et Deiparæ curandum nobis est de bono nomine. 102
Christus magis curavit de bono nomine Matris, quam de sui. *id.*
Parentes curare debent de bono filiarum nomine. *id.*
Puritatis et honestatis Deiparæ Joseph testis optimus. *id.*
Sicut profuit dubitatio Thomæ, ita et Joseph. *id.*
Magis creditur Virgini propter desponsationem. *id.*
Joseph comes, socius et consolator Virginis. *id.*
Conveniens fuit desponsatio, propter significationem Virginis ad Ecclesiam. 103
Conveniens fuit ut esset proportio reparationis ad casum. *id.*
Conveniens fuit, ut status virginitatis et matrimonii laudaretur et probaretur. *id.*
Christus et Maria ejusdem naturæ fuerunt cum nostra. *id.*
Conveniens fuit ne Virgo lapidaretur ut adultera. *id.*
Difficultas hujus convenientiæ proponitur, explicatur et diluitur. 104
Maria paradisus; Christus lignum vitæ; et Joseph Cherubim paradisi custos. 105
Paradisi virginalis cura Josepho demandata, quasi requievit Deus. *id.*
Deus in humilibus requiescit, et non in deliciose viventibus. *id.*
Christus Dominus propitiatorium, Maria et Joseph duo Cherubim se mutuo respicientes. *id.*
Josephus nunquam a Christo recessit. 106
Josephus contemplativam vitam agebat. *id.*
Josephus fuit velum ante propitiatorium verum Christum et veram arcam Mariam. *id.*
Desponsatio Josephi cum Virgine fuit mysteriorum Dei velamen. 107
Maria qualiter nigra et formosa. *id.*
Comparatur tabernaculis Cedar. *id.*
Quomodo Virgo a sole decolorata. *id.*
Virgo pellibus Salomonis comparatur, estque præstantior divitiis Salomonis. *id.*
Cœlum significatur per pelles Salomonis. 108
Cœlum est anima sancta, sed præstantius B. Virgo. *id.*
Deipara major et excelsior cœlo. *id.*
Josephus verum et utile tegumentum Christo et Deiparæ. *id.*
Joseph figuratur in Noë arcam gubernante, columbam recipiente, et arcum fœderis accipiente. 109
Christus urbs, Virgo murus, et Joseph antemurale, et sic difficultates prius irruebant in Josephum. *id.*
Deipara in temporalibus tantum, et non in spiritualibus pendebat a Josepho. *id.*
Deipara lectulus veri Salomonis ab Angelis custoditus. 110
Conveniens fuit hoc matrimonium multipliciter propter nos. *id.*
Epilogus convenientiarum hujus matrimonii. 111
Proportiones quatuordecim inter Deiparam et Josephum afferuntur. *id.*

TRACTATUS II.

De Deiparæ desponsatione cum sanctissimo Josepho.

Matrimonium Virginis et Joseph fuit a Deo ordinatum. 112
Quæ a Deo determinata et prævisa sunt, fiunt sine præjudicio liberi arbitrii. *id.*
Inter prævisa et præordinata a Deo magna differentia. 113
Non omnes circumstantias matrimonii Virginis et Josephi narrant Evangelistæ. *id.*
Sacerdotes debito tempore virgines templi ad matrimonium hortabantur. Sola Deipara virginitatis votum objecit sacerdoti matrimonium consulenti. *id.*
Josephi virga floruit in templo coram omnibus, et sic in sponsum Virginis eligitur divina sorte. 114
De usu sortium in utroque Testamento. *id.*
Episcopi divina sorte eligebantur in primitiva Ecclesia; quæ multa nunc patitur incommoda propter electionum hujusmodi defectum. *id.*
Episcopi mali, principes et superiores qui quærunt quæ sua sunt, et non quæ Dei, dantur propter peccata populi. *id.*
Josephi electio in sponsum Virginis fuit dignitas incomparabilis. 115
Deipara Virgo Josephum sponsum suum reverenter dominum appellabat. *id.*
Hominum ruina per Evam, reparatio autem per Mariam facta est, et præstantior. *id.*
Joseph adjutorium fuit simile Virgini. 116
Conveniens fuit Virginem desponsari. *id.*
Joseph solatium Virginis, et Christi nutritius. *id.*
Joseph fuit Christi coadjutor in laboribus et persecutionibus ad reparationem nostram pertinentibus, sub figura Raphaelis cum Tobia. *id.*

Maria virginitatis laudem prætulit sterilitatis opprobrio. 117
In conjugio Virginis et Josephi reperiuntur bona matrimonii sine virginitatis detrimento. *id.*
Pie creditur Angelum dixisse Virgini : Noli timere accipere Josephum conjugem tuum. *id.*
Matrimonium Virginis et Joseph omnium matrimoniorum fuit præstantissimum. *id.*
Felicissimus fuit Joseph in conjugio Virginis. *id.*
In nostris deprecationibus Virginem cum Josepho conjungere debemus. *id.*

TRACTATUS III.

In quo matrimonium Deiparæ et Josephi ratum, essentiale et præstantissimum fuisse probatur.

Sponsalia intelliguntur de futuro. 118
Conjuges ante benedictionem Ecclesiæ appellantur sponsi. *id.*
